VENERABILIS SERVI DEI

D. BARTHOLOMÆI A MARTYRIBUS

ARCHIEPISCOPI BRACARENSIS

Ex Ordine Fratrum Prædicatorum

OPERA OMNIA

QUOTQUOT REPERIRI POTUERE

Nunc primùm in unum collecta, pleraque hactenus inedita, & ex Autoris hausta scriniis, alia è Latio reddita ad pleniorem Tridentinæ OEcumenicæ Synodi notitiam non parùm utilia,

Quibus præfigitur piissimi Archipræsulis Vita

CURA, ET STUDIO

D. MALACHIÆ D'INGUIMBERT


EX ABBATE CISTERCIENSI

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi

EPISCOPI CARPENTORACTI

Sanctissimi Domini Nostri Prælati Domestici, Pontificii Solii Assistentis, ac Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Consultoris & JOHANNI V. Lusitaniæ, & Algarbiorum Regi &c. à Consiliis.

TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ, Typis Hieronymi Mainardi MDCCXXXV.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
EORUM OMNIUM,

Quæ in toto hoc ſecundo Volumine continentur.

AN-

ANNOTATIONES

IN

DAVIDICOS PSALMOS

Ubi præfertim obfcuriora elucidantur ad illuminationem intellectus, & inflammationem affectus collectæ

A VENERABILI SERVO DEI

FR. BARTHOLOMÆO DE MARTYRIBUS

ARCHIEPISCOPO BRACARENSE

Dum effet in Concilio Tridentino Anno Domini MDLXI. Menfe Septembri.

PROŒMIUM.

MULTA possent hinc dici de laude Psalmorum. Sed sufficiat meminisse illud, quod dixerunt patres nostri, in primis Dionysius librum psalmorum continere per modum laudis quidquid in Sacrâ Scripturâ continetur; quasi sit totius Scripturæ registrum, & consummatio totius theologicæ paginæ: Nam (ut Augustinus dicit in prologo) futura prædicit, veterum gesta commemorat, legem viventibus tribuit, gerendorum statuit modum; & (ut breviter dicam) communis thesaurus omnis bonæ doctrinæ, remedium efficacissimum ad omnes nostras spirituales infirmitates: medetur namque vulneribus nostris tùm veteribus, tùm recentibus: sedat, atque domat nostrarum passionum furorem; & hoc quadam delectabili modulatione. Videns enim Spiritus Sanctus (ait Augustinus) obluctantem, & resistentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ hujus magis inclinatum, quam ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim suæ doctrinæ permiscuit: ut dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inseratur secundùm sapientes Medicos, qui si quando usus poposcerit, austeriora medicamenta ægris offerunt mortalibus, ne æger utilitatem præ austeritate refugiat, ora, ac summitates poculi, quo remedium porrigunt, melle circumlinunt. Propterea ergo psalmorum nobis per modulos aptata sunt carmina, ut vel ætate puerili, vel qui adolescentes sunt moribus, quasi cantilenâ quadam psallentes delectari videantur. Revera enim animas illuminat, ac mentem. Nam plurimi ex his, qui in Ecclesiâ commeant, neque Apostolica præcepta facile possunt, neque prophetica vel liquidò discere, vel cum didicerint retinere: psalmorum verò carmina, & intra domos, interdum etiam in populo publicè canunt. Et sicubi quis quamvis fero ac rabidissimo furore rapietur, si fortè fuerit psalmi (ut ita dixerim) carminibus incantatus, continuò omnis rabies ferocitatis ejus abscedit. Psalmus tranquillitas animarum est, signifer pacis, perturbationes, vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens, luxum repellens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, adducens in concordiam discrepantes, reconcilians inimicos. Quem librum Propheta, cum multa sint instrumenta musicorum, huic tamen instrumento, quod psalterium appellatur, aptavit, de superioribus (ut mihi videtur) inspiratam Dei gratiam per Spiritum Sanctum docens; Quoniam quidem hoc solum instrumentum musicorum sonos de superioribus habere fertur: Cythara namque, vel Lira ex inferiori parte, æs, vel tympanum habens resultat ac resonat plectrum: psalterium verò harmonias de superioribus habere refertur aptatas, & sonorum causas desuper dare: Quò scilicet etiam per hoc nos doceamur quæ sursum sunt, & quæ superiora attendere, & quæ infirma, idest vitia carnalia declinare. Sed illud arbitror profundiùs nobis propheticâ hac indicari ratione, ac per formam nos instrumenti istius edoceri, quod ii, qui diligentes, & apti, moderatique sunt moribus facile pervium ad superiora iter habeant. Igitur vivum psalterium vivis affectibus canamus: ardet quippe affectibus fidei, spei, & charitatis: & enim in eo tanquam in summo mysticæ theologiæ gymnasio mirabiliter proficimus,

cimus in firmitate fidei, robore spei, fervore charitatis. Et quia in eodem psalterio nobis præcipitur, psallite (inquit) sapienter, seu (ut alia litera habet) intelligenter, ideo nos Clerici, qui ad hos divinos hymnos decantandos deputati, ac stipendiati sumus, vigilanti studio demus operam eorum sensum penetrare, nectareumque liquorem degustare: alioquin digni erimus, ut nobis illud Oseæ Prophetæ comminatorium verbum objiciatur, quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Et quia omnia hæc divina Cantica ad hoc a divinâ Sapientiâ composita, & ordinata, sunt, ut beati simus, fruamurque divinâ amicitiâ, atque familiaritate, tàm hic, quantùm peregrinatio fert, quàm in patriâ; Ideo in primo totius psalterii verbo præfigitur ejus scopus, cum dicitur: Beatus vir &c., *poniturque beati viri descriptio: confecerunt namque philosophi plures libros super quæstione illâ; in quo consistit hominis beatitudo: quam quæstionem divinus Vates brevissimè resolvit dicens, eam non in alio consistere, quàm in diligendo ex toto corde Legem Dei.*

AN-

ANNOTATIONES IN DAVIDICOS PSALMOS.

Ubi præsertim obscuriora elucidantur ad illuminationem intellectus, & inflammationem affectus.

Annot. in Psalm. 1.

BEATUS VIR QUI NON ABIIT &c. Initium spiritualis vitæ est gerere animum pium erga Deum, mundum ab errore, & divino cultui traditum, horrentem semitas impiorum hominum, quales sunt in primis Hæretici, & Infideles; (unde Hilarius dicit, quod impius dicitur, qui malè de Deo sentit) deinde Fideles non gerentes erga Deum animum devotum, ac gratum. Deinde ad justum pertinet habere mores inculpatos, ac vitam mundam. Ideo dicit. *In viâ peccatorum non stetit*, esto in aliquod per modum transeuntis laberetur, *stare* enim significat firmam stationem, ut ad Rom. 15., *stabit autem &c.* Hinc statua, quia stat firma. Demum ad beatum, & sanctum virum pertinet recta, atque sancta docere, & suadere. Nam omnes docentes errores, aut ad peccatum suadentes, in cathedrâ pestilentiæ sedere dicuntur, videlicet in cathedrâ aliorum infectivâ, loco veritatis propinante venena.

§.2. SED IN LEGE DOMINI. Ecce sollicitudo servorum Dei, vacare sanctis meditationibus.

§.4. ET FOLIUM EJUS. Vult dicere quod justus assimilatur palmæ, quæ semper viret in foliis; sic doctrina, ac verba sanctorum semper virent.

§.6. NON RESURGENT IMPII &c. Hebr. Non surgent, non stabunt, non consistent; idest seperabuntur a bonis, ad nihilum redigentur, non poterunt exaltare caput, imo confundentur. Et subjungit rationem, quia duntaxat *justorum viam Dominus novit*, hoc est approbat; vel sic: non surgent, aut stabunt in judicio tanquam Judices aliorum. Et si dicas, saltem stabunt tanquam subditi, Joan: subjungit, nequaquam, nullo modo erunt in Concilio, sive Congregatione justorum. §.7.

Annot. in Psalm. 2.

QUARE FREMUERUNT GENTES. &c. Describitur conjuratio gentium, & Judeorum contra Christum, ut patet Act. 4.

§.3. DISRUMPAMUS VINCULA &c. Divina præcepta vocantur vincula, quia cohibent a malis, ad quæ agenda ipsi volunt esse liberi, & frontosi. Justis autem, quibus non est lex posita (quoniam non est eis oneri, imò libenter eam implent, ac proinde liberè, ut dicit Augustinus) non videntur vincula, sed latissimus libertatis campus. Ideo dicunt, ambulabam in latitudine, quia

quia mandata tua exquisivi: Et statuisti in loco spatioso pedes meos &c., quibus suave est jugum Christi &c.

§.9. REGES EOS SCEPTRO FERREO &c. summa rectitudine, ac indeclinabili. Intelligitur etiam per virgam ferream evangelium: dicitur enim virga psal. 120. virtutis tuæ &c., & Isaiæ 11. Percutiet terram virga oris sui &c. ferrea ob rectitudinem, & inflexibilitatem, & quia, carni dura est, quoniam mortificat; esto namque evangelium sit dulce, & molle spiritui, est tamen ferreum carni. *Regit in virgâ ferreâ* quia per eam, & tegit obedientes, & conterit resistentes, ut dicit Augustinus *Psal.* 58.

§.12. APPRENDITE DISCIPLINAM &c. Hebr. osculamini filium idest subditi omnino estote Messiæ, quia filius Dei est, & consonat cum nostrâ literâ; nam apprehendere disciplinam, est apprehendere fidem, ac sapientiam evangelicam, qua optime disciplinamur; Apprehendite crucem.

§.13. CUM EXARSERIT &c. Hebr. Cum exarserit de repente ira ejus, tunc beati omnes &c. hoc est festinate ad adorandum Christum: alioquin dum non speratis, citò & in brevi exardescet ira ejus.

Annot. in Psalm. 3.

DOMINE QUID MULTIPLICATI. Secundum aliquos, ut Cajetanus, est oratio David adjuti a Deo in fuga a facie Absalon. Et sic testatur titulus. At quia David in hac persecutione fuit figura Christi, benè applicatur ab Augustino ad Christum persecutum à Judæis, de cujus victoria, ac resurrectione post somnum mortis hic agitur.

§.2. NON EST SALUS IPSI IN DEO EJUS. Hoc erat intollerabile ipsi David quod insultarent ei. Oh jam Deus non curat de illo, jam non liberabit eum, jam illum rejecit a suâ gratiâ ob ejus peccata. &c.

§.5. EGO DORMIVI. Securus dormiam, quia Deum habeo protectorem.

Hic est primus psalmus in quo ponitur Sellah, ibi non est salus ipsi in Deo ejus: Et significavit exclamationem & vocis elevationem quasi dicat. O gravem calamitatem, aut O summam Dei benignitatem!

Annot. in Psalm.4.

CUM INVOCAREM &c. Oratio David ad Dominum in suis tribulationibus, & exhortationibus, & exhortatur suos ad confidendum in solo Deo, vel juxta alios, agitur in eo de querelis infirmorum piâ exhortatione cohibendis, & fiduciam in Dominum erigendam. Primi duo versus sic habentur in hebreo. O Deus, justitia mea, qui me exaudis, ad te clamantem, & in angustiis constitutum in latitudinem educis, miserere mei, & exaudi orationem meam. Et vocat Deum justitiæ suæ (idest innocentiæ in causa contra Saulem) authorem, & testem. Accipitur etiam sæpe vox justitiæ pro bonitate, cum loquimur de Deo, aut de homine etiam apud Hebræos, ut dicit Vatablus psal. 118. super illud: *ecce concupivi mandata tua in æquitate tua vivifica me*.

DILATASTI MIHI. Seu me, seu latitudinem mihi fecisti: hebraismus.

§.3. FILII HOMINUM &c. aliqui interpretantur dicta ex persona Christi: & Moderni; usque quo gravi corde: magnam habet energiam ad significandam divinam longanimitatem, & patientiam in expectandis peccatoribus.

MI-

MIRIFICAVIT DOMINUS SANCTOS SUOS &c. Singulare pro plurali ut aliqui dicunt. — §.4.

IRASCIMINI, ET NOLITE &c. ideſt eſto patiamini motus iræ, ſicut & alios, quos fomes gignit, tamen non peccetis hoc eſt non præſtetis conſenſum: Sic exponit Apoſtolus *ad Epheſios* 4. — §.5.

QUÆ DICITIS IN CORDIBUS VESTRIS &c. Heb. loquimini in cordibus veſtris ſuper cubilia, aut in cubilibus veſtris, & ſilete ideſt examinate in ſilentio ſæpe veſtram conſcientiam,ac motus internos,videlicet iræ,& alios &c. ut poſt examinationem compungamini, nam videtis multas commotiones ſtultas vos habuiſſe.

SACRIFICATE SACRIFICIUM &c. hoc eſt accuſate vos; Deum autem laudate, & juſtificate, dicentes, *juſtus es Domine*, *& rectum judicium tuum*. De hoc Sacrificio pſal.50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* : Daniel.3. *Tradidiſti nos peſſimo Regi &c*

MULTI DICUNT QUIS OSTENDET NOBIS VERA BONA? Quæſtio ex parte carnalium non guſtantium delectationes vitæ ſpiritualis; dixerat David, quod ſacrificarent ſacrificium juſtitiæ,ideſt quod nullum erat Deo ſacrificium acceptum quoniam ut quiſque faciat juſtitiam de ſe ipſo, habeat cor contritum, & humiliatum, occidat ſe gladio contritionis, ut in novum hominem reſurgat, quia hæc ſunt vera bona ab hominibus ſectanda. Ideo ipſi hoc non penetrantes, non capientes quod interna bona, & vita inculpata, ac pax conſcientiæ ſunt verba bona dumtaxat, quærunt, quis oſtendet nobis ubi ſunt vera bona? Reſpondet, quod lumine a Deo in nobis ſignato cognoſcuntur, lumine quidem naturalis rationis inchoatur eorum cognitio, lumine autem fidei, ac divinæ gratiæ divinitùs infuſo perficitur. Quo revelatur nobis myſterium, & gratia crucis radix omnium bonorum; ex qua affectivâ cognitione naſcitur ſumma lætitia, & dulcedo. Dicit ergo quod ſolâ fide vivâ, & ſpe in Deum niti, hominem ditat omnibus bonis. Quod fides ſit lumen, patet pſal.43. 88., & 26. ſignatum fuit per columnam ignis in deſerto.

A FRUCTU FRUMENTI &c. ideſt propter fructum,ſic enim frequenter accipitur. A. ideſt propter, ut, A templo tuo, quod eſt in Hieruſalem tibi offerent &c. videlicet propter templum.Carnales conſtituunt ſuam lætitiam,& conſolationem in terrenis, in copiâ fructuum terræ ſcilicet frumenti, vini, olei, his impingnantur, & dilatantur, multiplicati ideſt ditati ſunt. Ergo autem conſtituo lætitiam meam in pace interna cum ipſomet Deo. Quæ pax, & ſecuritas animi oritur in me ex ſpecialiſſimâ, & firmiſſimâ ſuæ miſericordiæ ſpe, in qua Dominus me conſtituit. Alii exponunt de morte naturali ideſt lumine tuo firmatus in pace moriar, & libenter hanc vitam deſeram; unde dicitur, dormivit cum patribus ſuis, Campenſis ſic vertit majorem lætitiam infudiſti cordi meo quam ipſi habeant in divite proventu tritici, & muſti ſui. De hac lætitia ad Galat., *fructus ſpiritus*, *gaudium*, *pax &c.* — §. 8.

Annot. in Pſalm. 5.

VERBA MEA &c. Oratio David ad Deum contra Saulem virum ſanguinum, & doloſum ac ſpectatores ejus.

INTELLIGE CLAMOREM MEUM. Hebr. rugitum meum, aut murmur meum. Pondera urgentiſſimum orantis affectum, quaſi dicat anxius loquor, non

non possum verbis explicare mentem meam, ideo emitto rugitus, & gemitus.

§.3. MANE EXAUDIES VOCEM MEAM. Summo mane audies me, Manè astabo coram te, & speculabor, quod non placet tibi impietas impii, repetit eadem verba ex ardore. Quid nam dicit quod vix invenitur in toto psalterio ardentior oratio, quam ista Hieron. vertit, mane præparabor, & contemplabor.

§.4. VIRUM SANGUINUM, ET DOLOSUM &c. O quot dolosos, o quot, qui se amicissimos dicunt, & scribunt! at recepta minima offensione mox prodit dolus, qui latebat, mox apparet ira, invidia &c. quia neminem sincerè diligunt, sed solum se ipsos. Heu ubi fides in hominibus! omnia ficta, & simulata. Pete ab illo, qui se jactabat amicum, quod te juvet decem ducatis, & videbis quid habes in eo.

EGO AUTEM IN MULTITUDINE &c. Ego innitar spei tuæ misericordiæ, & timori tuæ justitiæ: hæ sunt duæ mollæ, inter quas oportet versari.

§.8. ADORABO AD TEMPLUM &c. seu versus templum, quoniam in lege vetere solus Pontifex ingrediebatur aditum templi. Laici oculis fixis in tabernaculum fœderis orabant: Quamvis enim tempore David non esset constructum templum perfectum, tamen in multis psalmis vocat templum, aut domum Dei tabernaculum, ubi erat arca, quia ibi Deus colebatur, ut patet. psal.120. & 132. dicunt aliqui, quod ob peccata indebitè Deum colentium in templo, feriuntur plus templa fulminibus, quàm domus prophanæ.

§.9. DOMINE DEDUC ME IN &c. Non intelligitur de justitiâ punitivâ Dei, sed de justitiâ fidei, seu gratiâ Dei, qua nos justificat, ut dicit Augustinus de Scriptura & litera: Et sæpe in hac significatione accipitur in Scriptura; de qua ad Rom. 10. & psalm.30. *in justitiâ tuâ libera me*.

§.11. SEPULCHRUM PATENS EST &c. Non nisi fœtida, & horrida loquuntur, audire eos est intolerabile sicut habere nares apertas ad sepulchrum cadaveris quatriduani, quod putrefit, vel, non loquuntur nisi minas mortis. Alii dicunt quod significatur voracitas, & avaritia inexplebilis, quos Lusitanicè vocamus *Roazes quo come o povo meudo*, de quibus Amos 4. & 6. *omnia vorant*, *ut sepulcrum sunt vermes*, *& nihil aliud*.

DECIDANT A COGITATIONIBUS. Cadant a consiliis suis: quoniam rebelles in te fuerunt.

Annot. in Psalm.6.

DOMINE NE IN FURORE TUO &c. Oratio David recurrentis ad Deum in persecutione ab Absalon, ostendit se agere pœnitentiam de peccatis. Aliqui dicunt, quod fecit hanc orationem cum laboraret aliquo gravi morbo corporali. Sed frigida expositio, dicamus quod in hoc psalmo depingitur pavor, & horror conscientiæ a facie judicii Dei: anima enim peccatrix constituta coram tribunali Dei irati horribiliter rea invenitur. Hunc affectum non multi sentiunt, de quo agit Tanlerus sæpe in Sermonibus suis: facit enim hic affectus hominem tabescere, & consumi in ossibus, ut quidam ait.

§.2. CONTURBATA SUNT OSSA MEA. Per ossa, quæ dicuntur conturbata, quidam grammaticaliter intelligunt ossa corporalia, quæ ex maximâ agoniâ spiritus aliquando tremunt, & consumuntur. Antiqui Patres intelligunt vires animæ. Et potest teneri prima expositio, quia etiam magnitudo gaudii dicitur, & ad ossa diffundi, ut proverb.3. *Erit irrigatio ossium tuorum*. Et cum subjungit.

ANI-

ANIMA MEA TURBATA EST VALDE. Intelligitur de parte sensitivâ animæ, quando enim est magna tristitia in spiritu omnes sensus perturbantur. §.3.

SED TU DOMINE QUOUSQUE? Scilicet differes auxilium mihi ferre, hæc enim reticentia plena affectu est, & plus eâ exprimitur, quam loquendo, quasi subintelligere velit, quod in alio psalmo, *usqueque Domine oblivisceris me &c.*

ERIPE ANIMAM MEAM. Scilicet ab inferno. Summo timore judicii Dei videbat se jamjàm deglutiendum à gehenna, juxta illud, *libera eas de ore Leonis &c.* Et, *qui ex altas me de portis mortis &c.* §.4.

QUONIAM NON EST IN MORTE. Neque in sepulcro qui tibi confiteatur, seu te laudet, patet enim quod mortuo corpore non potest homo laudare Deum illo modo quo laudabat in terris, beatorum enim laus alterius tenoris est, sicut Isai.38. vivens vivens ipse confitebitur tibi, idem psal. 115 non mortui laudabunt te Domine &c. non enim potest esse laus vocalis ante resurrectionem. Alii, ut Augus. exponunt de morte æterna, & gehenna, ubi non est confessio laudis, neque peccatorum. David enim summo timore judicii ob peccata percussus, & afflictus videbat se jam jam in inferno damnatorum esse, ideo profundissimo gemitu suspirat ad Deum. §.5.

LACRYMIS MEIS &c. Hebr. Natare faciam in lacrymis lectum meum; Est pulcra hyperbole exprimens ardentissimum votum desiderantis suspiriis, & lacrymis lavare lectum, si fieri posset, sicut Hieron. 9. desiderabat fontem lachrymarum ad plorandum die ac nocte, qui lectum locum quietis, & voluptatum Carnalium pro uxoratis, ut ipse erat, deputat ad tantam pœnitentiam; quid ageret extra lectum! § 6.

TURBATUS EST A FURORE &c. Heb. Corrosa est facies mea a furore tuo, vetusta facta est propter inimicos meos, significat se maxima tristitia percussum, vel in persecutione Absalonis, vel melius quando cogitabat iram Dei contra se post adulterium, & homicidium: neque mirandum, quod & corporaliter fuerit immutatus ob cordialem tristitiam, & angustiam. Legimus namque multos magna tristitia repente canos esse factos, ita dicit hic. *Inveteravi inter omnes inimicos meos*, idest, *fiz me velbo ante tempo tristeza.* §.7.

DISCEDITE A ME &c. qui lumine cœli illustratus cognoscit, quam horrendum sit Deum offendere non potest continere quin invehatur in carnales. Ideo David sæpe alloquens Deum, & exaltans divina judicia, aut postulans veniam apostrophat ad peccatores ut facit hic. Et pondera affectum fiduciæ in Deum, quia subjungit ter se exauditum à Domino: post affectus namque timoris subjungit affectus sicut beatus Bernardus in se sentiebat, ut dicit in cantico, tractans de osculis pedum Christi. Sic omnia contendere debemus quæ bonam opinionem Dei erga nos stabiliamus post contritionem, juxta illud *quam* ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus; esto indiget, contra peccatorem, & communiter vindictam, tamen voluntas ejus non est, quod moriatur, aut damnetur, sed vivat, & salvetur. §.8.

Annot. in Psalm.7.

DOMINE DEUS MEUS &c. Multi, ut Cajetanus, & Vatablus dicunt esse orationem David ostendentis innocentiam suam contra calumnias Saulis: at melius videtur dicere Burgensis quod agit in hoc psalmo David contra Semei, qui eum summis contumeliis affecerat quando fugiebat a facie Absalon, &

 ni-

nihil respondente. Consonat enim hæc historia quæ habetur 2. *Reg.* 16. verbis & titulo Psalmi *Domine Deus meus in te speravi*. Pondera hic quod primus affectus, quem habent viri Sancti, in suis persecutionibus non est affectus, aut zelus iræ, aut vindictæ contra hostes suos, sed affectus fiduciæ erga Deum antequam totam suam causam exponunt.

§: 2. NE FORTE RAPIAT UT LEO ANIMAM MEAM. Vide quanta vehementia proponat ante Deum suam causam, comparans suum hostem Saulem, aut Absalonem, aut Semei leoni ferocissimo jamjàm volenti eum lacerare. Hic docemur vehementissimè, atque attentissimè orare.

§. 3. DOMINE DEUS SI FECI ISTUD &c. Dicit hoc quia Semei imponebat ei, quod fuisset reus in depressione, & extinctione domus Saul, ideo ò Domine si ego tale cogitavi, aut feci.

§. 4. SI REDDIDI RETRIBUENTIBUS &c. Ideſt certe ego non reddidi Sauli mala pro malis, imo bona pro malis, ut ipse fassus est primo Reg.24. Justior me es: ego reddidi tibi mala, tu autem retribuisti mihi bona. *Decidam merito ab inimicis meis inanis*. Vatab. si destitui infestantem me absque causa ideſt non solum male eveniat mihi si ego malum pro malo reddidi inimicis meis, sed etiam si ego non reddidi bonum pro malo. Quasi dicat certe, ego non destitui hostes meos, imo liberavi eos cum possem occidere, ut patet cum Saule.

§. 5. PERSEQUATUR INIMICUS ANIMAM &c. Tria mala imprecatur sibi si non est innocens ab his, quæ sibi objecerat Semei: primo, Quod inimicus persequatur, & comprehendat animam ejus, ideſt occidat eum, secundo quod conculcet vitam ejus ideſt ejus conversationem, & vitæ consuetudinem, quomodo dicimus formatio *dehome de boa vida*, ideſt Sanctus, conculcet ergo hanc vitam ideſt mea rectè gesta pessime interpretentur homines, reputent pessimum. Tertio tandem etiam gloriam ideſt regium thronum cum omnibus quæ habeo etiam illa suprema gloria mea ideſt promissio mihi facta de Christo, etiam illa tollatur a me. Denique meos tot triumphos in bellis, meas victorias contra Leones, Ursos, Goliath &c. omnia hæc in ventum abeant, si innocens non sum.

§ 6. EXURGE DOMINE IN IRA TUA &c. Quid est hoc quod vir mitissimus, qui retribuebat bona pro malis, modo hic tam dure contra suos persecutores oret? Sancto affectu hoc facit: si enim Deus non premeret furias, & conatus pessimorum, quomodo posset subsistere Ecclesia piorum? non ergo petit quod aliquis suorum hostium æternaliter pereat, sed quod iram Dei temporaliter sentiant, ut irritis illorum conatibus resipiscanr. Augustinus, & Hieronymus sic exponuut, Domine exerce ira tuam contra Diabolum, & Angelos ejus, & tolle de manu illorum fines, quos habent, ideſt possessionem (genus humanum) per incarnationem, & passionem: & quia tu præcepisti hominibus quod essent humiles, exurge, & doce nos humilitatem accipiendo carnem humanam &c.

Exurge in præcepto hoc quod mandasti, & sic congregatio credentium populorum circumdabit te. Et propter hanc congregationem regredere in cœlos, & mitte Spiritum Sanctum, quo pleni Apostoli judicabunt omnes populos auferentes eos de manu tyranni Diaboli.

Chrysostomus literalius exponit; quod petit David, quod Dominus comprimat viros impios, & puniat eos in capitibus (uti nos dicimus finibus, vel in finibus ideſt finaliter, & totaliter) itaque nullus evadat: nam tu mandasti quod opem feremus injuriam passis, exequere ergo præceptum, quod mandasti, & omnes populi laudabunt te, & propter hanc congregationem popu-

pulorum piorum, qui injuste vexantur ab impiis, regredere in altum, ideſt iterum excita potentiam tuam, aſcende tribunal, quia tu ſolus judicas populos. Vatablus habet. *Exurge Domine in judicio quod mandaſti*, ideſt *decreviſti dare mihi regnum rejecto Saule, ſic imple.*

JUDICA ME DOMINE SECUNDUM JUSTITIAM &c. Non dicit ſe abſolute juſtum, & innocentem, ſed duntaxat in cauſa Saulis ſcilicet in invaſione regni ejus. §. 9.

SCRUTANS CORDA, ET RENES DEUS. Attende hic, quod illi duo renes noſtri, qui lumbis adhærent ſunt organa libidinis, & venereæ voluptatis, & ex illis fluit obſcænus humor, & ideo lumbi in quibus renes regnant, ſuſtinent infamiam libidinis. Ideo dicitur, *ſint lumbi veſtri præcincti*; Et ad Heb.7. dicitur *Levi fuiſſe in lumbis Abraham Patris ſui*; igitur per renes intelliguntur voluptates, quas debemus offerre Deo per mortificationem crucis: ideo Levit.3. renes cum reticulis, & adipibus jubentur offerri Deo. Significat quod omnes noſtræ delectationes, & lætitiæ ſunt in domino conſtituendæ. Unum David per adipem, & pinguedinem ſignificat ſpiritualem lætitiam, cum dicit, ſicut adipe, & pinguedine &c. Ideo Apoſtolus monet, *gaudete in Domino ſemper &c.* mortificatis enim carnalibus, ac terrenis delectationibus mox ſubintrant ſpirituales. Dicitur ergo Deus ſcrutari renes, omnium deſideria, & delectationes, in quo unuſquiſque noſtrum principaliter delectatur: Quia multi putant ſe in Deo delectari, cum tamen amore proprio turgeant, & in ſe ipſis delectentur. Et per ſecuritatem cordium ſignificatur ſcrutatio cogitationum, conſiliorum, amorum &c. Et vult dicere David quod Deus ipſe cordium ſcrutator bene ſciebat ſuam innocentiam in cauſa cum Saule, & cum Abſalone: de quo 2. Reg. 15. dicitur, *univerſus Iſrael ſequitur Abſalon.* §.10.

QUI SALVOS FACIT RECTOS CORDE. Ideſt habentes cor erectum in Deum Fide, Spe, & Charitate. §. 11.

SAGITTAS SUAS ARDENTIBUS EFFECIT. Auguſtinus per ſagittas intelligit myſtice Apoſtolos qui ardentibus flammis amoris adeo præparati ſunt, ut mundum ardere facerent. Hieronym. exponit quod Dominus præparat ſagittas ideſt pœnas hominibus ardentibus libidine, aut aliis vitiorum flammis. §. 14.

Idem videtur ſentire Chryſoſtom. nam per ardentes intelligit ipſos reos, quibus parantur ſagittæ, & vaſa (ideſt inſtrumenta) mortis, ideſt pœnæ æternæ mortis, aut temporalis. Vatablus ponit perſequentibus (loco de ardentibus) ſcilicet me: vel ſagittas ardentes. Alii, operatus eſt ſagittas ad ſuccendendum, & ſignificat ad literam idem, quod vaſa mortis ideſt tela, vel jacula mortifera; vas enim apud Hebr. eſt idem quod inſtrumentum: Ideo dicitur Paulus vas electionis ideſt inſtrumentum electum.

ECCE PARTURIIT INJUSTITIAM &c. Quaſi eſt illud quod dicit Auguſtinus Lib.1. Confeſſ. *Juſſiſti Domine, & ita eſt, ut omnis inordinatus animus ſibi ipſi ſit pœna*: qui ergo intus in cogitatione parturit aliquam iniquitatem, ſcilicet cogitando ſollicite, quomodo perficiet, ex hoc naſcitur afflictio, & inquietudo. 10: dicit, *Concepit dolorem*. Sic Sapientiæ 5. *laſſi ſumus in via iniquitatis*: & Dominus, *venite ad me omnes qui laboratis &c. Non pareres* (ait Auguſtinus Pſal.34.) *vermem iniquitatis verbo vel opere, niſi haberes internam putredinem, unde ebulliunt illi vermes.* §. 15.

Igitur ſi non vis concipere dolores, non parturias, ideſt non proponas facere iniquitates. Quot timoribus diſcruciatur adulter, quot machinis utitur,

quot pericula suspicatur latro? O quot onera sustinet peccator! Deus est illi onus; Judices terræ sunt illi onus, ipse sibimet est grave onus. O quam verè dixit veritas, *venite ad me qui onerati estis*.

§. 16. LACUM APERUIT &c. Ideſt poſtquam Abſalon inſidias ſuas, & machinamenta ad opus deduxit bellum contra Patrem concinnando &c. (quod fuit parere iniquitatem) incidit in mortem quam parabat Patri: dereliĉtus namque eſt ab omnibus, & ſolus in quercu pendens confoſſus eſt, & projeĉtus eſt in foveam grandem ut patet 2. Reg. 18.

§. 18. CONFITEBOR DOMINO SECUNDUM JUSTITIAM &c. Ideſt bonitatem, clementiam &c. ſicut ibi. *Exultabit lingua mea justitiam tuam*.

Annot. in Pſalm. 8.

DOMINE DOMINUS NOSTER. Argumentum pſalmi, Dei gloria per totum mundum manifeſtata prædicato Evangelio, cui ſonat titulus; ubi, *In finem pro torcularibus*: finis eſt Chriſtus, torcularia (ſicut & areæ) ſunt Eccleſiæ particulares ubi mali ſunt commixti bonis, ſicut in torcularibus vinum vinaciis, & in area paleæ granis, & ibi exuuntur eis, ut Auguſtinus dicit, quia ſeparantur boni a malis affeĉtu, quamvis non corporali præſentia; tamen in fine ſolum triticum, & vinum ponentur in cellariis Dei, paleæ, & vinacia in ſterquilinio inferni.

Cum dicit, *o Domine Dominus noſter*, abſolute alloquitur Deum, & dat rationem, quia magnificentia tua ideſt CHRISTUS QUI EST GLORIA PATRIS, poſtquam aſcendit ſuper cœlos, & miſit Spiritum Sanĉtum, tunc per totum orbem fuit manifeſtum nomen Dei, quam admirabile eſſet.

§. 2.

§. 3. EX ORE INFANTIUM ideſt Apoſtolorum rudium, & ſimplicium, & contemptorum prædicari, & laudari voluiſti (inſani oratores mundi laudant Principes, & magnates, ut & ipſi laudentur ab ipſis, ut ſua venena invicem propinent) intelligitur etiam de illis ſimplicibus, & reĉtis corde, qui Dominum laudaverunt. Matth. 21. Et quia hoc fuit maximum, quod per tales fides Chriſti in terris promoveretur, ideo hoc exprimis. *Ut deſtruas inimicos, & ultores* (ſingulare pro plurali per ſynecdochen) quidam exponunt de deſtruĉtione ſalutari, quia Apoſtoli converterunt impios, qui erant hoſtes, & ultores, ſeu punitores Sanĉtorum. Alii de deſtruĉtione, & confuſione obſtinatorum reſiſtentium Evangelio, aut de Diabolo hoſte, & ultore; hinc habes quod qui pure, & libere prædicant verbum Dei, acquirunt multos adverſarios, & perſecutores. Auguſtinus legit, inimicum, & defenſorem, & exponit de hæretico, qui fidem Chriſtianam cum oppugnet, videtur defendere.

§. 4. QUONIAM VIDEBO CŒLOS TUOS. Dicunt aliqui, quod non intelligitur de cœlis viſibilibus. Quæ enim jaĉtantia Prophetæ tam gaudioſa videre cœlos, quos vident etiam beſtiæ? appellat ergo cœlos, quos appellavit infantes ad deſignandam eorum utilitatem in mundo. Sicut enim a cœlis habemus lucem, pluviam &c. ità ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris &c. Si non fueris infans cum Apoſtolis, non eris utilis, ſicut cœli cum eis. Et quare Epiſcopi nunc non ſunt infantes, ſed pompatici, ideo non ſunt cœli. Et dicuntur hi cœli opera digitorum Dei, ideſt delicatiſſima; quia opera quæ artifices faciunt pedibus, vel manibus craſſa ſunt, quæ autem digitis, ſeleĉtiora ſunt, & teneriora; ſic fuerunt doĉtores novi teſtamenti opera Dei ſeleĉta, atque exquiſita in omnes voluntates ejus

ejus ideſt ad omnes perficiendas. Quis poterit reſiſtere operibus digitorum Dei? Ideo dicebant Magi Exod. 8. *Digitus Dei eſt hic*; Et Aċt. 7. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur*. Auguſtinus etiam per cœlos intelligit divinas ſcripturas. LUNAM, ET STELLAS ideſt Eccleſiam, & Sanċtos, ut Auguſtinus, & aliqui moderni. Non nominat Solem; quia totus pſalmus eſt de Sole ideſt Chriſto, quem alloquitur: Imo quia non nominat Solem eſt manifeſtum ſignum, quod non loquitur de cœlis, vel ſtellis corporalibus, alias quomodo taceret primum inter cœleſtia corpora? de diċtis ſpiritualibus ſtellis homines. Daniel. 12.

§. 5. QUID EST HOMO QUOD MEMOR ES EJUS? (Cum ipſe omnino tui obliviſcatur) Volens Propheta ſubjungere de Sole juſtitiæ Chriſto Domino, primo incipit admirari de divina dignatione erga naturam humanam, ſeu genus humanum, cui dedit filium ſuum. & ſubdit elevationem hominis in Chriſto, dicens, *minuiſti eum paulominus &c.* (Hieronymus vertit, *paulominus a Deo*) in quantum homo. Aliqui exponunt de dereliċtione tempore paſſionis. Nam ita viſus eſt exponere Apoſtolus ad Heb. 2. Et per paulominus intelligunt parvo tempore, quo tranſaċta gloria, & honore coronaſti eum in reſureċtione. Idem verſus ideſt ad Corinth. 15. At ultimi verſus, qui loquuntur de ſubjeċtione pecorum cogunt aliquos ad exponendum de puro homine. Et poteſt dici quod poſtquam dixit Chriſtus Dominum ſuper naturalium, oſtendit etiam naturalium, & viſibilium eſſe Dominum, deſcendens a ſummis ad infima.

Annot. in Pſalm. 9.

CONFITEBOR TIBI DOMINE &c. Gratiarum aċtio ob viċtoriam de adverſariis: Cum dicit, *narrabo omnia mirabilia tua*, eſt hyperbole, quâ ſignificat ardorem ſui animi, ſe deſiderare narrare omnia magnalia Dei, & ſi hoc ſit impoſſibile.

§. 3. IN CONVERTENDO INIMICUM MEUM. Pro inimicos meos per ſynecdochen, ideſt dum verſo dorſo eos in fugam converteres, ut faċtum eſt Exod. 14. Et fugientes debilitabuntur, & peribunt. Intellige etiam de proſtratione noſtrorum inimicorum ſpiritualium.

§. 6. INIMICI DEFECERUNT FRAMEÆ ideſt gladii inimici (eſt genitivus ſingularis numeri) Et dicunt aliqui, quod framea eſt originis hebreæ a *pharam quod eſt ſcindere*, quaſi ſciſſorium, & ſignificatur exterminatio hoſtium David, aut Eccleſiæ, qui perierunt cum ſonitu, ſeu ſtrepitu: aut dicit Auguſtinus velociter, ſicut ſtrepitus ſtatim evaneſcit.

§. 9. ADJUTOR IN OPPORTUNITATIBUS &c. Quia ipſe novit, quando debet occurrere, & non debemus nos illi præfigere diem occurrendi, ut dicebat Judith. 8.

§. 20. EXURGE DOMINE, NON CONFORTETUR HOMO. Appellat impium vocabulo deſpeċto hominis. ideſt non permittas, quod miſerabilis homo erigatur in ſuperbiam contra Sanċtos tuos.

§. 21. CONSTITUE DOMINE LEGISLATOREM &c. Auguſtinus, & Hieronymus gloſſant de Antichriſto, quo veniente carnales deferentur, ut illum ſequantur, & miſeri homines eſſe comprobabuntur, qui noluerunt eſſe filii Dei, & membra Chriſti, hoc experientur in morte. Chryſoſtomus literaliter: *Pone ſuper peccatores, qui eos puniat*, ut vel ſic compeſcantur a ſceleribus, & cognoſcant

cant se mortales, & subjectos, neque licere sibi ad libitum vivere. Alii : da eis præceptorem, qui eos doceat rectam vivendi legem, ut sciant se rationales, atque adstrictos ad rationabiliter vivendum, non ut feræ; vel ut sciant se miseros mortales, ac timeant judicium Dei.

§. 22. UT QUID DOMINE RECESSISTI &c. Est alius psalmus secundum Hebr. ubi mirabiliter depinguntur ingenium, & mores impiorum, est quædam idea hominis impii; ideo Augustinus ad Antichristum principem impiorum applicavit. Vide fervorem Prophetæ, & a Deo expostulat, quare finit impios vivere, & sic incipit psalmum quasi dicat, quomodo patiatur Deus talia? Simile Habac. 1. & Job. 21.

§. 23. *Vide Hier. 48. le moab.* DUM SUPERBIT IMPIUS &c. idest dum insolescit superbus contra pauperem, ardet, & affligitur pauper; ideo fac Domine, ut impii sic insidiantes piis comprehendantur in consiliis, quæ cogitant.

§. 24. QUONIAM LAUDATUR. Hebr. Sic quia laudavit impius desiderium animæ suæ, & iniquus applausit sibi, ideo exacerbavit Dominum, sive blasphemavit, utpote qui jam obduratus, & excæcatus jactavit sua scelera : Tunc sequitur, *Impius secundum multitudinem superbiæ suæ non quæret Deum*; ubi nos habemus omnium inimicorum suorum dominabitur; Hebr. omnes tribulationes suas despicit, idest non emendatur flagellis : ut Isai. 28.

§. 25. §. 27.

§. 32. INSIDIATUR IMPIUS, UT RAPIAT PAUPEREM. Et intendit rapere eum postquam attraxerit eum in retia sua, idest in paratas insidias, tunc devorabit eum; lege sic, rapiet pauperem dum attraxerit eum scilicet in recte suum, seu laqueum suum, ubi nos habemus in laqueo suo in sequenti versu, nam juxta Hebr. pertinet ad prædictum versum, tunc sequitur, humiliabit eum (Deus) & cadet &c.

§. 33.

§. 37. VIDES QUONIAM TU LABOREM, ET DOLOREM (pauperum, & innocentum, quos persequuntur impii) consideras, idest hoc est officium tuum UT TRADAS IMPIOS IN MANUS TUAS, idest ut veniant ad manus tuas, & recipiant juxta merita, ne quando rapiat Deus, & non sit qui eripiat.

CONTERE BRACHIUM PECCATORIS (potentiam) QUÆRETUR PECCATUM EJUS, idest deducetur ad judicium, & non invenietur scilicet ipse peccator, quia perpetuo peribit, quia melius erat illi non esse. Sic Augustinus, & Chrysostomus. Vatal. cum tractabitur de peccato ejus, ipse non invenietur, idest non audebit apparere ad defendendum se : quasi dicens, quia nullam habet excusationem, ideo sequitur postea, PERIBITIS GENTES IMPIÆ DE TERRA ILLIUS, idest Ecclesia (apud Hieronymum) præsertim triumphante. Terra Dei est illa, de qua scriptum est, *cœlum cœli Domino, terram autem &c.* idest cœlum.

§. 40.

§. 41. DESIDERIUM PAUPERUM EXAUDIVIT DOMINUS, idest promptissimus est ad eos exaudiendos, etiam antequam clament, juxta illud Isai. 65. Antequam clament exaudiam.

§. 42. JUDICARE PUPILLO &c. Hebr. ut vindices pupillum, & attritum, & non apponat ultra homo (impius) eum terrere super terram.

Annot. in Psalm. 10.

IN DOMINO CONFIDO &c. Quando David erat profugus a Saule, negabant ei multi locum latitandi in terra Israel, ideo dicit hoc, si ego confido in Do-

Domino, quare dicitis mihi, time homines, & fuge ab eis, tanquam passer qui fugit in montem? Ostendit ergo David suam fiduciam in Domino, agitque de tribulatione bonorum, & malorum. Augustinus interpretatur de Hæreticis conantibus pervertere Catholicos, & ad se trahere.

QUONIAM QUÆ PERFECISTI &c. (idest o Christe deduxerunt dogmata Ecclesiæ tuæ, atque fideles tuos.) JUSTUS AUTEM idest CHRISTVS QUID FECIT? præcepit (inquit) *pacem meam do vobis &c.* Quam hæretici nefanda dissensione violant. Ærea est lingua hæretici: sagittæ verba: Chrysost. glossat de præceptis divinæ legis ab impiis conculcatis. §. 3.

JUSTUS AUTEM QUID EECIT. Idest impiis contra justum armatis quid fecit justus? respondet, ad solum Dominum confugit, qui est in templo sancto suo idest in cœlo, vel in anima pia.

DOMINUS EXAMINAT JVSTVM, ET IMPIVM. Et qui diligit iniquitatem sibi soli nocet, quia in hoc vere odit animam propriam, ideo dicit Apostolus, quod *Charitas debet esse de corde puro*; sic Augustinus. Chrysostom. autem, & Vatab. *Is qui amat iniquitatem, odit animam ejus*, idest Dei sic Heb. Et tandem terribilibus nominibus (inquit Chrysost) explicat tormenta impiorum, ignis, sulphur &c. facula prius ardet, quam alium comburat, sic peccator primo sibi nocet. §. 6.

Attende, quod sicut magnates aliter respiciunt, quos diligunt, aliter quos oderunt, ad illos habent palpebras apertas, ad hos pressas, & truces; sic Dominus aliter respicit pios, aliter impios juxta illud, *oculi Domini.* (scilicet sereni, & clementes) *super Justos, vultus autem* (idest truces oculi, Carranza.) *super facientes mala*: Et hoc est quod dicit David, *Palpebræ ejus probant filios hominum*, idest aliter se habent ad pios, aliter ad impios.

Annot. in Psalm. 11.

SALVVM ME FAC DOMINE &c. Quidam, ut Cajetanus quod tractatur de adventu Messiæ liberaturi mundum plenum falsitatibus per verbum & doctrinam suam puram. Conqueritur enim David fidem, & justitiam ubique concidisse, & assentatores omnia occupasse. Et dicunt *labia dolosa loqui corde, & corde* idest duplici corde, quia aliud dicunt, aliud sentiunt.

IN CIRCVITV IMPII AMBVLANT. Chrysostomus exponit quod officium est impiorum circuire ad nocendum piis, sicut Diabolus qui dixit, *circuivi terram.* &c. At Dominus non solum protegit pios ab eis, imo facit eos illustres, & excelsos sapientiæ miraculis &c. ita ut aliquo modo assimilentur Deo in altitudine, & patientia operum. Et hoc est, quod dicit, multiplicas pios in donis spiritualibus, ut assimilentur altitudini tuæ. §. 9.

Augustinus Glossat quod impii circumgirantur cupiditate rerum temporalium: temporalia enim repetito cursu temporum volvuntur, quasi rota, & impii illi subduntur corde nihil curantes de æternitate: pii autem secundum altitudinem Dei multiplicantur de virtute in virtutem. Hieronymus, quod dicuntur impii in circuitu ambulare, quia in vanum laborant, & ad vitam æternam nunquam pervenient, sicut in circuitu ambulantes nullibi vadunt; quasi dicens, omnia opera, & conatus eorum sunt vani.

At pios Christus facit similes suæ altitudini hic, & in patria. Augustinus etiam Psal. 139. glossat, Quod impii ambulant in gyro errorum, quia nunquam finiunt, sed ex uno procedunt in alium.

Ad-

Annot. in Psalm. 12.

USQVEQVO DOMINE OBLIVISCERIS &c. Est ardentissima oratio tentati petentis illuminationem, & liberationem.

Annot. in Psalm. 13.

DIXIT INSIPIENS IN CORDE &c. De generali corruptione generis humani curanda per Messiam.

§. 10. CONSILIVM INOPIS. (Ideft filii Dei, qui venit sine fastu, & pompa). CONFVDISTI idest despexisti ejus consilium, quo inducebat ad contemptum mundi, & ponendam spem in solo Deo. Sic hodie videmus Christianos pios renunciantes, a carnalibus contemni, reputant vanum eorum consilium, scilicet soli Deo fidere, & resignare. De his ignorantibus Deum qui si non intellectu, aut ore, saltem affectu, & vita dicunt, *Non est Deus*, dicitur, quod viam pacis internae non noverunt. Isti sunt, qui vorant populum simplicem, sicut panem. O quot Principes, Divites, Episcopi, Abbates &c. nihil aliud faciunt, nisi vorare agricolas, & pauperes.

Annot. in Psalm. 14.

DOMINE QUIS HABITABIT &c. Argumentum psalmi ést quibus moribus oportet esse prædictos cives sanctorum, & domesticos Dei.

§. 4. OPPROBRIUM NON ACCEPIT ADUERSUS &c. Hunc versum exponit ille alius scilicet *detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar*, idest non permisit quemque coram se opprobrium dicere contra proximos suos, vel (ut Augustinus dicit.) non temere credit criminatori, & idem est. Alii dicunt quod potest legi opprobrium non jactavit &c. carnalium enim est jactare, divulgare, exaggerare aliena peccata.

§. 6. PECUNIAM NON DEDIT &c. Vide Amos. 8. de avaritia Judæorum. *Et munera adversus innocentem non accepit.*

Annot. in Psalm. 15.

CONSERUA ME DOMINE &c. Est psalmus de resurrectione Messiæ, ut patet Actuum 2., & 13. & incipit Christus loqui affectu hominis derelicti tempore passionis, & mortis, quasi dicat: Ecce ego morior, in manus tuas commendo spiritum meum.

Hic psalmus dicitur in Hebr. *mibtham* idest aureolus David, quia egregie

§. 2. iu eo ostendit se illuminatum in mysteriis Christi. BONORUM MEORUM NON EGES; (ait salvator ex parte natnræ humanæ) omnia bona mea, seu corporis mei, quod est Ecclesia nihil conducunt ad tuam felicitatem, quia sine his plene beatus es. Tamen in sanctis, qui sunt in Ecclesia sua, mire implevit in eis omnia desideria mea, perducendo scilicet eos ad perfectionem, & dando varias gratias pro ædificatione Ecclesiæ.

§. 3. MULTIPLICATÆ SUNT INFIRMITATES. Gentilium, postea acceleraverunt ad Evangelium; & similiter Judæi (Hebr. multiplicata sunt idola illorum) ta-

tamen ego non congregabo eos in una Ecclesia mediantibus sanguinibus animalium immolatorum, neque mediantibus propagationibus ex Abraham, aut Christi tribubus. (Ideo dicitur Joan. 10. *qui non ex sanguinibus &c.* Et quod non omnes ex Abraham sunt filii ejus) sed mediante sanguine meo, neque amplius obtinebunt, antiqua nomina quibus quidam vocantur Gentiles, quidam Judæi, quidam cultores Dianæ, alii Jovis &c.

Dominus solus est portio legitima mei & meorum, ipse solus calix præclarus inebrians me, & meos mirabili delutatione. Calix usu scripturæ est mensura unicuique divinitus definita, ac reddenda pro meritis suis; ideo significat hic, ego nolo aliam retributionem aut mensuram nisi Dominum.

Tu, pater æterne, restitues hæreditatem cœlestem mihi, non pro me quia nunquam eam amisi, sed pro meis electis, qui eam amiserant. Sic Augustinus (vel ut Hieronym. Restitues mihi Ecclesiam méam) quæ est hæreditas mea) in die resurrectionis, vel restitues hæreditatem Judæorum, quam amisi, quia in fine convertentur. Hebr. habet. *Tu Constitues, seu firmabis hæreditatem*.

SORTES CECIDERUNT &c. Ideſt contigit mihi, & meis præclara, atque excellentissima portio, seu hæreditas, quæ est Deus. Nam usu Scripturæ, funes vel funiculi significant mensuras, limites, divisiones, quibus dividuntur hæreditates terræ, ut patet psal.77. & 104. §.6.

BENEDICTUS DOMINUS QUI TRIBUIT MIHI intellectum ad videndum ipsum. (Anima enim Christi semper vidit Deum a sua creatione) vel intellige de donis intellectus, consilii &c. ut de illo dixit Isai.11.; tamen pars inferior in laboribus, & tristitiis est usque ad noctem, Ideſt mortem. *Unum, Deus* dicebat Joanni, *Baptismum habeo baptizari, & quomodo coarctor &c.* Hæc coarctatio partis sensitivæ ob jugem memoriam passionis, dicitur increpatio renum, juxta illud *Spiritus promptus est, caro autem infirma*. Exhorruerunt enim renes Christi passionem: Et ideo dicit Apostolus, *quod didicit ex his, quæ passus est*. §.7.

QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM &c. Ideſt caro mea esto sepeliatur, tamen non tangetur putredine, aut verme, imo quiescet in spe resurrectionis certissimæ, de qua subjungit. NOTAS MIHI FECISTI &c. ibi *in dextera*, ideſt in vita æterna. §.9.

Annot. in Psalm.16.

EXAUDI DOMINE JUSTITIAM MEAM &c. Pulcher psalmus, ést oratio ex persona Christi. Cum Augustino alii dicunt quod est oratio David in persecutione Saulis. Pondera fervorem: ter repetit: Quod exaudiatur.

Non oro, ait, in labiis dolosis. §.2.

DE VULTU TUO JUDICIUM MEUM PRODEAT. Ideſt coram te tractetur causa mea. §.3.

PROPTER VERBA LABIORUM TUORUM EGO CUSTODIVI. (Ideſt observavi.) vias latronis. Sic vertit Hieronym. ubi nos habemus *duras*. Et significat quod David profugus a Saule latitabat in montibus sicut latro; aut significat pœnam Domini inter latrones crucifixi. §.5.

SUB UMBRA ALARUM TUARUM. Ambros. Serm.7. super beati immaculati. Nos vivimus hic in umbra Dei, aut Christi nam ille vita est; vivimus ergo in umbra vitæ quia imperfecte videmus, usque dum veniamus ad fulgorem, ad visionem facialem defendit nos Crucifixus ab ardore carnis, & malignitate seculi. §.10.

§.11. ADIPEM SUUM CONCLUSERUNT. Ideſt ob abundantiam opum, & voluptatum ſunt interius clauſi, neque ullo modo præbent aditum Deo: vel ſignificatur tenacitas & obduratio contra miſericordiam, juxta verbum Joannis, *qui clauſerit viſcera ſua ab eo*; & hæc videtur magis ad literam; vel dicuntur impii claudere adipem contra pium, quia uno animo, & omnibus viribus adhibitis conſpirant contra pios.

§.12. PROJICIENTES ME. Ideſt me reputantes tanquam rem projectilem, ut dicit Apoſtolus, *tanquam purgamenta, aut rejectamenta hujus mundi facti ſumus*.

NUNC CIRCVMDEDERVNT ME, ut omnino delerent. OCVLOS POSVERVNT &c. Ideſt in omnibus quæ agunt, vel omittunt, non habent niſi terrenam intentionem.

§.13. SVSCEPERVNT ME &c. clarius Hieronym. Similitudo ejus ſicut leo &c.

§.14. ERVE ANIMAM MEAM AB IMPIO. Ideſt non prævaleat adverſum me, quod eſſet, ſi non reſurgerem. FRAMEAM TVAM; framea Dei humanitas Chriſti: fuit enim virtus, atque lancea Dei ad debellandum regnum peccati, & mortis, ut dicit Auguſtinus. Hieronymus ſic vertit, *libera animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus, ſeu framea tua*. Sic Vatablus: *ab inimicis manus tuæ*. Hebr. *a viris manus tuæ*, ideſt ab impiis in quos tu extendis manum tuam. Manus Dei eſt vindicta Dei, ut pſal.20. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*; & *horrendum eſt incidere in manus Dei, & manus Domini tetigit me &c.*

§.15. DOMINE A PAVCIS &c. videtur petere David Dominum quod ſeparet in hac vita (non ſolum in die Judicii) impios a cœtu piorum, qui ſunt pauci comparatione impiorum, ne poſſent eis nocere.

Hieronym. tamen exponit Prophetam petere, quod omnino exterminentur impii de hac vita, & maneant ſoli pii, ſicut ille ſervus, qui dicebat Domino ſe velle colligere zizania, quod tamen Dominus prohibuit, quia in area hujus mundi palea, & frumentum debent eſſe commixta. Primus ſenſus eſt Auguſtini dicentis petere Prophetam, quod Dominus ejiciat impios de terra ſua, in qua ſunt potentes, ut diſperſi per varia loca totius orbis non ita noceant. Vatab. vertit a mortalibus huic ſeculo addictis, qui partem ſuam in hac vita expectant, & de penu tuo imples ventrem eorum, ſupple, libera animam meam, qui in noſtra litera dicuntur pauci ideſt *aporecados* & viliſſimos. DE ABSCONDITIS TVIS. (Ideſt de ſpoliis abſconditorum, ſeu electorum tuorum, quorum bóna mille fraudibus exhauriunt.) ADIMPLETVS EST VENTER EORVM. Poſſumus etiam per abſcondita intelligere prohibita Dei. Impii autem ſatiant cupiditates ſuas prohibitis voluptatibus. Moderni traducunt de penu tuo, ſive de theſauris tuis adimpletus eſt venter eorum, quia imples eos opibus temporalibus, quaſi de tuis abſconditis theſauris, ſicut ibi, *qui producit ventos de theſauris ſuis*. Et hic eſt germanior: quaſi dicat, de abſconditis tuis, ſeu de reſervatis tuis. Novi fructus, quos terra ſingulis annis producit, vocantur abſcondita Dei, quia Deus omnia mirabiliter producit, & donat, neque poteſt homo ſcire quomodo, & unde veniant, etiam ſi in hoc philoſophi laboraverint. Ideo meritò Auguſtinus dicit *quod productio ſegetum ex paucis granis eſt miraculum quamvis conſuetum*; promittit ergo ea Deus, quaſi de penu abſcondito.

Annot. in Psalm. 17.

DILIGAM TE DOMINE FORTITUDO &c. De victoriis David, quatenus est typus Christi resurgentis, & triumphantis.

TORRENTES INIQUITATIS. Hebr. *iniquorum*. Sic exponit Augustinus, Comparantur enim turbæ iniquorum torrentibus, qui fiunt ex aquis pluvialibus, quia cito desinunt. Et quia (ut dicit Lyran.) mos fuit antiquis quando vellent laudare Deum pro uno beneficio repetere antiqua beneficia, ut patet psal.76. Et psal.67. & Debbora Judic.5. ideo David repetit hic antiqua beneficia Dei. §.5.

COMMOTA EST ET CONTREMUIT &c. Iste versus cum decem sequentibus sunt obscurissimi, ideo aliqui confugiunt ad allegorias absque ordine, & consequentia, quo nihil facilius. Juxta literam describuntur miranda Dei opera in corporibus terrestribus, & cœlestibus, quæ Augustinus, & Hieronym. mysticè exponunt. Pro litera vide Exod. 19. & 20. Primo ergo tractat de tremore terræ, qui accidit in monte Sina quando dabatur lex: Juxta Hieronym. hac commotione, & tremore significatur conversio peccatorum ad prædicationem Apostolorum. §.9.

ASCENDIT FUMUS &c. Nam fumavit mons Sina in signum iræ Dei contra violatores legis, & etiam ibi ignis exarsit. Hoc etiam sæpe fit quando cadit fulmen; sequitur enim fumus, & ignitio, & carbonum accensio, quibus intelligit Augustinus varios affectus in conversione peccatorum, nam oratio, fumus ascendens est (ad quam incitat timor iræ Dei, atque minarum gehennæ) & peccatores qui ante erant nigri, & frigidi tanquam carbones mortui, facit eos carbones vivos, & vastatores. §.10.

INCLINAVIT CŒLOS &c. Juxta literam habetur Deut.50. & Exod. 19. quod Domino descendente super Sinai nubes densissima, & caliginosa operuit montem; & significat, quod Dominus descendit ad exercendum varia judicia in hoc mundo justitiæ, & misericordiæ, quæ sunt nobis occultissima. §.11.

Mystice juxta Augustinum, & Hieronym. *Inclinavit cœlos, & descendit in uterum Virginis*. Caligo, idest caliginosa turba impiorum qui eum non cognoverunt, qui etiam dicuntur terra, & scabellum pedum ejus. Hieronymus per caliginem intelligit invisibilem divinitatem, quæ occultabatur sub pedibus, idest sub humanitate Christi.

ASCENDIT SUPER CHERUBIM. Juxta literam Cajetanus (si bene memini) intelligit de Angelo motore primi mobilis, super quem Deus dicitur ascendere dans ei virtutem ad movendum illud mobile velocissimo motu.Hieronym. exponit quod juxta literam Deus est velocior, & penetrabilior ventis, ubique præsens &c. §.12.

Augustinus, & Hieronymus exponunt mystice de incomprehensibili scientia Christi, in qua sunt omnes thesauri scientiæ absconditi; qui excedit scientiam Cherubinorum, & omnium Angelorum, & volat super pennas ventorum, idest super omnium animarum sanctarum virtutes, & perfectiones, quibus virtutibus, tanquam quibusdam pennis, animæ se elevant a terrenis desideriis, & timoribus in auras libertatis; & animæ etiam comparantur ventis, quia sunt invisibiles. Et corporaliter, & ascendit Christus super omnes Angelos, & cœlos;

POSUIT TENEBRAS LATIBULUM SUUM &c. Juxta literam quando fiunt tenebrosæ; & densæ nubes: verum Deus quasi latere volens, ponit tabernaculum §.13.

 suum

ſuum in medio tenebrarum, at quando rurſum redit ſplendidus & ruptis nubibus videtur Deus quaſi oſtendere fulgore vultus ſui, & diſſipantur nubes ad ejus apparitionem, recedit etiam grando, ceſſant etiam ignitæ impreſſiones hic deſignatæ per carbones ignis poteſt etiam exponi, quod quando Deus deſcendit in montem Sinai caligo cœpit operire montem. Alii exponunt quod in Sancta Sanctorum nulla erat lucerna, quia tamen Deus erat in medio Sancta Sanctorum, & in circuitu manebat tabernaculum, ideo dicitur, *In circuitu ejus* &c. Auguſtinus myſtice exponit *poſuit tenebras latibulum ſuum* de obſcuritate ſacramentorum, & myſteriorum fidei, & in nubibus aereis, ideſt Prophetis & ſanctis prædicatoribus: *tenebroſa aqua*, ideſt obſcura ſcientia, nam per fidem ambulamus non per ſpeciem, hoc modo exponit Hieronym. IN CIRCUITU EJUS TABERNACULUM EJUS. Tabernaculum Dei eſt Eccleſia ut dicitur Apocal. quæ circumdat Chriſtum tanquam corona.

§.14. PRÆ FULGORE &c. Ideſt illuminante, & inflammante nubes tranſierunt (ideſt Apoſtoli tranſierunt de Judæis ad Gentes, & de gente in gentem) emittentes modo grandinem ideſt verba increpatoria, & flagella, ut quando Petrus extinxit Ananiam &c. Et Paulus tradidit Sathanæ inceſtuoſum; modo *carbones ignis* ideſt verba & facta inflammatoria ad amorem Dei. Sic Hieronymus.

§.15. INTONUIT DE CŒLO DOMINUS &c. Loquitur de tonitruis quæ ſunt voces Dei comminatoriæ impiorum juxta illud, *Dominum formidabunt adverſarii ejus, & ſuper ipſos in cœlis tonabit*. Simul cum tonitruis emittis grandinem, & impreſſiones ignitas.

§.16. Myſticè intonuit voce Apoſtolica, ut Chriſto præcedente, per ſagittas ad literam intelliguntur fulgura, & myſtice per ſagittas intelliguntur verba Dei, vel Evangeliſtæ juxta illud verſabat verba ejus in viſceribus quaſi ſagittas acutas, quibus regnum peccati diſſipatum eſt, fulgura fuerunt miracula, & clara vitæ exempla. Sic Hieronymus, & Auguſtinus.

§.17. ET APPARUERUNT FONTES AQUARUM. Et tremore terræ, & aliis accidentibus ſæpe deteguntur alvei, fontes, qui erant operti, & viſcera terræ diſcooperiuntur, & hoc ad Domini increpationem: quia quando hæc terribilia facit, habet ſe ad modum Domini increpantis malos ſervos. Per aquas multas intelligit tribulationes, vel populos tumultuantes &c.

Myſtice dicunt Auguſtinus & Hieronym. quod cum Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum doctrina manifeſtatur populis, tunc illi fontes, qui ſunt in cordibus illorum, (de quibus Dominus, *fiet in eo fons aquæ ſalientis &c.* & fundamenta ideſt Prophetæ (ſuper quos erat ædificandus orbis terrarum, ideſt tota Eccleſia) revelati ſunt, quia ante non intelligebantur, & Apoſtoli ipſi etiam dicuntur fontes figurati per duodecim fontes de quibus Exod. 15.

§.24. NEQUE IMPIE GESSI A DEO MEO. Non fui impius in Deum meum.

§.28. CUM SANCTO SANCTUS ERIS &c. Auguſtinus, & Hieronymus. *Tu Domine cum ſancto habebis te, tanquam ſanctus, & pius, benefaciendo ei; Et cum perverſo ages tanquam perverſus infligendo illi maximas pœnas &c.*

§.32. IN DEO MEO TRANSGREDIAR MURUM. Ideſt ſuperabo omnem potentiam inimicorum meorum: trahit metaphoram a militibus animoſiſſimis in bello, qui primi nituntur tranſilire muros: Sic Apoſtolus *omnia poſſum &c.* Eſt ergo tota potentia mundi, & Sathanæ, & omnia obſtacula quæ ſe opponunt veritati, & gloriæ Dei. Auguſtinus, & Hieronymus per murum intelligunt congeriem peccatorum quam ereximus addendo peccata, & ſic fecimus murum inter nos, & Deum.

An-

Annot. in Psalm. 18.

CÆLI ENARRANT GLORIAM DEI. Et si aliqui, ut Cajetanus pulchre aptent versus hujus psalmi usque ad, *lex Domini immaculata*, ad corpora cœlestia dicentes materiam hujus psalmi esse, quod majorem notitiam habemus divinorum per legem, quam per corpora cœlestia; Tamen quia Apostolus ad Rom. 10. docet, ac proinde cogit eum intelligendum de ministerio Evangelico, ideo credendum est Spiritum Sanctum velle nos hæc allegorice accipere, trahendo nos sub jucundis involucris ab hoc visibili mundo ad invisibilem, ubi alii cœli, aliæ noctes, alii dies &c.

Cæli sunt prædicatores, Apostoli, & Apostolici viri, sicut terra sunt plebes, tum quia tales debent esse thronus, & habitaculum Dei, sicut cœli sunt; tum quia debent esse utiles terrenis hominibus luce verbi, calore amoris, pluviis &c. sicut cœli sunt utiles terræ debentque esse sicut firmamentum inter aquas superiores idest firmi in virtute, ut neque ob prospera, neque ob adversa cedant. Hi enarrant opera manuum Dei, quæ prædicant mysteria Christi, nostram mortificationem, & regenerationem.

§. 2. DIES DIEI ERUCTAT VERBUM &c. Juxta literam significat quod ordinata successio dierum, & noctium valde commendat, & facit nos scire Dei sapientiam, potentiam &c. aut quod unus dies est magister alterius, sic una nox alterius, quia ex his quæ nobis accidunt possumus futura dijudicare. Juxta spiritum qui sunt dies idest clari secundum spiritum, annunciavit sapientiam cœlestem mundanis, qui erant dies idest clari secundum externam gloriam, aut sapientiam carnis; Et iidem Apostoli qui erant noctes idest obscuri secundum externam gloriam prædicabunt veram scientiam noctibus idest mundanis qui erant tenebrosi in interioribus, & coram Deo, juxta illud; *Eratis aliquando tenebræ* &c. Augustinus exponit quod *sicut Christus qui est dies, vel quivis Doctor sanctus annunciant fidelibus, & piis verbum Dei: ita Diabolus qui est nox, & quicunque carnalis, & iniquus suasor carnalibus indicant sententiam carnis*.

§. 3. NON SUNT LOQUELÆ &c. Manifestatur quod Apostoli loquuti fuerunt linguis omnium. Ly *eorum* refert *cœlorum*. Juxta literam Vatabl. vertit, non sunt illis (idest cœlis) verba, neque sermones, neque auditur vox eorum, & tamen in omnem terram exivit sonus, aut regula, seu amussis illorum idest structura adamussim facta.

§. 5. IN SOLE POSUIT &c. Legendum juxta hebreum *sol posuit in eis* (idest cœlos) *tabernaculum suum*. Sol idest Christus Malachiæ 4. posuit in Apostolis: nam illuminavit eos, loquutus est, atque operatus est in eis &c. Aliter sic vertitur Soli posuit (Deus) tentorium suum in eis idest cœlis, *& ipse tanquam sponsus*, idest lætissime perficit motum suum. Christus tanquam sponsus egressus est, ex utero virginali: sicut enim sol prodit ex occulto noctis, & nemo scit unde veniat, ita conceptio, & nativitas Christi fuit nobis mirabilis, quia non possumus penetrare mysterium suæ incarnationis, & formationis in utero, & exitus salva virginitate. Egressus est de utero tanquam sponsus Ecclesiæ plenus ornamentis, & coronis gratiarum internarum gestiens in amorem Ecclesiæ ideo *exultavit ut fortis ad currendam viam*, idest magna charitatis, & spiritus fortitudine perficit

§. 6. cursum suum pugnans in agone cum Diabolo alacriter, & triumphans; A summo cœlo, venit in uterum virginis, & iterum in ascensione regressus est in cœlum; & in

in die Pentecostes replevit Apostolos calore Spiritus Sancti, & sic totum orbem, & gigantea virtute voluit designare potentiam Christi in vincendo Diabolo, & subjugando mundo per Apostolos. Quidam per illud *A summo cælo* &c. intelligunt prædicationem Evangelii, quæ fuit ab oriente usque ad occidentem, ut dicitur Math.8. & Isai.43., & 49: Nam Sol sic movetur ab orizonte orientis usque ad orizontem occidentis. Idem habet psal.2. & 71. *Dominabitur a mari &c.*

§. 8. LEX DOMINI IMMACULATA &c. Quamvis de lege Decalogi scripta intelligi possit, tamen melius intelligitur de lege evangelica, de lege amoris, a cujus calore nemo se potest abscondere idest ubique in aliquibus regnat Christus.

§. 13. AB ALIENIS PARCE &c. Augustinus exponit ab alienis idest a pravis suasoribus, idest *manus peccatoris non moveat me*. Vatabl. vertit superbias (vel flagitia) averte a servo tuo, ne dominentur mihi, quia sic integer ero &c. Et juxta nostram literam sic expone: *Ab alienis* idest superbis hominibus, contine servum tuum scilicet ne imiter illos, quam si illi non fuerint mihi dominati idest si ego non obediero eis, & secutus fuero eorum doctrinam, & exemplum, tunc manebo mundus a maximo delicto superbiæ, & placebunt tibi orationes meæ, & meditationes meæ idest. Si ego fuero humilis, meæ preces, & meæ meditationes placebunt tibi, erunt semper in conspectu tuo idest non refutabis eas.

Annot. in Psalm. 19.

EXAUDIAT TE DOMINUS &c. Dicunt multi quod est oratio populi Israel pro prosperitate David, præsertim in bellis. Et sic cujuscunque populi pro prosperitate sui Principis aut magistratus. Sed melius Cajetanus dicit, quod est de salute fienda per Messiam, & ejus exultatione; unum optime applicatur ad Christum pendentem in Cruce (ut innuunt Augustinus, & Hieronymus) & est vox Ecclesiæ vel Prophetæ ad ipsum per totum psalmum, & est clarissimus sensus.

§. 6. NUNC COGNOVI &c. Gratias agit populus, vel Ecclesia pro viso beneficio in servatione sui Regis, aut Christi, & addit IN POTENTATIBUS DEXTERÆ EJUS EST SALUS, idest in potentiis aut fortitudinibus dexteræ Dei.

§. 7. (Quia plurimis modis salvat) consistit certa salus, juxta illud psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem &c. Hi in curribus, & in equis* confidunt, & pugnant, *nos autem*.

§. 8.

§. 9. Ipsi obligati sunt. Hebr. ipsi succubuerunt &c.

Annot. in Psalm. 20.

DOMINE IN VIRTUTE TUA LÆTABITUR. Dicunt quidam quod est gratiarum actio populi congratulantis Regi David super victoriis, & beneficiis sibi à Deo præstitis, sed melius cum Sanctis & Cajetano est vox Ecclesiæ lætantis de regno, & triumpho Christi, & gratias agentis. Christus dicitur præventus in benedictionibus, tum quia a conceptione plenus gratia, & sapientia, tum

§. 4. quia primitiæ resurgentium. Ideo subjungit. VITAM petiit a te &c.

§. 7. QUONIAM REX SPERAT IN DOMINO. Et in misericordia altissimi non mutabit scilicet ut aliquando diffidat.

§. 8. INVENIATUR MANUS &c. Ecce victoria ac vindicta hostium Christi.

§. 9. PONES EOS UT CLIBANUM &c. Vatabl. velut fornacem accensam red-

reddidisti eos in tempore iræ tuæ, nou videtur alius locus in veteri testamento, ubi tam claris, & horribilibus verbis depingatur pœna damnatorum sicut hic unus. Juxta hebr. sequitur *Dominus in ira sua devorabit eos*, *& ignis comedet eos*.

FRUCTUM EORUM (prolem Judæorum) DE TERRA PERDES &c. ponitur punitio Judæorum in filiis unum Osee 7. *erunt vagi in nationibus*. §. 10.

QVONIAM DECLINAVERVNT IN TE &c. Idest Judæi in te, Christe, rejecerunt mala, quibus ipsi digni erant scilicet tormenta, & mortem. Hebr. quoniam *moliti sunt adversum te mala* &c. & tamen non potuerunt efficere quod intendebant scilicet delere nomen Christi de terra. §. 12.

PONES EOS DORSVM. Idest post tergum, idest postponentur, & derelinquentur penitus a te: IN RELIQUIIS TVIS PRÆPARASTI VVLTVM EORUM; reliquiæ sunt res relictæ scilicet *as aparas as fezes*: dicit ergo Propheta quod Judæi occidentes Christum sunt de numero a Deo relictorum ex divina ordinatione seu præparatione. Augustinus exponit quod mediantibus bonis terrenis scilicet honoribus, divitiis, quæ dicuntur reliquiæ Christi quia ea reliquit) præparatus est vultus Pharisæorum, & Scribarum ad persequendum Christum, quia ex hoc facti sunt contra eum impudentes, & frontosi. Hebr. secundum Hieronymum *Funes tuos firmabis contra facies eorum*, idest quoquo se vertant involventur mille malis, & angustiis, ut videmus nunc impletum in Judæis, ideo Osee 5. dixit Deus quod erat futurum, *quasi tinea*, *& quasi leæna Ephraim*, idest Judæis, donec (ait) quæratis faciem meam. Alii exponunt pones eos dorsum idest ad onera portanda, quia Judæi relicti portant onera legis, sed frustra, quasi dicat *falos bas bestias de Carga*. §. 13.

Annot. in Psalm. 21.

DEUS DEUS MEUS RESPICE &c. Evidens est esse de passione Christi vaticinium: titulus habet, *victoria super cerva matutina* (idest humanitate Christi quæ nocte fuit capta a canibus venaticis ut hic dicit, *circumdederunt me canes &c.* & tota nocte vexantes, mane tradiderunt Pilato ad morrem) vel potius dicitur *Cerva auroræ*, quia in passione Christi, cœpit aurora mundi spiritualis. Vatabl. Sic vertit, Deus meus Deus meus, cur deseruisti me. cur longe (abes) a salute mea, a verbis rugitus mei! Deus meus invoco per diem, & non respondes, per noctem, neque est silentium mihi idest incessanter die noctuque, & non occurris, imo velut inexorabilem, & implacabilem te ostendis mihi, reputans me quasi vermem, & non hominem, seu novissimum hominum ut Isa:63. Et ut dicit Augustinus *hic Dominus flagellabatur*, *sputis deturpabatur*, *coronabatur*; &c. & nemo subveniebat; ideo dicit, in te speraverunt, & liberasti eos, me autem noluisti liberare a passione, & morte, sum vermis (ait) quia ad nihilum redactus, & quia vermis de carne sine coitu nascitur, ut dicit Augustinus, non homo. VERBA DELICTORUM MEORUM, quia (inquit Hieronym.) *Deus delicta nostra sua reputat*. Zachar.3. *Jesus habebat vestimenta sordida*, idest nostra peccata: Ambrosius sicut in die judicii dicet quod miseriæ suorum suerunt suæ, esurivi &c. Augustinus psalm.37. & psalm.131. dicit, *Ecclesia est unus homo*, *cujus caput est in cœlo* scilicet Christus, & corpus in terra scilicet Christiani. Hic unus homo loquitur in multis psalmis aliquando ratione capitis, seu ea quæ congruunt capiti, aliquando ea quæ congruunt corpori, & hoc secundo modo dicit se habere delicta. Hebr. *Longe (abes) à salute mea à verbis rugitus mei*. NOCTE, & die cla-

ma-

mabat humanitas; *Transeat à me calix iste*, at non fuit ad insipientiam mihi; quam non exaudirer in hoc, imo ad gloriam, & sapientiam. Hebræus, ubi nos habemus, & non ad insipientiam mihi, habet; & non est silentium mihi.

§. 2.

§. 8. SPERAVIT IN DOMINO. Hebr. retulit omnia sua ad dominum, salvum faciat eum, quoniam amat eum. Verba insultantium Christo in cruce, vel discipulis ejus.

§. 9. QUONIAM TU ES QUI ESTRAXISTI ME. Loquitur Christus, & insinuat illud singulare miraculum suæ conceptionis de Spiritu Sancto, & nativitatis salva virginitate Matris: Et solus Christus fuit extractus ex sola Matre non ex lumbis Patris, sicut apis extrahit mel de flore sine violatione floris.

§. 10. QUONIAM TRIBVLATIO PROXIMA EST. Ideſt violenter hæret mihi, & premit me. eum jam esset in cruce non vult dicere quod de proximo est futura.

§. 13. SICVT AQVA EFFVSVS SVM. Ideſt sanguis meus fuit effusus vilissime quasi aqua, quæ prodigalissime funditur, quia nihil valet; sicut alibi, effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Hierusalem, ossa dispersa ideſt *desconjuntados*.

§. 14. COR MEVM LIQVEFACTVM EST IN MEDIO VISCERVM MEORVM. Attende quod cor hominis constituti in maxima angustia & terrore mollescit, & labescit. Virtus activa omnino desiccata est, tanquam testa, & est in habilis ad operandum, & adhæsit lingua ideſt sitivi, *& in pulverem mortis* ideſt in mortem.

§. 15.

§. 27. EDENT PAVPERES &c. Humiles: videtur loqui de manducatione verbi Dei, quia subjungitur, *vivent corda eorum*.

§. 31. MANDVCAVERVNT ET ADORAVERVNT DIVITES TERRÆ &c. Intelligitur de conversione divitum, ac potentium secundum seculum ad Christum. Isti enim, qui ante corde descenderunt in terram soli terræ adhærentes proni ceciderunt in terram adorantes Christum, & manducantes corpus ejus; sed melius dicitur, quod per hæc significatur cessatio omnis respectus personarum quia tam divitibus, quam vilibus aperitur janua fidei. De potentibus dicit, manducaverunt omnes pingues terræ, De vilibus, & contemptis subjungitur, in conspectu ejus genua flectent omnes qui descendunt in pulverem ideſt viles, & pauperes, ut Isa. 47. *sede in pulvere*.

Annot. in Psalm. 22.

DOMINVS REGIT ME &c. In hoc psalmo describit David curam Dei erga se sub allegoria pastorali.

Annot. in Psalm. 23.

DOMINI EST TERRA &c. Materia hujus psalmi est salus universæ terræ per Messiam.

ATTOLLITE PORTAS PRINCIPES &c. Hieronymus, & Augustinus intelligunt de ingressu Dei ad Animam: & monet principes infernales, & etiam terrenos, ut semoveant portas, seu impedimenta, quæ apposuerunt cordi ne Deus ingrederetur scilicet cupiditatum, & timorum vanorum (& eleventur aliæ portæ æternæ loco tollendarum scilicet cognitio Dei vera, ac dilectio, & sic introibit Christus. Alia versio loco de *æternales*, habet *mundi*, quia patet psalmi expositio.

tio. Exponitur etiam de descensu Domini ad inferos, & de ascensu ad cœlos.

Judaizantes exponunt de intromissione Arcæ in templum in qua Deus residebat. Dic igitur cum illis qui dicunt, quod cum dicitur, *attollite*, est jussio Spiritus Sancti jubentis, quod omnia Christo cedant, & pareant.

Annot. in Psalm. 24.

AD TE LEVAVI ANIMAM MEAM &c. Oratio ardentissima constituti in afflictionibus precantis ne discedat a virtute, dicit Cajetanus quod fecit eam David in persecutione Absalonis.

Annot. in Psalm. 25.

JUDICA ME DOMINE QUONIAM. Est oratio David, in persona Christi, ut defendatur ab injuria adversariorum, præsertim Saulis in causa regni: objiciens suam innocentiam. Non infirmabor. Hebr. non nutabo.

Annot. in Psalm. 26.

DOMINUS ILLUMINATIO MEA &c. Est oratio David in persona Christi ostendentis suam fiduciam in Deum, & petentis cum suis membris frui consortio Dei, & liberari ab adversariis. Hic habes quod *iniquitas* (idest testis falsus) *mentitur sibi*, idest in suum damnum; quia sanctis in bonum æternum cedit.

Annot. in Psalm. 27.

AD TE DOMINE CLAMABO DEUS &c. Est oratio fidelis petentis ne pereat cum impiis. IN LACUM idest sepulchrum, & etiam infernum.

QUONIAM NON INTELLEXERUNT OPERA DOMINI. Et in opera manuum ejus, supple, non intenderunt animum: sequitur (hinc fit) *quod destrues illos & non ædificabis eos*.

Annot. in Psalm. 28.

AFFERTE DOMINO FILII DEI &c. Argumentum psalmi est, invitatió omnium fidelium ad laudem in ejus templo. o vos filii Dei, o vos fideles, qui estis filii arietum ducum gregis Christiani idest Apostolorum, afferte vos metipsos Deo. Vatabl., & Campen. vertunt, *gloriam, & fortitudinem*, ubi nos habemus *filios arietum*.

VOX DOMINI. Juxta literam vox Domini, idest jussus Domini, & sic per totum psalmum, & significatur quod jubente Deo pluit, & eduntur tonitrua, confringuntur cedri, & ita comminuit eas (ipsas cedros, procella, vel fulmine) ac si essent caro tenera vituli. §. 3.

Vox Domini super aquas, idest vox Evangelicæ tubæ super populos multos: hæc vox *fuit in virtute, & magnificentia, & confregit cedros*, idest superbos, humiliando eos ad pœnitentiam. Et illa vox *comminuit eos tanquam vitulum libani*, idest tanquam Christum, quia facit eos similes humilitati, & mansuetudini Christi, & illa voce excitantur ad dilectionem Dei, quemadmodum facit ille di-

dilectus Patris Christus, qui etiam est filius unicorniorum secundum carnem, ideſt Judæorum, qui dicuntur unicornes ob superbiam, & crudelitatem, & confidentiam in ſua juſtitia. Sic exponunt Auguſtinus, & Hieronymus. Juxta Hebr. non habetur, *dilectus*, ſed Saron mons, quem Dominus facit ſaltare, aut tremere, ſicut pullos unicorniorum, & ſignificatur tremor terræ ad juſſum Domini.

Igitur hebr. habet, vox Domini confringentis cedros Libani, & ſubſilire eos facit ſicut vitulum, Libanum quoque, & Saron ſicut filium unicornium, quo ſignificatur juxta literam, quod quando fiunt magna tonitrua quæ hic dicuntur vox Domini (cadunt cedri, & diſſecantur ex impetu ventorum, & in tremore terræ, cedri, & montes ſaltare videntur. Et ſequitur juxta Hebr. vox Domini diſſectas, ſeu diviſas flammas ignis ejaculatur, quia cum tempeſtate mittit fulmina.

At myſticè juxta Hieronym. vox Evangelicæ prædicationis interdicit flammam libidinis, ac concupiſcentiæ, quia eam mitigat, ſicut etiam ipſa vox (ut dicit ipſe & Auguſtinus) concuſſit deſertum gentilitatis ad fidem, & pœnitentiam, quæ gentilitas ante erat quaſi deſertum, & quaſi ſine Deo, & ſine lege in hoc mundo; *Et commovit Dominus hoc deſertum Cades.* Cades interpretatur commotio tineæ, quia prædicatione commota eſt conſcientia illorum ad ſanctos remorſus. Juxta Hebr. habetur vox Domini parturire facit deſertum, *parturire faciet Dominus deſertum Cades*, ideſt feras incolentes illud deſertum.

§. 8. VOX DOMINI PRÆPARANTIS CERVOS. Ideſt ſanctos prædicatores ad fontem vitæ currentes: *Et revelat condenſa*, ideſt obſcura ſcripturarum, & myſteriorum. ſic Hieronymus, & Auguſtinus. Juxta Hebr. habetur *vox Domini parturire facit cervas, & renudat ſilvas.*

§. 9. DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIT. Scilicet tempore Noe. Ideo timete illum, quia terribilius diluvium ignis conflagrationis imminet. At Hieronymus exponit de diluvio ſpirituali abundantiæ gratiæ.

Annot. in Pſalm. 29.

EXALTABO TE DOMINE QUONIAM SUSCEPISTI. Eſt gratiarum actio David liberati ab inimicis, vel melius eſt gratiarum actio Chriſti pro ſua liberatione: unde invitat omnes ad laudandum Deum, & primi quatuor verſus ſunt clari, & eſt clara prophetia de reſurrectione Meſſiæ, ut dicit Auguſtinus.

§. 5. QUONIAM IRA (ideſt vindicta) IN INDIGNATIONE EJUS. Quando indignatur contra impios adducit vindictam. Juxta hebr. pulchre habetur. *Momentum in ira ejus* &c. ideſt breviſſimo tempore nos affligit, at per totam vitam beneficia multiplicat, nam quamvis ad veſperam aliquam tribulationem immittat, tamen mane mox adducit conſolationem, juxta illud, *ſecundum multitudinem dolorum meorum*. Item *ego percutiam, & ego ſanabo.*

CONSCIDISTI SACCUM MEUM. Pulchra figura deſcribit conſolationem divinam per conſciſſionem veſtis lugubris.

UT CANTET TIBI GLORIA MEA &c. Poſtquam aliquis divina miſericordia elevatur ad fervores charitatis, & gratiam contemplationis (quæ eſt gloria noſtra) tunc jam conſcientia non reprehendit ipſum de aliquo gravi, juxta illud Job. *Nunquam reprehendit me cor meum in vita mea.* Et Joan. *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos.* &c. Ideo dicit, non compungar. hebr. & non ſilebo.

Juxta Hieronym. & Auguſt. dictus pſalmus dicitur ex perſona Chriſti reſurgentis.

IN

Annot. in Pſalm. 30.

IN TE DOMINE SPERAVI NON CONFUNDAR &c. Auguſtinus dicit quod eſt intelligendus pſalmus, quaſi dictus ex perſona Chriſti aliquando pro perſona ſua, aliquando pro Eccleſia, in qua ipſe loquitur: ſi ſunt duo in carne una, quare non in voce una? poteſt etiam exponi de David in ſuis perſecutionibus, ut dicunt Cajetanus, & Vatablus.

ODISTI OBSERVANTES VANITATES. Ideſt odiſti intendentes rebus vanis, & ſupervacaneis, ut ſuperſtitionibus magicis, & pompis ſeculi &c. §. 7.

CONTURBATUS EST IN IRA OCULUS MEUS. Heb. corroſus, ſive caligavit. Quando homo conſiderat rigorem divinorum judiciorum contra peccatores perturbatur conſcientia, caligat mens, fugit conſilium. Auguſtinus etiam exponit de ira, qua fervent juſti, quando vident homines ore confitentes Deum, factis negantes: gemunt enim grana ſub palea, juxta illud, *zelus domus tuæ comedit me*. §. 11.

INFIRMATA EST IN PAUPERTATE &c. Corruit ob iniquitatem robur meum &c. §. 13.

SUPER OMNES INIMICOS MEOS &c. Ideſt ultra mala, quæ fecerunt mihi inimici mei, etiam vicinis meis factus ſum opprobrium, & etiam notis, ſeu familiaribus meis factus ſum horror, & pavor. Auguſtinus hic dicit, quod magis nocent Eccleſiæ mali Chriſtiani qui nondum receſſerunt a fide, quam infideles, noſtri manifeſti hoſtes. §. 14.

QUI VIDEBANT ME (hic punctum) FORAS FUGERUNT &c. §. 15.

FACTUS SUM TANQUAM VAS QUOD PERIIT. De quo nihil curatur, & excidit a memoria hominum, vel per vas perditum intellige vas rejectum in ſterquilinium quia jam reputatur inutile alicui uſui: talis ego fui. Quia omnes vituperabant me tanquam inutilem imo pernicioſum. §. 16.

ILLUSTRA FACIEM TUAM SUPER SERVUM &c. Sæpe David petit lumen a Domino, & merito, quia alias non ſolum manemus tenebroſi, ſed ſumus ipſæmet tenebræ ut dixit Joann. *Tenebræ eam non comprehenderunt*, & Paulus ad Epheſ. 6. vocavit Dæmones *rectores tenebrarum harum*, ideſt hominum carnalium (pondera). Et ad Epheſ. 5. *fuiſtis aliquando tenebræ*: non dixit tenebroſi. Quid eſt homo? id quod cogitat & amat, nihil aliud ſignificat, & tenebras cogitat, nihil aliud quam tenebræ eſt. §. 20.

DOMINE NON CONFUNDAR. (ideſt non fruſtrabor ſpe mea) QUONIAM INVOCAVI TE.

QUAM MAGNA MULTITUDO DULCEDINIS. Auguſtinus exponit quam magna eſt dulcedo amoris Dei erga ſuos electos: quam tamen non vult oſtendere eis in hac vita, ne inſoleſcant, & torpeant, cum oporteat in timore vivere; ſicut ſolent patres, & Domini abſcondere ſpecialem amorem quem habent ad aliquos ne diſſolvantur! quia tamen aliquando apparent coram hominibus ſigna hujus abſconditi amoris, ut patet in multis ſanctis, qui miraculis, & aliis ſignis oſtendebant hominibus quantum a Deo diligebantur, ideo ſubjungit, *perfeciſti eis*, ideſt dilectionem, & dulcedinem abſconditam perfeciſti, & conſummaſti etiam coram filiis hominum. Et ſimpliciter exponendo vult dicere, quod Deus magna bona habet abſcondita, ut conferat dilectis ſuis, quæ debito opportuno illis tribuit, hoc experiebatur David in ſe ipſo. §. 23.

§.27. DOMINUS MIRIFICAVIT MISERICORDIAM SUAM MIHI. Ita ut manerem securus ab inimicis suis, quasi homo qui habitat in civitate munita. Textus Augustini habet *mirificavit misericordiam suam mibi in civitate circumstantiæ*, idest in Hierusalem (quæ est in medio mundi undique circumdata a gentibus, ut ipse dicit, & etiam Hieronym.) ubi fuerunt impleta mysteria Christi.

§.28. EGO AUTEM DIXI IN EXCESSU MENTIS MEÆ. Idest in pavore meo, ut gloss. Augustinus. Vatabl. Ego cum præceps fugerem, cogitabam, projectus sum abs te.

In hoc psalmo super illud, *perfecisti eis* &c. dicit Augustinus quod suo tempore pauci erant non Christiani respectu Christianorum, ita ut non posset objici alicui, quare tu es Christianus? Sed potius quare tu non es Christianus?

Annot. in Psalm. 31.

BEATI QUORUM REMISSÆ SUNT. Hebr. Beati exonerati à transgressionibus quoniam tacui &c: Argumentum psalmi est de divina gratia condonativa peccatorum. Hieron. & August. exponunt quoniam tacui à confessione peccatorum. (cum tamen clamarem tota die vel excusando peccata mea, vel jactando vanitates meas, & alia verba inordinata, ideo vires spiritus mei ad bonum debilitatæ sunt. Alii exponunt (sicut vatab.) quoniam tacitus mecum cogitavi peccata mea, hinc factum est, quod tota die clamavi gemendo pro eis, adeoque defecerunt vires corporis ob dolorem & fletum; unde in sequenti, ubi nos habemus, *conversus sum in ærumna mea* (quod Hieron. & August. exponunt, quod post quam Dominus aggravavit super me manum suam flagellis tribulationum, hinc factum est, quod converterer ad considerandum ærumnas, seu miserias meas, & inciperet conscientia peccatorum stimulare me) Juxta hebr. habetur, *conversus est succus meus in siccitates æstivas*, quo significatur desiccatio carnis ob laborem pœnitentiæ, & abstinentiæ.

§. 8. VERUMTAMEN IN DILUVIO AQUARUM &c. Augustinus per aquas multas intelligit, vel varietatem doctrinarum hæreticarum (hoc diluvium nunc videmus) quod diluvium summe impedit homines Deo approximare, vel tribulationes in fine mundi, vel in hora mortis quando homines vix possunt de novo ad Deum converti. Sed magis mihi placet quod li, *eum*, non referat Deum, sed virum sanctum, de quo immediate dixerat, Ad quem virum sanctum non pertingit diluvium tribulationum, quia semper hæret Deo juxta illud, *propterea non timebimus dum turbabitur terra*, *&c.* Et hæc est Hieronym., & Vatabli.

§.12. MAXILLAS EORUM CONSTRINGE. *Qui jactant merita sua, & tacent peccata sua*, Augustinus.

Annot. in Psalm. 32.

EXULTATE JUSTI IN DOMINO &c. Exhortatur justos ad lætitiam, & laudem Dei, quia electi sunt ad cultum, & hæreditatem Dei,

§. 7. CONTINET AQUAS MARIS QUASI IN UTRE. Ne obruant terram, & ponit abyssos, idest multitudines aquarum, *in thesauris*, idest in abditis penetralibus terræ: dicit Augustinus quod quando Deus cohibet ne impius possit nocere justis, ut desiderat, continet in utre aquas maris, idest amaras cogitationes.

§.8. TIMEAT DOMINUM OMNIS TERRA, AB EO AUTEM COMMOVEANTUR. Idest metuant, ut habet Vatabl.

BEA-

BEATA GENS CUJUS EST DOMINUS &c. *Nullus* (ait Augustinus) *est beatus nisi factus sit melior quam quando erat miser*. Res autem deteriores homine (quales sunt omnes quæ sunt in mundo) non possunt facere eum meliorem. Cum ergo solus Deus sit melior, illum tibi accipe, & beatus eris, aurum si volueris, forte non habebis: Deum si volueris mox habebis. Paulus dicit de Apostolis, *nihil habentes, & omnia possidentes*. Quare! quia possidebant Deum. Sic Augustinus psalm. 48. §.12.

QUI FINXIT SIGILLATIM CORDA EORUM. Vatabl. Ipse omnium corda pariter finxit (Augustinus disserit quomodo Deus diversis cordibus tribuit diversa dona gratiarum.) §.15.

FALLAX EQUUS AD SALUTEM. Res fallax est equus ad præstandam salutem, qui esto sit abundantissimæ virtutis seu fortitudinis, neque propter hoc salvabitur homo, qui in tali equo confidit. §.17.

Annot. in Psalm. 33.

BENEDICAM DOMINUM IN OMNI TEMPORE &c. David liberatus ab Achis gratias agit, & hortatur milites suos ad timendum, & laudandum Dominum.

MAGNIFICATE DOMINUM MECUM, ET EXALTEMUS NOMEN EJUS IN UNUM. Hic agit Augustinus contra hæreticos divisores: Et super illud divites eguerunt, optime disserit de egestate spirituali. §.3.

IMMITTET ANGELUS DOMINI. Hebr. castra figet Angelus Domini in circuitu &c. §.7.

VULTUS DOMINI. Idest ira Domini. §.17.

CUSTODIT DOMINUS OMNIA OSSA EORUM. Idest virtutes scilicet tolerantiam, patientiam, fortitudinem &c. hæ enim non franguntur in sanctis, quantiscunque tribulationibus premantur, quia Dominus custodit eas. §.20.

QUI ODERUNT JUSTUM DELINQUENT. Hebr. devastabuntur. §.22.

Multa habes ab Augustino hic de veritate Sacramenti Eucharistiæ.

Annot. in Psalm. 34.

JUDICA DOMINE NOCENTES ME. Hebr. suscipe Domine litem meam, David, ut typus Christi, implorat opem Dei, ut judicis, qui causam suam agat, & eum liberet: agitur enim hic (ut dicit Cajetanus) de passione, & resurrectione Christi.

APPREHENDE ARMA, ET SCUTUM. Magnum spectaculum (ait Augustinus) videre Deum armatum pro te. Hebr. habet accipe scutum, & lanceam. §. 2.

EFFUNDE FRAMEAM. Framea est hasta vel gladius, ideo hebr. habet, expedi hastam, & prodi obviam persecutoribus meis. §.3.

FIANT VIÆ ILLORUM TENEBRÆ &c. Et Angelus Domini impellat eos Heb. quis (ait Augustinus) non horreat solas tenebras, vel solum lubricum? Quanto magis utrumque? §.7.

QUONIAM GRATIS ABSCONDERUNT &c. Gratis, & supervacanee, idem est, ac si dixisset immerito, & sine causa. §. 8

SUPERVACUE EXPROBAVERUNT ANIMAM MEAM. Idest probris, & maledictis me afficiebant, falsetamen, nam & probare non poterant. Ideo di-

dicit infra, surgentes testes iniqui, quæ ignorabam (seu nunqnam cogitaveram, juxta hebr.) hæc rogabant, seu imponebant mihi.

§. 9. VENIAT ILLIS LAQUEUS &c. Sicut (ait Augustinus) si quis veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat, vel si quis fodiat foveam, ut inimicus ejús in tenebris in eam cadat, & ille oblitus quod foderat, ambulans illa via prius cadat.

§. 11. OMNIA OSSA MEA DICENT &c. Carnes meæ lacerentur, tamen vires omnes clamabunt &c. Miratur Augustinus ardorem istius verbi.

§. 14. RETRIBUEBANT MIHI MALA PRO BONIS ORBITATEM ANIMÆ MEÆ. Secundum Hebr. ideſt extinctionem,& mortem. Augustin.,& Hieronym.exponunt, quod cum Christus attulisset Judæis fœcunditatem omnium bonorum, ipsi attulerunt ei sterilitatem omnium bonorum corporalium privantes eum etiam vita.

§. 15. EGO AUTEM CUM MIHI MOLESTI ESSENT &c. Ideſt inimicis me persequentibus, ego non solum non vindicabam, imo dabam bona pro malis faciendo pœnitentiam pro illis, orando pro illis, nam oratio mea in sinu meo vertebatur pro illis, ideſt diligenter vacabam orationi pro eis, vel oratio in sinum meum convertatur, ideſt *aquillo me venba à my que eu à Deos pedia pro elles* (Sic Vatabl) Augustinus, & Hieronymus exponunt de Christo, quod pro suis inimicis induit se cilicio carnis mortalis, jejunavit, & oravit.

§. 17. QUASI PROXIMUM, ET QUASI FRATREM &c. Ideſt quasi essem illorum frater, & amicus, sic in omnibus bonis conabar eis complacere, & non conversabar cum eis in superbia, & supercilio, sed potius humiliabar coram eis, quasi homo contristatus, & in luctu manens; sic Christus.

§. 18. ET ADVERSUM ME LÆTATI SUNT &c. Dederunt mihi multa flagella, & ego ignorabam causam. si intelligas de David, vocat tribulationes flagella.

§. 19. DISSIPATI SUNT NEC CONPUNCTI. Cum anima illorum tot sceleribus intus dissiparetur tamen non habebant stimulum compunctionis conscientiæ ob inveteratam malitiam.

ODERUNT ME GRATIS, ET ANNUUNT OCULIS. Ideſt oculis, & vultu simulant amicitiam, sicut etiam verbis simulabant amicitiam ut statim sequitur, quoniam mihi pacificè loquebantur. Alii glossant certo quodam modo *de dar d'olho* qui dicitur nictare, quod est signum quo ostendimus exultationem nostram ex malis alienis conceptam, prima est August.

§. 23. IN IRACUNDIA TERRÆ LOQUENTES. Hebr. contra mansuetos terræ *vel dic*, quod illi inimici aliquando pacificè loquebantur, aliquando verbis ostendebant iram suam & odium contra me, & quando viderunt me in tribulatione constitutum, dicebant insultando He He, jam viderunt oculi nostri quod desiderabant. Sic fecerunt Judæi Domino in cruce pendente. vel ut Augustinus glossat ironice dicebant, viderunt oculi nostri, ideſt tam manifestis signis vidimus ipsum esse filium Dei, ecce in cruce est, nec poteſt se salvare.

§. 25. VIDISTI DOMINE NE SILEAS. Christus vel Propheta ad Deum convertit sermonem

An-

Annot. in Pſalm. 35.

Agitur in hoc pſalmo contra profundam cæcitatem impiorum libertatemque peccandi.

DIXIT INJUSTUS UT DELINQUAT. Ideſt (ut dicit Auguſt.) in animo ſtatuit delinqnere, ac vivere ad libitum: & quare in ſemetipſo hoc decrevit! quia non timet Deum, eſto coram hominibus velit apparere bonus.

§. 2. QUONIAM DOLOSE EGIT &c. ideſt. Et quoniam ſic doloſe egit ante oculos Dei habendo tam deteſtandum propoſitum, factum eſt, ut iniquitas ejus non eſſet digna venia, & miſericordia, ſed odio æterno.

§. 4. INIQUITATEM MEDITATUS EST IN &c. O dulcis uxor Sapientia Dei, duc illam quia nullam habet amaritudinem converſatio illius, quieſce cum illa, non te inde ejiciat fumus malæ conſcientiæ, ut dicit Auguſtinus.

§. 5. DOMINE IN CŒLO MISERICORDIA TUA. Exclamat Propheta, o Domine nonniſi in Cœlo manifeſtatur miſericordia tua vera, ideſt, ſolum cum illis miſericorditer agis, quos ad cœleſtia bona præparas, nam miſericordia, quam communicas in terra talibus peccatoribus dando eis terrena dumtaxat, non eſt vera miſericordia, imo ſevera juſtitia, ſed debita peccatoribus, vel dic quod Propheta prorumpit in admirationem divinæ miſericordiæ, & juſtitiæ, quarum utraque eſt maxima, & ideo comparat juſtitiam montibus, & dicit judicia ſua circa derelictionem peccatorum, & attractionem electorum ſunt abyſſus inſcrutabilis. (§. 6.) Et loquendo de miſericordia præſentis ſeculi, ſubjungit, quod Deus ſalvat homines, & jumenta; (§. 7.) qui utriſque dat temporalia beneficia, juxta quod dicit in alio Pſalmo, quod Dominus parat eſcam catulis Leonum, & filiis Corvorum, & de hac etiam miſericordia terrena dixit in alio Pſalmo, miſericordia Domini plena eſt terra, at hic dicitur multiplicata ad homines, & jumenta, & quia tam juſti, quam injuſti fruuntur hac miſericordia, ideo etiam per homines intelliguntur juſti, per jumenta peccatores, quia homo cum in honore eſſet, non intellexit &c. at quia juſtis, & electis ſervat ſpecialem, & æternam miſericordiam, (§. 8.) imo de illis ſubjungit, filii autem hominum &c. quia iſtorum eſt in ſola divina bonitate fidere, & requieſcere ſicut pulli gallinæ ſub alis ejus. o (dicit Bernardus) nolo illam miſericordiàm, de qua per Iſaiam dicit Dominus miſereamur impio, & non diſcet facere juſtitiam. Hunc ſenſum innuit Auguſtinus.

§. 12. NON VENIAT MIHI PES SUPERBIÆ &c. Superbi non invadant me, prævalentes mihi, ac commoventes me, quin potius illi, qui pedibus, & manibus veniunt contra me, cadent in eam foveam, & in ea mala, in quæ conantur me impellere. Auguſtinus exponit de fugiendis exemplis, & ſuaſionibus ſuperborum.

Annot. in Pſalm. 36.

NOLI ÆMULARI IN MALIGNANTIBUS. Admonet, ne torqueamur triſtitia, eſto videamus in hoc mundo malos proſperari, quia felicitas terrena nihili æſtimanda eſt, & cito perducit ad æternam infelicitatem. Hic tractat Auguſtinus quomodo in omni profeſſione hominum ſunt aliqui ficti, & mali, & tractat illa verba unus aſſumetur, & alius relinquetur.

§. 5. REVELA DOMINO VIAM TUAM ideſt (juxta Auguſtinum) Indica Domino quid patiaris, & quid deſideras, & confide in eo, & ipſe ſuccurret. Hieronymus juxta hebr. transfert, volve ſuper Dominum viam tuam (ideſt reji-

rejice super eum onera tua, & tuæ vitæ dispositionem) & confide in eo, & ipse omnia tua ad optatum finem perducet.

§.6. ET EDUCET QUASI LUMEN JUSTITIAM TUAM &c. Quia justitia fidei transibit in lumen gloriæ, ut exponit Augustinus, impii autem in tenebris conticescent, vel judicabit te de impiis, qui persequebantur, & apparebit claritas causæ, & innocentiæ tuæ.

§.8. DESINE AB IRA, ET RELINQUE FUROREM. Idest cessa jam animo indignari, & ægre ferre, quod impii prosperentur in hac vita.

§.16. Quid turbaris contra persequentem te! Si tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas: Augustinus, & dicit quod pro æterna felicitate, æternus labor sustinendus esset, at quia non perveniretur ad requiem dat Dominus nomen tantum.

§.22. GLADIUM EORUM INTRET. Hebr. Gladius eorum transverberavit cor ipsorum, & arcus eorum confringetur.

§.24. MUTUABITUR PECCATOR ET NON SOLVET. Hieronymus transtulit, fœnus accipit peccator & non reddit.

APUD DOMINUM GRESSUS HOMINIS. Heb. A Domino gressus hominis (justi) dirigetur, & via ejus grata erit ei.

§.26. NON VIDI JUSTUM DERELICTUM. Augustinus. Quia convincitur fateri quod multi justi egerunt pane corporali, ut Paulus &c. glossat de pane verbi Dei, quo fuit satiatus justus noster Christus, & omnes ejus veri Christiani. Hoc modo exponit Hieronymus.

§.33. NEQUE DAMNABIT EUM CUM JUDICABITUR ILLI. Idest cum causa justi fuerit deducta ad judicium non permittet Dominus quod justus damnetur ob calumnias contra eum confictas.

§.34. CONSIDERAT PECCATOR JUSTUM. Hebr. observat impius justum, & quærit ut occidat eum.

§.39. SUNT RELIQUIÆ HOMINI PACIFICO. Quare etiam si mortuus fuerit vivet. Augustinus.

In fine hujus psalmi dicit Augustinus pulchra in eos, qui objiciebant ei vitia præterita ante conversionem.

Annot. in Psalm. 37.

DOMINE IN FURORE TUO &c. David profugus ab Absalone postulat; quod Dominus non puniat illum juxta sua peccata, & est typus Christi in laboribus.

§.2. QUONIAM SAGITTÆ TUÆ. Per sagittas intelligit Augustinus omnes concupiscentias, & inordinatas passiones, quæ procedunt ex fomite. Sunt enim pœna peccati originalis, & etiam pœnalitates corporis, quæ etiam inde processerunt.

§.4. QUONIAM INIQUITATES MEÆ TRANSCENDUNT CAPUT, (Applicando psalmum ad Christum quando loquitur de peccatis loquitur in persona membrorum suorum, ut in principio psalmi 25.)

§.5. PUTRUERUNT, ET CORRUPTÆ SUNT &c. Vatabl. Sic vertit, computruerunt, & sanie diffluunt ulcera mea propter stultitiam meam. Augustinus legit, putruerunt livores mei. O (dicit Augustinus) quis non novit hos fœtores in vita humana? habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentiet quomodo puteant pec-

peccata, cui putori peccatorum contrarius erat odor ille, de quo Apostolus, Christi bonus odor sumus in omni loco, & unde hominibus talis odor? quia post odorem unguentorum tuorum (o Domine Jesu) currimus, & avertimus paulisper olfactum a putoribus nostris convertentes nos ad odores tuos, & sic aliquantulum respiramus. Et ideo nisi senseris fœtores tuorum ulcerum, numquam senties odores Christi.

§. 6. MISER FACTUS SUM ET CURVATUS SUM. Vatabl. Incurvus incedo, & depressus admodum scilicet pondere fascis peccatorum meorum non me possum erigere, nisi tu erigas, fac ergo, Domine, in me, quod fecisti in illa muliere de qua Luc.25. quæ 18. annis curva incedebat, neque se poterat erigere. Heu quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam &c. Sapienter ergo curvus incedo tota die, tota vita usque in finem idest mortem. O Domine erige cor meum ut videam cœlum. Augustinus.

Tota die contristatus sive mœstus obambulo postquam novi Deum, & quam abominabile est ab eo recedere postquam desideria cœlestis patriæ urgent me, non possum non mœstus incedere tota vita: augent hanc tristitiam quia video quotidie scelera increscere in mundo, extinctam charitatem, cupiditatem ardentem. Campensis sic vertit: Peccati pondere depressus supra modum humiliatus sum, toto die habitu lugubri obambulavi tristis, vel omne tempus mihi fastidiosum erat.

§. 7. QUONIAM LUMBI MEI IMPLETI SUNT ILLUSIONIBUS. Quid sunt carnales concupiscentiæ, nisi illusiones ad phantasticas, & falsas voluptates hiantes? Text. Augustinus habet, Anima mea impleta est illusionibus, quod exponit de phantasmatibus corporeis quæ molestant orantem.

§. 8. AFFLICTUS SUM, ET HUMILIATUS SUM. Non solum ob peccata, sed etiam ob exilium, unus titulus hujus psalmi habet, Psalmus David in rememoratione diei Sabbati; quod de Sabbato æternæ quietis exponit August. Hæc nos facit gemere & lugere, ut dicit Augustinus. Igitur gemamus (ut ipse dicit) cognoscamus ubi simus, recordemur Sabbatum, & patienter expectemus, quod ille promisit, qui in se ipso nobis patientiæ exemplum demonstravit. RUGIEBAM, non a gemitu carnis, non ob carnales causas, seu jacturas, ut homines putant quando audiunt aliquem exulantem. Sed rugio duntaxat a gemitu cordis, quem solus Deus cordis mei videt, qui a gemitu carnis gemunt, & ipse ab hoc gemendi sunt, ego autem non gemo nisi desiderio gratiæ, & visionis Dei mei.

§. 9. DOMINE ANTE TE OMNE DESIDERIUM MEUM &c. O tu Pater, qui vides in abscondito, non me frustres desiderio meo, non confundas me ab expectatione mea.

Ipsum desiderium tuum (ait hic Augustinus oratio tua est; & si continuum desiderium, continua oratio, de qua dicit Apostolus *sine intermissione orantes*, nam de oratione interiori (ait) Loquutus est, non præcepit quod sine intermissione genua flecteremus, & manus levaremus, sed quod sine intermissione oraremus interiori oratione, seu desiderio. Quicquid aliud agas, si desideras Sabbatum dictum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est: tacebis si amare desideras, sicut tacuerunt illi, de quibus dictum est, quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum: frigus charitatis silentium cordis est: flagrantia charitatis, clamor cordis est: si semper manet charitas, semper clamas, si semper clamas semper desideras, si semper desideras requiem recordaris, & semper ad eam gemis: nam quamdiu durat desiderium, durat & gemitus; nam esto aliquando

videas servum Dei ridentem, non putes mortuum esse ejus desiderium; ac gemitum ; ante Deum gemit, non semper pervenit ejus gemitus ad aures hominum, nunquam tamen recedit ab auribus Dei.

§. 10. COR MEUM CONTURBATUM EST &c. (quod est officium carnis, & Satanæ nisi jugiter conturbare spiritum servi Dei tentationibus) DERELIQUIT ME FORTITUDO MEA. pugna namque accidiarum remittit vigorem spiritus, & obfuscat lumen contemplationis, quod si per mortale à gratia cecidit, tunc vere in tenebris manet absque robore objectus hostibus animæ, non valens vitare novos casus quandiu non resurgit ab uno.

§. 11. AMICI MEI, ET PROXIMI MEI &c. Amici mei conjurarunt contra me, & propinqui mei recesserunt a me. Augustinus exponit ex persona Domini in passione in qua fuit desertus ab Apostolis qui juxta ipsum erant, & traditus a Judæis qui erant proximi, & amici jure sanguinis.

§. 15. ET FACTUS SUM SICUT HOMO NON HABENS &c. Vatabl. similis factus sum viro nihil audienti, & non habenti in ore suo quod pro se respondeat seu confutationes. Sic se habuit Dominus in passione.

§. 16. QUONIAM IN TE DOMINE SPERAVI &c. Hinc disce quod esto non habeas qui causam tuam defendat, imo omnes opprimunt te falsis testimoniis, si tamen tu innocens es, consolare, quia non cades a causa tua coram judice æterno.

§. 17. ET DIXI NE QUANDO SUPERGAUDEANT MIHI &c. Idest destinavi perseverare in patientia, & humilitate cognoscens hoc esse mihi utile, ne forte, si non sic fecero supergaudeant mihi inimici mei (scilicet mihi prævalendo, Deo sic permittente ob meam superbiam) qui quidem inimici, si commoventur pedes mei (paululum esto) a rectitudine, statim cristas erigunt, & insultant mihi loquentes magna contra me, quasi dicentes. Jam actum est de illo, jam offendit Deum suum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Campensis vertit. Nam istud postulo, ne inimici mei meo malo gaudeant, neque lapsu pedum meorum gratulentur.

§. 18. QUONIAM EGO IN FLAGELLA PARATUS SUM. Vatabl. Quia jam ità comparatus sum, ut claudus vivam, & dolor meus a me nunquam recedat. Augustinus exponit, quod omnis homo natus ex Adam, ad hoc nascitur ut flagella sufferat, quia nascitur de patre cui flagella debentur, in se & in filiis: quod si aliqui minus flagellantur hic, est quia desperata est intentio illorum, at vero quibus parata vita sempiterna necesse est ut hic flagellentur. Ideo enim scriptum est, *fili ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis, quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recepit*. Pater enim etiam dum flagellat parat hæreditatem flagellato, & non extraneo non flagellato, etiam filio in quo non fuit peccatum non pepercit Deus.

Et dolor meus in conspectu meo semper. Et quare dolebat? non quia flagellabatur (ait Augustinus) sicut dolent carnales in suis tribulationibus, sed ob causam ob quam flagellabatur, scilicet ob peccata, & ideo subjungit, quoniam iniquitatem meam &c. dolebat ergo de vulnere peccatorum non de medicina flagellorum.

Hic arguit Augustinus parentes, qui plangunt filium morientem, & non plangunt peccantem; cum magis deberent plangere viventem in luxuria, quàm morte ponentem finem luxuriæ.)

§. 20. COGITABO PRO PECCATO MEO scilicet sanando. Augustinus legit: Curam geram pro peccato meo, idest dabo operam, ut sanetur scilicet lachrymis, elee-

eleemosynis &c. ut dicit Aug. Gaudet egens de dato tuo, ut tu gaudeas de dato Dei. Si vis quod Deus non contemnat tuam egentiam, non contemnas tu egentiam illius, qui eget tua ope.

INIMICI MEI LÆTANTUR VIVUNT. Non gemunt ut ego: loquitur de carnalibus, de quibus in psal.: *Promptuaria eorum plena &c.* §. 20.

Annot. in Psalm. 38.

DIXI CUSTODIAM VIAS MEAS. Argumentum de brevitate vitæ, & vanitate studiorum humanorum. *Posui ori meo custodiam* (sive capistrum, aut fiscellam juxta hebr.) *cum consisteret peccator adversum me*. Chrysostomus dicit, quod hic peccator fuit Semei, qui maledixit David fugienti a facie Absalon eo tacente: siluit enim tunc David etiam a bonis verbis: poterat enim David respondere ei bona verba, & rationabilia, sicut & Dominus respondit percutienti se: sed neque bona voluit dicere: & ex hoc silentio renovatus est dolor: unde juxta hebr. habetur, dolor meus incrudescebat, & incalescebat cor meum intra me, & dum mecum immurmuro, ignis in me exardescebat &c. Dicit Augustinus quod plus dolet aliquando vir pius quia siluit a bonis non arguendo peccantes, quàm dolet, quia aliquando locutus est, quæ non debuit. §. 4.

LOCUTUS SUM IN LINGUA MEA idest (ut dicit Chrysostomus) Esto maledicenti mihi nihil responderem, tamen ad Dominum converti verba mea rogans illum, ut significaret mihi finem vitæ meæ, quia valde desiderabam mori. Augustinus exponit de silentio Christi in passione, & de fervore, & dolore sancti zeli domus Dei, quo intus comedebatur. §. 5.

SUBSTANTIA MEA TANQUAM NIHILUM ANTE TE. Hebr. *Ævum meum tanquam nihilum. Ecce mensurabiles*. Hebr. *tanquam palmos*. §. 7.

VERUMTAMEN IN IMAGINE &c. Chrysostomus exponit, quod homo vivus, & homo pictus nihil differunt quoad temporalis vitæ durationem, quia uterque æque finitur. Hieronymus, & Augustinus glossant, quamquam homo sit ad imaginem Dei, tamen frustra &c. Alii glos. pertransit quasi phantasma nocturnum. §. 9.

OPPROBRIUM INSIPIENTI idest Semei, ut Chrysostomus. QUONIAM TU FECISTI idest, Quoniam tu jussisti Semei, ut malediceret mihi, spectaculum mundo derideor ab amatoribus vanitatis. Augustinus. *Amove a me plagas tuas*. Tu Domine quia jam flagellasti me, cessa jam flagellare, & amove plagas, quoniam in increpationibus sive castigationibus tuis ego defeci, idest vehementer dolui ob fortitudinem manus tuæ flagellantis, quod tamen ut experior ex magna misericordia facis, videlicet ad sanandam iniquitatem latentem in homine: te enim dulci medico flagellante sanies occulta educitur, & marcescit homo sicut aranea educto veneno, & esto medendo crucies, tamen sanas, quæ omnia mecum cogitans, clare video, quod vane conturbatur omnis homo pro rebus momentaneis. Vatabl. & Campen. vertunt, tabescere fecisti velut a tinea (quæ vestem perdit) ubi nos habemus *aranea*. §. 12. §. 13. §. 14. §. 15.

AMPLIUS NON ERO idest Non revertar ad hanc vitam obnoxiam interitui, Chrysostomus. Campen. vertit, abstine paululum a flagellando me, ut vires pristinas recipiam priusquam emigrare cogar numquam rediturus huc. Augustinus exponit: Remitte mihi peccata, ut refrigerer exonerata conscientia ab æstu. Augustinus pertabescere, intelligit intus humilitate colliquescere, attenuari, & §. 18.

ad nihilum redigi ſicut ſe ipſum anihilabat Petrus cum diceret, *exi a me Domine*, & alius, *Domine non ſum dignus* &c. Sicut aranea paulatim colliqueſcendo corrumpitur, dum ex ſuis viſceribus telam texit, ſic homo cognita ſanie ſui peccati, intus extenuatur, humiliatur, & affligitur. Ideo etiam, vidi prævaricantes, & tabeſcebam, idest intus triſtitia diſcruciabar, *e me eſtava comendo comigo*: tabeſcere me fecit zelus: vel propter peccatum Adæ omnes morimur, *e nos desfazemos tao facilmente come ſe eſmaga bua aranba gorda*, ut innuit Auguſtinus pſalm. 143.

Annot. in Pſalm. 39.

EXPECTANS EXPECTAVI DOMINUM. Chryſoſtomus exponit de David in ſuis tribulationibus, & de Chriſto agente gratias ob ſui liberationem, vel ex parte Eccleſiæ agentis gratias pro redemptione. Juxta primum ſenſum *feces* ſunt variæ tribulationes, & per *canticum novum*, hymnum dictum pro gratiarum actione de receptis beneficiis. Juxta ſecundum Eccleſia loquitur petens adventum Chriſti, per *lacum fecis* intelligitur cultus idulorum, & ſtatus culpæ, & per hymnum novum, *gloria in excelſis Deo*, & per *petram* ſtabilitas æternorum bonorum, per *lutum fecis* carnales voluptates apud Auguſtinum, & per *petram* Chriſtum exponit, vel dic quod hymnus novus eſt, *Verbum caro factum eſt*.

Expectans expectavi ex Vatabl. cum diu ſollicite expectaſſem Dominum, tandem attendit ad me, & eduxit me de puteo illo calamitoſo, & denſo luto, quo intelligitur (ſecundum Auguſtinum) profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiſcentiis, de quo etiam dixit, *De profundis clamavi ad te Domine*: felix, qui inde educitur, cum ſcriptum ſit, quod *peccator, cum venit in profundum malorum, contemnit*.

§.6. BEATUS VIR CUJUS EST NOMEN DOMINI SPES EJUS. Non dona Dei, ſed ipſe Deus, eſt res ſperata, neque reſpexit ad faſtoſos, & ad eos, qui ad mendacia deflectunt.

§.9. AURES AUTEM PERFECISTI MIHI. Juxta quoſdam: hebreus habet; *Aures perfodiſti mibi* in ſignum perpetuæ ſervituris, ut in lege. At textus Chryſoſtomi, & Auguſtini habet: *corpus autem perfeciſti mibi*, & intelligitur de corpore Chriſti tam vero, quam myſtico.

§.11. IN CAPITE LIBRI. Hebr. *in volumine libri*. Et hunc ſequitur etiam Chryſoſtomus, & dicit, quod dicitur volumen, quia Judæi non habent ſcripturam, niſi in quodam volumine rotundo compoſitam, & complicatam. Auguſtinus exponit de capite libri pſalmorum, ſcilicet *Beatus vir*, quod de Chriſto intelligitur. Chryſoſtomus dicit de primo capite Evangelii præſertim ſecundum Joannem, loquitur enim hic Chriſtus. Vatabl. vertit *in pagina libri*.

§.12. ECCE LAB A MEA NON PROHIBEBO. Veh qui erubeſcit confiteri Chriſtum coram hominibus, & Evangelicas paradoxas pronnnciare liberè.

§.13. *Veritatem tuam* (fidelitatem, ac veracitatem in promiſſis implendis) *dixi*.

§.16. QUONIAM CIRCUMDEDERUNT ME MALA &c. Et non potui videre eorum numerum, quia multiplicatæ ſunt ſuper capillos &c. Auguſtinus intelligit de hebetatione viſus ſpiritualis, quam faciunt peccata, ſicut mali humores nocent oculis corporalibus.

§.17. MULTIPLICATÆ SUNT (iniqnitates) SVPER CAPILLOS CAPITIS MEI &c. Attende (ait Auguſtinus) quia ſi jam magna peccata caviſti, ſcilicet contra decem præcepta, time etiam minuta. Si projeciſti molam, vide ne arena obrua-

obruaris. Cor meum dereliquit me, ideft fe ipfum ignorat ob multitudinem peccatorum. Sed germanius videtur, *desmaey*, *pafmey*, multitudinem peccatorum meorum perpendens. Auguftinus expouit, *cor meum dereliquit me*, *cor meum fibi ipfi incognitum eft*.

Annot. in Pfalm.40.

BEATVS QVI INTELLIGIT SVPER &c. Chryfoftomus, Hieronymus, & Auguftinus per *egenum* intelligunt Chriftum, qui pró nobis egenus factus eft, ifte talis qui toto corde quærit Chriftum, etiam in terra facit eum Dominus beatum dando ei mirabiles internas confolationes, & non tradit illum in manibus Dæmonum, ut dicit Auguftinus, *& opem feret illi fuper lectum doloris ejus*, ideft in infirmitate carnis fuæ, ideft adjuvabit eum in tentationibus carnis fuæ infirmæ, & in tribulationibus, & perfecutionibus dat ei gratiam patientiæ, imo gaudii in eis: quod pulchra metaphora defcribit per verfationem ftrati, *porque revolvemos a cama*, *& battemos os colchoes*, *pa que o doente milbor fofrà a doenea*. Chryfoftomus, & Auguftinus per *verfafti*, intelligunt, *mutafti*, & fic habetur in hebreo, quare ille, qui jacebat In ftrato vitiorum, Dei flagellis (quæ hic dicuntur infirmitas) mutatur in virum fanctum, ita ut ex corde dicat, *ego dixi Domine miferere mei &c.* §.2. §.3.

ET SI INGREDIEBATVR, VT VIDERET &c. hoc eft quando ingrediebatur ad me invifeudum aliqnis inimicus meus, coram me vaua, blauda, & falfa loquebatur, cum nou haberet in corde, quod ore coram me dicebat, imo cor erat iniquitate plenum, ut ftatim indicabat, quaudo exibat a me, nam cum egrediebatur, foras loquebatur ea ipfa mala, quæ corde conceperat, non ipfa blanda, quæ coiam me dixerat, quod de Juda expouit Chryfoftomns.

ADVERSVS ME SVSURRABANT. Chryfoftomus, & Hieronymus, & Auguftinus exponunt de Judæis confpirantibus ad mortem Chrifti. §.8

VERBVM INIQVVM STATVERVNT. *Tolle tolle*, *crucifige*: fed dicit Chriftus, nunquid efto dormiam fomno mortis, *non adjiciam*, *ut refurgam*? imo. §.9.

ET HOMO PACIS MEÆ. Omues exponunt de Juda: imo Dominus exponit, de Juda Joan.13. §.10.

Annot. in Pfalm. 41.

QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS. Eft oratio David pulfi ab Abfalone defiderantis redire ad cultum Dei in tabernacnlum. Et eft typus fidelium fufpirautium ad cœleftem patriam. Hebr. *gemit*, vel *glocitat &c.* dicit hic Auguftinus, quod cervus ferpeutes enecat, & ipfis peremptis majori fiti inardefcens ad fontes currit. Sic fi tu vis defiderare fontem, prius eneca ferpentes vitiorum (& ponit ibi mirabile, quod agunt in tranfitu fluminum fe juvantes in fuftinendis farcinis capitum fuorum) Vatabl. dicit, quod intentio Prophetæ eft, quod ficut cervi agitati a venatoribus anhelant & inhiant ad aquam, ita fua anima ad Deum.

UBI EST DEUS TUUS? Affectus ardentiffimus pertingendi ad conceptum Dei, quem hic diftinctum, & clarum habere non poffumus. Paganus oftendit mihi digito Deum fuum, fcilicet lapidem, aut folem, ego autem quomodo poffum §.3.

possum ostendere, vel apud me concipere illam infinitam lucem, & pulchritudinem.

§. 4. HÆC RECORDATUS SUM. Ideſt Quoniam recordor, ſeu meditor me exulem à Patre, & patriâ cœleſti, effundo in me animam meam, quod eſt laxatis habenis dolori omnes ſimul affectus, & æſtus, & quaſi ipſum cor effundere. Per tabernaculum ad mirabile intelligit Aug., & Hieron. Eccleſiam militantem præſertim cœtum ſanctorum ſuſpirantium ad domum Dei, in quo tabernaculo mirabilia apparent, in mortificatione paſſionum contemptu terrenorum, & qui in hoc tabernaculo vivunt, non vivunt in triſtitiis, ſed in voce exultationis, & laudis, quaſi vacantes epulis, ubi eſt muſica. Igitur.

§. 6. QUARE TRISTARIS ANIMA MEA? *Contentate com eſte boccado, que te da aqui de ſeus goſtos*, confide quoniam aliquando venies ad epulas perfectas.

§. 8. AD ME IPSUM ANIMA MEA TURBATA EST. Quando recordor mearum culparum, & miſeriarum turbor, propterea volvo mentem ad Deum, ut conſoler. *Propterea memor ero tui de terra Jordanis &c.* Hærentes literæ dicunt, quod David ambulans in regione trans Jordanem, & juxta Hermoim (qui erat mons parvus) quæ erant loca remota ab Hieruſalem, ſuſpirabat ad tabernaculum Domini, quod erat in Hieruſalem, & ad hoc ſitiebat. Hieronymus, & Auguſtinus confugiunt ad myſtica, hoc eſt ad baptiſmum, qui fuit ſanctificatus in aquis Jordanis, per quem baptiſmum induimus humilitatem Chriſti, & anathematizamus ſuperbiam, & pompas Diaboli, facti montes modici ex magnis. Hermoim interpretatur anathematizatio.

§. 9. ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT. Tribolatio poſt tribulationem, quas in me emittis *como battegas d'agoa*, quas emittis impetuosè, quaſi ruptis cataractis cœli, ideſt nubibus aquoſiſſimis. Auguſtinus dicit, qood abyſſus eſt profunditas impenetrabilis, & incomprehenſibilis, maximè in aquarom multitudine. Ideo per abyſſum intelligit cor humanum inſcrutabile etiam a ſe ipſo (nam Apoſtolus dicit, quod eſto *non eſt ſibi conſcius*, *tamen neque ſe ipſum judicat*) quando ergo homo hominem convertit ad Deum in voce cataractarum Dei, ideſt ſcripturarum, tunc abyſſus abyſſum invocat. Vel dic quod homo abyſſus miſeriarum, invocat Deum abyſſum miſericordiæ.

§. 10. OMNIA EXCELSA TUA. Hebreus textus habet *omnes procellæ tuæ*. Hieronymus transfert, *omnes gurgites tui*.

§. 11. IN DIE MANDAVIT DOMINUS &c. Declaratis tribulationibus explicat confidentiam, quam habet divinæ conſolationis, dicens *in die mandavit Dominus &c.* quaſi dicat, eſto tantis procellis adverſitatum premar, certò confido, quod veniet dies divinæ miſericordiæ, & tunc nocte canticum ejus erit mecum, ut habetur in hebreo: quaſi dicat habebo materiam canendi, præcipue nocte ceſſantibus occupationibus, ut Iſaias, *anima mea deſideravit te in nocte*, & ſubjungit orationem, quam faciebat in medio ſuarum tribulationom, ſcilicet.

§. 12. APUD ME ORATIO DEO VITÆ MEÆ DICAM DEO PETRA MEA ES (ut hebr. QUARE OBLITUS ES MEI; *Quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus, & dum oſſa* (ideſt vires animæ meæ) *mea confringuntur*, fatigantur, & conturbantor, & exprobrant mihi inimici mei *dicentes mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus?* Tota hæc oratio uno ſpiritu eſt legenda, continuatur enim querela uſque ad dicta verba, dicebant enim inimici David, *non eſt ſalus ipſi in Deo ejus*, ut ipſe dicit in 3. pſalmo, actum eſt de illo, qoia Deus ſuus deſeruit eum, neque curat de ſalute.

QUA-

QUARE TRISTIS ES ANIMA MEA &c. Posita querulosa orationé convertitur iterum ad animandum cor suum, & erigendum in spem divinæ misericordiæ.

Annot. in Psalm.42.

JUDICA ME DEUS &c. Materia psalmi est, homo in tribulatiónibus contristatus petit a Domino illuminari, & juxta ejus promissa confortari. Dicit hic Augustinus, quod in Ecclesia est duplex genus hominum: quidam sunt qui proficiunt, qui cœlesti civitati ingemiscunt, qui peregrinationem suam norunt, qui viam tenent, qui in desiderio illius stabilissimæ terræ spem suam, tanquam anchoram præfixerunt: hoc est semen bonum, hoc est frumentum Christi, quod genuit inter zizania (idest carnales, qui sunt secundum genus) & clamat, o Deus examina causam meam (juxta hebr. habetur, *suscipe causam meam*) idest ne simul tradas me cum peccatoribus &c. quin potius ab insidiis eorum, qui me impellunt ad peccandum libera me, & ideo *tristis incedo, quia affligit me inimicus* (Chrysostomus glossat de Diabolo) quotidianis tentationibus. §.2.

EMITTE LUCEM TUAM &c. Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus glossant de Christo, qui se dixit lucem, & veritatem, & per montem, & tabernaculum intelligit Augustinus Ecclesiam militantem, & per altare, cœlum. At Chrysostomus per omnia intelligit Ecclesiam præsentem. §.3.

CONFITEBOR TIBI IN CITHARA &c. (ut dicit Chrysostomus) in mortificatione (quæ designatur in chordis confectis ex nervis animalium mortuorum) & in concentu virtutum. §.5.

Annot. in Psalm.43.

DEUS AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS &c. Chrysostomus exponit de victoriis, quas habuerunt Machabæi contra gentes, & etiam de tribulationibus, quas ab eis pertulerunt, ut in libro Machabæorum narratur; sed melius cum Augustino, & Cajetano intelligimus de persecutionibus Sanctorum primitivæ Ecclesiæ, cum Apostolus de his afferat ad Rom.8. versum ex hoc psalmo: *quoniam propter te mortificamur tota die*. Primò ergo narrat, quæ Deus fecit in populo veteri, quando eduxit Judæos de terra Ægypti, & dedit illis regionem gentium. Et in versu, *Nunc autem repulisti*, incipit describere persecutiones Sanctorum novi Testamenti in principio Ecclesiæ, & dicit *confudisti nos*, quia ad opprobrium, & insultationem pertinebat illo tempore, quod aliquis diceretur Christianus, ut dicit Augustinus.

ET NON EGREDERERIS DEUS IN VIRTUTIBUS. Seu *exercitibus nostris* juxta hebr. idest *noluisti nos defendere ab inimicis nostris*. §.11.

AVERTISTI NOS RETRORSUM. Idest fecisti nos inferiores nostris hostibus. Hebr. habet *vertisti nos in fugam coram hostibus nostris*. §.12.

VENDIDISTI POPVLVM TVVM. Quia aliqui Christiani vendebantur vili pretio, neque grandis fuit commutatio, ut habet Hieronymus. Augustinus legit, non fuit multitudo in jubilationibus eorum, quia non poterant tunc Christiani libere congregari ad jubilandum simul. (*Similitudinem gentibus*, idest proverbium, idest ita tibi accidat sicut illi. §.14.

Commotione capitis &c. Capitis commotione fit insultatio, & illusio, ut factum est, quando Dominus pendebat in Cruce. ET

§.20. ET NON RECESSIT RETRO COR NOSTRVM &c. Hebr. habet, *neque declinaverunt gressus nostri a semitis tuis.*

§.21. QVONIAM HVMILIASTI NOS IN LOCO AFFLICTIONIS &c. Hebr. *In loco draconum*, ideſt in loco ubi habitant homiues ſimiles dracouibus in feritate.

§.22. SI OBLIVISCEREMVR NOMEN DEI NOSTRI &c. Nonnè Deus requireret iſta! Imo quia ipſe novit &c. quaſi dicat, bene uovit ipſe quod nuuquam expaudimus mauus noſtras ad idolum.

Annot. in Pſalm. 44.

ERVCTAVIT COR MEVM VERBVM &c. Secundum omues epitalamium eſt, ſcilicet carmen nuptiale ad honorem ſpouſi, & ſponſæ. Auguſtinus, & Hieronymus dicunt, quod ſunt verba Dei Patris, quaſi ſic dicentis; Ego ex intima ſubſtautia mea produxi verbum bonum æternum, & conſubſtantiale mihi. DICO, ideſt intelligeudo produco, ac commuuico omuia mea Regi, ideſt verbo, quod eſt unus Rex mecum.

§.2. LINGVA MEA. Ideſt intellectus meus velociſſimè ab æterno produxit illud verbum, quod manſurum erat, ſicut ſcriba velociſſime ſcribit verbum manſurum iu libro, non tranſiturum, ut vocale.

§. 3. SPECIOSVS FORMA PRÆ FILIIS HOMINVM. Jam manifeſtat, quod uon ſolum eſt Deus, ſed etiam homo. Chryſoſtomus exponit dicta verba, quaſi dicta ex perſona Prophetæ, qui cum eſſet pleuus Spiritu Dei *arrotou eſta divina Cantiga*: verbum bonum vocat banc prophetiam, qnam dedicat Chriſto Regi; unde juxta hebreum habetur *Dedico ego*, & quia Spiritus Sanctus ejus mentem celerrime movebat, ideo comparat eam calamo &c.

§4. ACCINGERE GLADIO TVO &c. Gladius accinctus circa femur eſt prædicatio verbi Dei mediante carne aſſumpta; hoc gladio carnalitatem ab hominibus præcidit, & diviſit filium a patre, & filiam a matre, ut Matth.10. Auguſtinus.

§.6. DEXTERA TVA. Ideſt potentia tuæ Deitatis.

§. 7. SAGITTÆ TVÆ. Sagittæ ſunt verba transfigentia cor.

§.10. MIRRHA, ET GVTTA &c. per hæc odoriſera intelligit Auguſtinus ſanctos odore virtutum refertos, qui Chriſtum veſtiunt. (Hieronymus, opera externa Cbriſti exercitata per carnem.) Qui Sancti non ſolum dicuutur veſtimenta Chriſti, ſed etiam domus eburneæ) ideſt caſtitate, & omni virtutum candore nitentes) in quibus Chriſtus habitat, & eaſdem ſanctas animas vocat (ait Auguſtiuus) filias Regum, boc eſt Apoſtolorum, qui judicaturi ſunt orbem.

§.11. ADSTITIT REGINA: Hæc eſt Eccleſia Catholica veſtita ſapientia (ut dicit Auguſtinus) vel charitate, circundata varietate natiouum, & linguarum. Chryſoſtomus per *veſtem deauratam* intelligit fidem vivam. Per *varietatem*, reliquas virtutes.

§.12. AUDI FILIA, ET VIDE &c. Alloquitur David Eccleſiam; neque mirum (ait Auguſtinus) quod præſumat eam vocare filiam ſuam; quia Eccleſia vere eſt filia Prophetarum, & Apoſtolorum. Eſt etiam David, quaſi Socer Eccleſiæ, quia eſt Sponſa Chriſti filii ſui. Obliviſcere mores geutilicii populi, unde veuiſti, & domum Diaboli ideſt ſocietatem pravorum cujus eras filia.

§.14. ET FILIÆ TYRI. Scilicet gentilitatis (pars pro toto) ideſt animæ ex gen-

gentibus conversæ, quæ suas divitias tradiderunt Ecclesiæ ædificantes templa, pauperes recreantes.

OMNIS GLORIA EJUS FILIÆ REGIS AB INTUS &c. Ne aliquis putaret (ait Chrysost.) se loqui de vestimentis corporis, cum dixit in vestitu deaurato &c. explicat se dicens, omnis gloria illius filiæ regis, de qua dixi, *Adstitit Regina, & audi filia est ab intus in fimbriis aureis* nempe fide, spe, charitate, ut dicit Hieronymus; Juxta Hebreum habetur, *in vestimento ex auro contexto*, & *vestibus acupictis* ad designandum virtutum varietatem. §.15.

AUFERENTUR REGI VIRGINES POST EAM. Post Ecclesiam illam primitivam, quia (ut dicit Chrysostomus) Ecclesia non statim in principio, tempore Apostolorum habuit virgines in tanta copia sicut postea venerunt. §.16.

PRO PATRIBUS. Videlicet Apostolis, successerunt tibi Episcopi: sic Augustinus, & Hieronymus.

Annot. in Psalm. 45.

DEUS NOSTER REFUGIUM &c. Loquitur Ecclesia Sanctorum multis tribulationibus cincta, sed tota Deo fidens. Ideo dicit, (ut ait Chrysostomus) etiamsi videamus in rebus perturbationem intollerabilem, & omnia confundi, & montes a fundamentis dimoveri de loco suo, & jactari in mari, & denique omnia elementa confundi, adhuc non timebimus. Augustinus sic dicit; nulla major tribulatio, quam conscientia delictorum: quia quamvis homo patiatur multas tribulationes extra, si tamen confugiens ad conscientiam invenit ibi Deum, requiescit; quod si ibi non est ob iniquitates, quid facturus est homo? & quid prodest, quod exteriora sint sana, si medulla conscientiæ est putrefacta? §. 2.

SONUERUNT, ET TURBATÆ SUNT &c. Ostendit fortitudinem Dei nostri in hoc, quod cum aquæ turbarum popularium, & montes potestatum secularium clamarent, & conturbarentur ad Evangelicam prædicationem, tamen prævaluit. Juxta hebr. adhuc iste pertinet ad præcedentes, sic habetur, licet infremant undæ maris, & contremiscant montes in elevatione ejus. §.3.

FLUMINIS IMPETUS &c. Igitur, esto omnia turbentur in terra, tamen civitas Dei, quæ est Ecclesia Sanctorum firma stat fide, & spe, quia impetuosus, & copiosus fluvius divinarum gratiarum eam percurrit, & delectat, & sanctificat: nam Deus, idest Christus, qui dixit, *Ecce ego vobiscum sum &c.* in medio ejus firmiter stat, ut ei celeriter subveniat; Ideo dixit *mane diluculo*. Hic est qui dedit vocem suam mediantibus Apostolicis tubis, & mutata est terra de cultu Dæmoniorum ad cultum Dei. Et quia Apostoli sine armis, & bellicis instrumentis subegerunt terram, ideo subjungit, *venite, & videte opera Dei &c.* eodem modo Isai. 2. §. 14.

Annot. in Psalm. 46.

OMNES GENTES PLAUDITE MANIBUS. Vox Prophetæ, aut Apostolorum vocantium omnes gentes ad fidem, vel incitantium jam conversas ad gratiarum actionem, & jubilationem.

ELEGIT NOBIS HÆREDITATEM SUAM. (Hebr. habet *selegit*) hoc dicunt gentes, elegit nos Deus, ut essemus pars hæreditatis suæ idest Ecclesiæ, & etiam elegit spem Jacob hoc est etiam elegit aliquos ex Judæis, idest pul- §.4.

 chrio-

chriores) nempe Apostolos - Hebr. habet, *elegit gloriam Jacob*: principales enim Christiani fuerunt Judæi, quod est ad magnam gloriam plebis Israeliticæ.

§.5. ASCENDIT DEUS IN JUBILO. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus exponunt de Ascensione Christi. *Dominus in voce tubæ.* Hieronym. August. exponunt de illa voce Angelorum, *viri Galilæi quid admiramini?* quæ hic dicitur *tuba*: Chrysost. dicit, quod non ob aliud dicitur, Dominum ascendisse in voce tubæ, nisi quia ascendit victoriose, triumphanter, & manifeste, ac si tuba sonaret ad claritatem triumphi. Hærentes literæ dicunt, quod David loquitur de pompa, qua Arca Domini inducta est in templum.

§.9. PRINCEPS POPULORUM. Qui sunt Principes gentium qui fuerunt ad fidem conversi, ut Centurio, & Cornelius, Reges &c. *Quoniam Dii fortes*, idest principes Judæorum vehementer superbierunt, & ideo derelicti sunt. Sic Augustinus. sed Chrysostomus, & Hieronym. per *Deos fortes terræ* intelligunt Apostolos, qui tot mirabilibus de mundo triumpharunt. Juxta hebr. melius habetur: nempe quoniam Diis fortibus terræ longe superior est Deus Abraham.

Annot. in Psalm.47.

MAGNUS DOMINUS &c. Argumentum est de initio nascentis Ecclesiæ, & commotione regum in prædicatione Evangelii. Exponunt aliqui de civitate Hierusalem, & de monte Syon; Verùm juxta hebr. secundus versus sic habet, mons Syon in cujus aquilonari latere urbs magni regis est, elegans est regio, & gaudium universæ terræ: Deus in palatiis ejus (civitatis) est agnitus, quod (sit suis) arx sublimis. Deinde incipit describere quomodo aliqui reges gentium conspirati venerunt contra Hierusalem, ut quando Sennacherib, (secundum expositionem Chrysostomi) venit tempore Ezechiæ; vel alias, & tamen misericordia Domini in timorem versi fugerunt. Et ubi nos habemus, *in Spiritu vehementi*; hebr. habet, quemadmodum ventus orientalis confringere solet naves marinas; quo factum est; quod, sicut audivimus, de mirabilibus antiquis, quæ fecit Dominus patribus nostris, ita in præsenti talia mirabilia vidimus in Hierusalem fugatis hostibus nostris, & suscipientes misericordiam, & vidimus quam dextera tua est plena justitiæ ad ultionem nostrorum hostium. Tunc exhortatur populum ad lætitiam, & ad fortificandum civitatem dicens, juxta traductionem Hieronym. (*circumdate Syon, & cingite eam, numerate turres ejus, ponite corda vestra* (diligentem curam) *in mœnibus ejus: roborate palatia ejus, ut narretis generationi posteræ &c.* nempe roborate, & decorate, ut in generationibus narretur postea ad gloriam Domini, quod cum obsideretur ab hostibus non est capta, imo ex hoc data est occasio, ut pulchrior, & fortior redderetur. Sic fere exponit Chrysostomus psalmum.

§.2. §.3. §.4. §.6. §.7. §.8.

Augustinus per montem, & civitatem intelligit Ecclesiam: & quia nationes gentium ad hanc civitatem congregatæ sunt, ideo dicitur, *latera aquilonis*, & dicuntur sic, quia in eis regnabat Diabolus, qui dixerat Isaiæ 14., se positurum solium suum in latebus aquilonis, & aquilo etiam contrariatur monti Syon, quia ille mons est situs ad meridiem, aquilo autem contrariatur meridiei; etiam Cajetanus exponit hunc psalmum de adventu Messiæ, sicut & tres præcedentes.

§.4. QUONIAM ECCE REGES TERRÆ. Exponit Augustinus de conversione Regum ad Christum, & qualiter admirabantur ad doctrinam, & miracula Apostolorum, & aliorum, ita quod naves Tharsis, videlicet potentes, & divites fuerint con-

contriti, & dejecti a sua superbia, & facti humiles in Christo, & hoc ob vehementem spiritum timoris Dei, quo concitati sunt. Hic dicit Augustinus, quod civitas Tharsis, de qua toties mentio in scripturis est, vel Tharsus metropolis Ciliciæ, ubi natus est Paulus, vel Carthago, quæ forte antiquitùs sic loquebatur, etiam fuit navibus, & navigatione celebris.

SICUT AUDIVIMUS. Glossat Augustinus, sicut audivimus in promissionibus, sic vidimus in exhibitionibus. §. 7.

CIRCUMDATE SION, ET COMPLECTIMINI EAM &c. Exhortatur fideles ad unionem, & complexum charitatis. Narrate laudes Ecclesiæ in particularibus Ecclesiis, vel per turres intellige Apostolicos viros. §. 11.

PONITE CORDA VESTRA. (Ajunt August. & Hieronym.) in virtute charitatis, juxta illud, in charitate radicati, & fundati distribuite domos, idest populum Judæorum, & gentium: nam utrique populo fuerunt prædicatores distributi. §. 12.

In hoc psalmo Augustinus respondet admirationi hominum, qui volentes scire arcana Dei, dicunt, quomodo est possibile, quod soli justi salventur cum sint pauci, & carnales plurimi? quomodo Deus perdet tantam multitudinem. dici primò quod est tentatio Diaboli illa interrogatio, qui non cessat tentare nos, eo modo quo tentavit primos parentes, dicens; non moriemini: sic modo dicit, esto sitis peccatores non peribitis, quia non est possibile quod tot pereant. Secundo dicit, quod esto mali sint plures quam boni, tamen plures sunt boni, quamvis non appareant, sicut in area non apparent grana, sed palea, nam qui videt aream, putat quod sola palea sit ibi, cum tamen sub copia palearum lateat copia frumenti veniet ventilatio, & separatio, & tunc nec unum granum tritici cadet in acervo paleæ ut cum ea comburatur, nec una arista paleæ transibit ad massam in borreo recondendam.

Annot. in Psalm. 48.

AUDITE HÆC OMNES GENTES &c. Argumentum psalmi (secundùm Cajetanum) est, quod non est quærenda immortalitas famæ, sed sola bona futuræ vitæ sunt quærenda, & mala ejus timenda. Alii dicunt esse vocem Christi convocantis orbem ad audiendas suas parabolas. Convocat Propheta totum orbem, omnes omnium nationum homines, ut audiant sapientiam quam ad eos vult concionari, & promittit se locuturum de magnis, & difficilibus intellectu: Imo vocat parabolam, quæ dicturus est: nam parabola (dicit Chrysostomus) oratio ænigmatica (unde juxta Hebreum habetur. *Aperiam in psalterio ænigma meum*) dicitur, est oratio figurata, & ostendit quod excelsa sunt, quæ dicturus est (ut ait Chrysost.) protestatur se non dicturum alia nisi quæ a Deo audiverit. Imo dicit, *inclinabo in parabolam aurem meam*, ut audiam parabolas quas loquetur mihi in corde Deus, & illas proponam, vel juxta Augustinum etiam audiam me ipsum aliis prædicantem, ut scilicet & ego ea faciam quæ alios doceo, *quique terrigenæ* &c. Vatabl. Sic tam plebei, quam dignitate aliqua pollentes &c. proponit ergo excelsam quæstionem.

CUR TIMEBO IN DIE MALA? Idest juxta August. (diem mortis aut judicii, idest non est cur primo hanc malam diem timeam; quare hoc malum tu vitare poteris, si vites iniquitatem. Primo ergo time operari iniquitatem, quoniam hæc est, quæ facit malam mortem, & judicium terribile; hæc est quæ cir- §. 5.

cumdabit te tunc, neque evadere permittet quasi dicens, o mortales, quare principaliter timetis mortem? certe non illa nocebit vobis, si iniquitas non nocuerit. Et dicitur peccatum iniquitas calcanei: vel quia est quidam lapsus, vel quia principale in peccato est mala intentio, seu malus finis qui per calcaneum significatur, vel juxta Chrysost. Iniquitas calcanei, idest iniquitas insidiatrix, fraudulenta, supplantatrix, quia celeriter demergit hominem in supplicia æterna, idest cum una febri vel causa subitanea; & per diem malam juxta Chrysost. intelligitur quodcunque malum temporale, quasi exhortans Propheta quod nullus timeat mala temporalia, sed dumtaxat illam fraudulentam vulpem, ubique nos circumdantem, ad arripiendum nos, & devorandum æterna morte, idest propriam iniquitatem: unde Apostolus ad hebr. dicit, circumstans nos peccatum. Ideo diligentissime oportet nos fugere ipsum.

Dicitur enim iniquitas calcanei finalis impœnitentia idest mortale, in quo homo usque ad mortem perseveraverit.

§. 6. QUI CONFIDUNT IN VIRTUTE SUA &c. Ostendit quod quamdiu iniquitas nostra circumdederit nos, nihil poterit nos liberare a Judicio Dei, & gehenna, nam qui confidunt in sua potentia, nihil eis proderit tunc, neque divitiæ proderunt, neque homo poterit redimere fratrem suum, unde juxta hebr. habetur, nemo fratrem suum ulla ratione redimere potest, neque Deo pretium redemptionis ejus persolvere. Sed textum nostrum sic construas juxta Augustin. *frater non redimit, redimet homo?* idest si frater tunc non poterit redimere fratrem, quomodo alius homo redimet eum? certum est ergo quod tunc non dabit homo Deo placationem suam neque pretium &c. imo in æternum laborabit in suppliciis æternis, & in eis perpetuo vivet) neque videbit aliquando interitum idest finem vitæ in suppliciis. Sed melius (secundum Hieronym.) non videbit interitum, refertur ad divites in hoc mundo qui non vident interitum idest non cogitant de morte sibi imminente, esto videant alios mori.

§. 7.

§. 10. SEPULCHRA ILLORUM DOMUS EORUM IN ÆTERNUM. Agit contra eos qui ædificant sibi præclara sepulchra quasi domos perpetuas in quibus habitent (& contra hanc vanitatem loquitur hic Chrysost.) item ædificant pulchra tabernacula, idest palatia vel alia ædificia, ut sic in illis ædificiis maneat illorum memoria in multas progenies. Insuper ad perpetuitatem propriæ memoriæ denominant quasdam terras, & civitates a suis nominibus, ut Roma a Romulo &c.

§. 13. HÆC VIA ILLORUM SCANDALUM IPSIS. Juxta hebr. habetur: *Hæc via illorum stulta est*. Et tamen posteri illorum, quod illi dictant, approbant, idest hæredes sequuntur stultitiam suorum patrum & avorum. At nostrum Textum Chrysostom. glossat, quod via carnalium, scilicet non nisi divitias, & gloriam suspirantium, est eis magnum offendiculum recedendi a cognitione veri, & via virtutum, & tamen in hoc sibi complacent reputantes se felices.

§. 14. SICUT OVES IN INFERNO POSITI SUNT. Juxta Chrysost. idest ita facile moriuntur sicut oves, & morientes transeunt ad inferos ubi mors erit pastor eorum (sicut Christus vita est pastor Sanctorum) & per mortem intelligit ignem, & vermem conscientiæ: vel dic quod mors eis dabit pastum scilicet ignis & vermis &c. vel dic *qu a morte sempre tera que comez nelles sem os acabar de gastar.*

§. 15. ET DOMINABUNTUR EORUM JUSTI IN MATUTINO. Idest quam primo illuxerit lux futuri seculi, & regni Christi scilicet in die Judicii, sic Hieronym. Et auxilium eorum cessabit, quia nulla res illis poterit prodesse, a nulla creatura poterunt habere auxilium. A gloria sua exturbati sunt: sic habet Textus Chrysostomi.

§. 16. VERUMTAMEN DEUS REDIMET &c. Loquitur in persona piorum quos Deus

Déus redimet de manu inferorum, ideſt gehennæ cum acceperit ipſos ad ſuam gloriam.

QUONIAM CUM INTERIERIT &c. O magna ſtultitia, (ait Auguſtinus) Spiritus vadit torquendus ad inferos, & corpus involvitur pretioſis linteis, & aromatibus in ſepulchro, ac ſi habitator unius palatii quod habebat ulyxipone, torqueretur apud Turcas, ad quos delatus fuerat, & interim amici ornarent palatium, quod manſit Ulyxipone. §. 18.

CONFITEBITUR TIBI CUM BENEFECERIS EI. Auguſtinus exponit, *Tibi Deo*: quia carnales ſi aliquando laudant Dominum, non eſt niſi quando recipiunt beneficia temporalia: at ſi Deus vult emendare flagellis, blaſphemant. Campenſis vertit. Anima ejus dum vivit, beata dicitur: laudatur cum ei bene eſt; quo nihil falſius, imo male fuit ei in mundo: quia ut dicit Auguſtinus) dives Epulo delitias & iniquitates quas hic manducabat, apud inferos digerebat, hic epulabatur, in igne digerebat. §. 19.

INTROIBIT USQUE IN PROGENIES &c. Impius poſt mortem apponetur ad progeniem patrum ſuorum, ideſt ad conſortium antiquorum peccatorum: antiqui enim peccatores ſunt patres modernorum, ſicut juſti antiqui ſunt patres juſtorum qui nunc ſunt, ut dicit Auguſtinus. §. 20.

HOMO CUM IN HONORE ESSET &c. Ideſt o mortales cognoſcite dignitatem naturæ veſtræ, & nolite hærere ſenſibilibus ut bruta. §. 21.

Annot. in Pſalm. 49.

DEUS DEORUM. (Vatabl. *Judicum.*) Ideſt Regum ac Sanctorum. Tractat de ſecundo adventu ad judicium. Alii dicunt quod tractat de primo adventu, et exorſu Evangelii, ac erectione populi Dei.

EX SYON SPECIES DECORIS EJUS. Hic tangitur quod in primo adventu ſua pulchritudo, ſua gloria, ideſt bonitas, & benignitas primo manifeſtata eſt in Hieruſalem, ubi myſteria perfecit; VOCAVIT TERRAM, ſcilicet totam ad lucem Evangelii. Non vocavit. (ait Auguſtinus) ſolam Africam, aut partem Donati, non Saxoniam ubi regnat Lutherus &c. §. 2.

DEUS MANIFESTUS VENIT. Ad judicium ut dicit Auguſtinus. Qui modo ſilet a judicio, & punitione. §. 3.

IGNIS IN CONSPECTU EJUS &c. De igne æterno Intelligit Auguſt. & Chryſoſtom. Et per *tempeſtatem validam* deſignatur ſupplicii magnitudo, quaſi ad nimis accendendum ignem; quia (ait Auguſtinus) carnalibus non ſufficit comminatio, quod ſunt ſeparandi a dulciſſima facie Dei, additur ignis quia hoc magis horrent. §. 4.

Hic Auguſtinus tractat myſterium multorum numerorum, ut illius ſcilicet centum quinquaginta trium piſcium.

ADVOCAVIT CŒLUM &c. Quia omnes creaturæ intellectuales tam cœleſtes, quam terreſtres debent intereſſe (quia eſto Angeli non ſint judicandi, debent tamen eſſe præſentes) quando Deus diſcreverit bonos a malis. Hebr. habet *Advocavit cœlum, & terram, ut judicio contendat cum populo ſuo.* §. 5.

QUI ORDINANT TESTAMENTUM EJUS. Chryſoſtom. dicit quod hæc verba irriſorie ſunt referenda ad Judæos, quaſi Dominus dicat, veniant ad judicium illi Judæi qui ſe reputant ſanctos, putantes ſe perventuros ad pacta ac promiſſa Dei per ſola ſacrificia brutorum animalium. Hieronym., & Auguſtinus de §. 6.

de sacrificiis bonorum operum præsertim animæ de quibus quæremur in die judicii: viri enim sancti cognoscunt se non perventuros ad pacta seu promissa Dei, nisi mediantibus talibus sacrificiis. At quia testamentum novum totum innititur, & fundatur super sacrificium crucis, quis prohibet de hoc intelligere? unde Hieronymus traducit, *quia feriunt pactum meum super sacrificio*.

§.7. ANNUNCIABUNT CŒLI. Idest Evangelistæ. ut Hieronym. & August. Chrysostom. autem intelligit de cœlis corporalibus, quia per ea venimus in cognitionem Dei juxta illud Apostoli, *invisibilia Dei &c.*

§. 8. AUDI POPULUS MEUS ET LOQUAR, O ISRAEL. Speciali judicio contendit cum populo Israel, qui contemptis bonis operibus, solis sacrificiis fidebat, ideo dicit, non venio ut tecum judicio contendam super sacrificiis; bene video quod holocausta tua in conspectu meo jugiter mactantur, de horum omissione non arguam te. Quod de te exigo est, quod immoles mihi sacrificium puræ laudis ex corde: nolo quod ore laudes, & opere offendas: Ideo subjungit, peccatori dixit Deus, qua fronte narras præcepta ac mysteria mea cum ea vita conculces? Tu non vis audire Deum loquentem tibi, & vis quod alii audiant Deum loquentem per te? fac ergo imprimis quod faciebat ille, audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Tu odisti disciplinam, tum quia non habes mores disciplinatos conformiter ad legem meam, non castigas corpus cum Paulo, & si Deus castigat, murmuras. Dicit Ambrosius, super *Beati immaculati*. Non dicit, quare tu cogitas? &c. Sed quare ore loqueris; imo semper cogita ut convertaris.

§.21. EXISTIMASTI INIQUE QUOD ERAM TUI SIMILIS. Idest (ut dicit Chrysost. quia videbas te tolerare, neque punire, putabas me non ægreferre, quasi mihi placerent, sicut tibi placent: Vatabl. Disceptabo tecum & ordine proponam facinora tua ante oculos tuos *statuam te ante faciem tuam*, quia posueras te post dorsum tuum ne videres facinora tua, idest ante oculos tuos ponam omnia delicta tua.

§.24. SACRIFICIUM LAUDIS &c. Vatabl. qui laudem sacrificat, is me glorificat. Et hæc est via per quam ostendam ei salutem Dei.

Annot. in Psalm. 50.

MISERERE MEI DEUS &c. Notum est argumentum hujus psalmi scilicet pœnitentia David post crimina adulterii, & homicidii, ut patet ex titulo. Hic dicit Augustinus pulchre quod multi audientes hæc crimina David, volunt cadere cum David, & non volunt resurgere cum eo. Veh tibi quia accipis exemplum cadendi (ad quod non est propositum) & non resurgendi, ad quod tibi propositum). Non sit ergo delectatio minorum, casus majorum, sed sit casus majorum, tremor minorum, quia ad hoc legitur in Ecclesia. Veh tibi quia nequior es quam fuit David. Nam David cadendo nullum Sanctum sibi ad exemplum posuerat ut tu. Ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis, tu tibi tanquam Sanctum proponis ut pecces, non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam; hoc amas in David: Scripturas trahis, ut agas contra Scripturas. Casus ergo magnorum virorum faciat tremere parvos, & continere se ab aspectu mulieris &c.

§.1. MISERERE MEI DEUS &c. Magno vulneri, magna medicina, August. Egeo multis miserationibus, quia multa fuerunt vulnera. Ideo juxta hebr. subjungitur quoniam trangressiones meas ego cognosco, & peccatum meum coram me

me eſt ſemper. Sic legit Auguſtin. Campenſis vero. Peccatum meum nunquam mihi excidit, ſeu ante oculos meos verſatur, ut Vatabl. quaſi dicat, non poſui illud poſt dorſum, Nathan. (ait Auguſtin. parabola ovis, tulit peccatum a dorſo David, & poſuit ante oculos. Contra illos qui non erubeſcunt facere pœnitentiam, dicit Auguſtinus. *O inſania! Non erubeſcere de vulnere putrido, ſed de ligatura.* §.5.

UT JUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS &c. Ideſt verax appareas in tuis promiſſionibus quibus promiſiſti remiſſionem ingemiſcentibus. ET VINCAS CUM FUERIS JUDICATUS ideſt ſi te aliqui judicaverint, quod non ſtes promiſſis, vinces ſtando promiſſis, ac parcendo mihi pœnitenti. Sic Apoſtolus ad Rom.3. Et apparebis etiam juſtus, damnando peccatores qui reſipiſcere nolunt, ſicut ego.

TIBI SOLI PECCAVI. Campenſis: In te ſolum peccaviſſe dolet. Ideſt hoc ſumme doleo quod non ſum reveritus conſpectum tuum, quod offendi te: & hac ſola ratione peccatum eſt peccatum, quia contra tuam æternam legem (Auguſt. ſi tibi diſplicet peccatum cum etiam diſpliceat Deo, jam eſtis duo ad expugnandam febrem; ſcilicet tu & medicus, cito expelletur. §.6.

ECCE VERITATEM DILEXISTI. Quam? quod nullum peccatorem dimittas impunitum, & quod ſe punientem tu non punias. §.7.

ASPERGES. (ſive *expia* juxta hebr.) ME HYSSOPO. Ideſt munda me perfecte. Hyſſopus eſt herba humilis & medicinalis radicibus ſaxis adhærens, purgans & ſanans inflammationem pulmonis: ſignificat humilem contritionem petræ Chriſto hærentem ac ſuperbiam pellentem. §.8.

AUDITUI MEO DABIS GAUDIUM. (Loquendo mihi in corde ut facis dilectis tuis.) Et exultabunt OSSA CONTRITA, ideſt vires animæ anguſtia preſſæ. §.9.

Hic dicit Auguſtinus, o quam feliciores ſunt qui audiunt verbum Dei quam qui prædicant, qui enim diſcit, humilis eſt, qui autem docet, laborat, ut non ſit ſuperbus, ne ſubrepat affectus placendi hominibus, ac proinde diſpliceat Deo. Scit ille qui miteſcat nobis quanto tremore loquar ad vos.

AVERTE FACIEM TUAM. (Vatabl. abſconde) *a peccatis meis*; Et tamen non avertas faciem tuam a me, ut alibi Deus (ait Auguſtinus) avertet faciem ſuam a peccato tuo, ſi tu non avertas faciem ab eodem peccato. Quod ſi in dorſo ponis, tunc Deus ibi faciem ponit. §.10.

SPIRITUM RECTUM INNOVA. Incurvaverunt animam meam ad terrenas concupiſcentias; rectifica, & erige ad ſuperna. Vatabl *ſpiritum firmum*. §.11.

REDDE MIHI LÆTITIAM. Bonæ conſcientiæ quam perdidi. §.13.

DOCEBO INIQUOS &c. Poſt meam purificationem, & condonationem peccatorum accipiam audaciam ad prædicandum peccatoribus quod convertantur. ad te. §.14.

LIBERA ME DE SANGUINIBUS. Auguſtinus dicit quod peccata vocantur ſanguines, quia procedunt ex corruptione carnis, & ſanguinis: primæ ad Corinth.15. Alii dicunt, quod inſinuat crimen homicidii. *Et exultabit*. Auguſt. legit *exaltabit*. Vatabl. *reſonabit cum oratione*. §.15.

BENIGNE FAC DOMINE. (Ideſt beneficiis affice). Ex benevolentia tua Syoni, ædifica muros Hieruſalem. Loquitur de Eccleſia Sanctorum ſecundum Auguſt. cujus muri aut munimenta ſunt fides, ſpes, charitas: nam tunc afferentur tibi primò ſacrificia juſtitiæ, ſcilicet cordis contriti, & humiliati per pœnitentiam; deinde oblationes proficientium, & offerentium ſacrificia laudis, & ſa- §.19. §.20.

facrarum meditationum: demum offerentur holocausta, ideft viri perfecti quos totos arripiat, & absumat divini amoris ignis: & demum omnes offeremus vitulos labiorum nostrorum ideft gratiarum actiones. Osee 14.

In fine hujus psalmi dicit August. hæc verba, cum tolerantia vivendum eft nobis inter malos; quia cum mali essemus, cum tolerantia vixerunt & boni inter nos dicit quod corrigant domos suas, quia ficut Episcopus dabit rationem pro Ecclesia, ita quisque pro domo sua.

Annot. in Psalm. 51.

QUID GLORIARIS IN MALITIA &c. Describit hic David (ut patet ex titulo) perversum animum Doeg Idumæi pastoris Saulis, & prophetat ejus pœnam, & suam prosperitatem, & eft ardens hymnus contra hominem superbum fidentem in suis divitiis, & potentia. quid vilius quam potentem esse ad iniquitates magnas perpetrandum? Jactas te (ait August.) quia potens es ad occidendum hominem; hoc facit scorpio, & una febris &c.

§.2. SICUT NOVACULA ACUTA &c. Quid amplius poteft facere novacula impii, quam præcidere capillos, scilicet omnia terrena tollere a viro Dei: rasis temporalibus, spiritus ibit ad quietem.

Annot. in Psalm. 52.

DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO &c. Agitur de corruptione generis humani curanda per Messiam. (Augustin. dicit quod omnes flagitiosi, esto ore non dicant, non eft Deus, dicunt corde, ideft affectibus, & factis.)

§.5. NONNE SCIENT OMNES &c. Imo aliquando scient scilicet in die judicii: tunc enim statuentur impii ante facies suas, & videbunt scelera sua quæ nunc videre nolunt. Filii hujus seculi devorant filios Dei sicut cibum panis, ideft jugiter, ac continue eos persequuntur; nam cibus panis quotidie comeditur, non sicut alii cibi. Augustinus. vide quæ dixi psalm. 12., sed quomodo dicit Dominus plebem meam, si omnes declinaverunt? respondent Augustinus, & Hieronymus, quod non dixit de omnibus quod declinaverunt &c. Sed de omnibus filiis hominum, ideft filiis hujus seculi, at illi qui sunt translati in filios Dei quos vocat plebem suam, hi non declinant.

§.7. QUONIAM DEUS DISSIPAVIT OSSA. Ideft vires, & fortitudinem ideft ad nihilum redigentur, quare ut placerent hominibus, Deo displicuerunt.

§.8. QUIS DABIT EX SYON &c. Quærit quis mittet ex Syon Salvatorem Israeli, respondet, Dominus faciet cum venerit tempus miserendi, & liberandi Israelem a captivitate. Juxta hebr. eft optativus, o utinam ex Syon veniat salus Israeli! & avertat Dominus &c. ut exultet Jacob.

Annot. in Psalm. 53.

DEUS IN NOMINE TUO &c. David profugus a Saule clamat, in virtute seu potentia tua vindica me, ut habet hebr. aut judica ideft tuere jus meum. Qui dicantur alieni habes psal. 143. qui scilicet a Deo separati in solo mundo spem habent.

§.5. AVERTE MALA. Hebr. *repende mala &c.*

VO-

VOLUNTARIE SACRIFICABO. Ideſt, promptiſſimâ, & exultanti voluntate devotiſſimè offeram tibi ſacrificium laudis, non ob aliquod pretium, ſed ob bonitatem tuam, quia bonus es. Sic Auguſtinus, & addit: Nonne erubeſceres, ſi uxor tua ob tuas divitias te amaret? (nam forte, ſi paupertas accideret, de adulterio cogitaret) Cum ergo te a conjnge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quàm multi proſcripti, a caſtis uxoribus ampliùs dilecti ſunt, probata ſunt caſta conjugia multa calamitatibus maritorum; & ne aliud amare, quàm maritum putarentur, non ſolùm non deſeruerunt, ſed ampliùs obſecutæ ſunt; ſi ergo maritus caſtè, & ſincerè diligitur, quantò magis Deus? Auguſtin. pſal.55. §.6.

Annot. in Pſalm. 54.

EXAUDI DEUS ORATIONEM MEAM. David in ſuis perſecutionibus a Saûle præſertim qnando circumdatus eſt domi, (ut Cajetanus) Alii dicunt, quod petit David, quod liberetur a conjuratione Abſalon.

CONTRISTATUS SUM IN EXERCITATIONE MEA. Ut. hic dicit Auguſtinus: omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ut per illum bonus exerceatur. Et in hac exercitatione eſt labor Sanctorum. §.2.

QUONIAM DECLINAVERUNT IN ME. Ideſt, confingunt, aut comminiſcuntur, ideſt *alevantame*, *o que nunca fiz*. §.3.

QUIS DABIT MIHI PENNAS. Cajetanus dicit, quod hoc dixit, quando circnmdatus erat domi a militibus Saûlis, & Domino liberante fugit in deſertum. Augnſtinns exponit, quod Sancti hic inter carnales conſtituti deſiderant alicubi manere, ubi non videant eorum ſcelera. Et quia hoc non volunt ut amore ſeparentur ab eis, ſed corpore, & gemant pro eis, & pro cœleſti patriâ. Ideo cupit alas avis continuò gementis. Et præſertim deſiderant hoc (ait Auguſtinus) qnando vident eos incorrigibiles, & nihil prodeſſe tot correptiones, ſed non fugiunt, quia eſto non ligentur viſco, ligantur officio. §.6.

Confugiens ergo ad ſolitudinem, ſaltem mentalem, & ibi quieſcens expectabam eum, qui ſalvum me fecit, aut faceret (ut habet Textus Auguſtini) ab impetu, & tempeſtate perſecutionnm. §.7.

PRÆCIPITA DOMINE &c. Juxta literam petit, quòd Dominus diſſipet conſilia Saûlis, & ſuorum (aut Abſalonis) nam diviſio lingnarum ſignificat ruptionem conſpirationis. Auguſtinus exponit de quacunque diſſipatione conſpirationis iniqnorum contra Eccleſiam Sanctorum. CONTRADICTIONEM IN CIVITATE, ideſt, *Ceilâ*, juxta literam; ſecundum Auguſtinum, *Babylon*, quæ eſt Congregatio carnalium. §.9.

INIQUITAS ET LABOR. Jugiter ſuper muros ejus. Muri Civitatis Babylonicæ ſunt principes, & potentes; quia (ut dicit Auguſtinus) proverbium erat: ſi talis nobilis efficeretur Chriſtianus, nullus remaneret paganus. §.10.

QUONIAM SI INIMICUS &c. Alloquitur Saûlem, vel juxta alios, aliquem Principalem in urbe *Ceilâ*. §.12.

VENIAT MORS SUPER ILLOS &c. Ideſt, digni ſunt hiatu terræ vivi, abſorberi, ſicut numer.16. Auguſtinus, & addit, quod illi qui ſcienter operantur malum, vivi ad inferos deſcendunt. §.16.

VESPERE, ET MANE, ET MERIDIE. Precor, & importunus ſum &c. ſic Hebr. §.19.

REDIMET IN PACE &c. *Quoniam inter multos erant mecum*. Hebr. habet §.20.

bet, juxta Hieronymum, quoniam multi fuerunt adversum me, vel ut alii traducunt, quoniam multi erant mecum, scilicet, Angeli, ut cum Helisco.

§. 22. NON ENIM EST ILLIS COMMUTATIO. Ut dicit Augustinus, explicat se de quibus loquitur, quando dixit:descendant in infernum &c. scilicet de obstinatis, qui nolunt omnino mutari, & ideo Deus extendit manum suam, in retribuendo illis vindictam; sic Augustinus, & Hieronymus. Vatabl. ibi. Nam non est spes, quod illi mutentur, & Deum timeant.

§. 23. CONTAMINAVERUNT TESTAMENTUM.Hebræus sic,juxta Hieronymum: Contaminavit pactum suum, scilicet amicitiæ, quod mecum pepigerat, nitidius (sive lenius) butyro os ejus, meliores sunt sermones ejus oleo, cum sint lanceæ, quia scilicet ore Saül se fingebat amicum, & dicebat: *fili mi David, justior me es &c.*

Litera nostra obscurè exponitur ab Hieronymo, & Augustino de hæreticis, qui contaminaverunt testamentum novum, & divisi sunt ab Ecclesiâ ab irâ vultûs Dei, quia in pœnam peccatorum aliorum, reliquit eos in suo ingenio. At quia hoc utile fuit Ecclesiæ, subjungit: *appropinquavit cor illius*, idest, insurgentibus hæreticis apparuit Ecclesiæ voluntas Dei, idest, quid volebat significare per scripturas obscuras, laborantibus in hoc Sanctis Doctoribus. Apparuerunt etiam qui apud Deum erant probati. Primâ ad Corinth. 11.

§. 25. JACTA COGITATUM TUUM &c. Monet viros pios. Juxta hebr. pulchrè habetur: *proiice sarcinam tuam in Dominum &c.*

Annot. in Psalm. 55.

MISERERE MEI DEUS QUONIAM CONCULCAVIT &c. David tribulatus a Saüle, & complicibus dicit hoc (vel ut alii, quando fuit comprehensus à Philistæis in Gaath) quia titulus psalmi de hoc est. August. dicit, si es Christianus in torculari es, para te,quia conculcandus es, ut uva.

§. 3. AB ALTITUDINE DIEI TIMEBO. (Juxta hebr., quocumque tempore timor me invaserit) insinuat David per hoc magnam superbiam suorum inimicorum,quæ procedebat ex splendore temporalis prosperitatis,sic Augustinus. Juxta Hieronymum legatur interrogativè: *ab altitudine diei timebo?* quasi dicat: non; quia in te sperabo.

§. 4. IN DEO LAUDABO SERMONES MEOS. Quicunque sermo verus, ac pius ex ore nostro procedit a Deo nobis datus est, & tamen noster est, quia accepimus a Deo dante nobis, sicut panem, quem petimus a Deo in oratione Dominicâ vocamus nostrum. Sic David testatur, omnes suos pios sermones in Dei laudem se relaturum.

§. 5. TOTA DIE VERBA MEA EXECRABANTUR. Quasi dicat, cum ego coner, ut nonnisi vera, & pia loquar, & ad laudem Dei, tamen hostes mei omnia verba mea execrantur, vel calumniantur, ut habet hebr., & omnes cogitationes eorum adversum me in malum.

§. 6. INHABITABUNT (juxta hebr. *concurrunt*, *vel congregantur*.) ET ABSCONDENT, idest hostes mei in aliquo loco se collocant, & ibi delitescunt parantes mihi insidias, quasi supplantantes plantas meas, sustinentes, sive expectantes animam meam, ut eam perderent.

§. 7. PRO NIHILO SALVOS FACIES ILLOS. Hieronymus transfert. Nullus salvabitur ex eis, imò in irâ tuâ eos confringes. Alii legunt interrogativè pro iniqui-

quitate salvos facies illos? quasi dicat, non: imo in irâ &c.Augustinus exponit,quod Deus gratis, & faciliter salvat. Sed non est juxta literam.

§. 8. DEUS VITAM MEAM. Heb. *Secretiora mea*, pone lachrimas meas in lagunculam tuam, sicut promisisti: Alii legunt. *An non in libro tuo* (vel rationario tuo) sunt scriptæ? ubi nos habemus, *sicut in promissione tuâ*.

§.11. IN DEO LAUDABO VERBUM. Sicut in quarto versu præcedenti.

§.12. IN ME SUNT DEUS VOTA MEA &c. Nuncupabo tibi vota mea, reddam tibi gratiarum actiones. Pulchrè differit hic Augustinus, quod esto mundus, & Diabolus omnia nobis auferant, non possunt nobis auferre arcam cordis plenam votis, & sacrificiis laudis, sicut neque a Job eam potuit rapere. O divitiæ interiores fidei, spei, charitatis, quo fur non accedit! Sed attende, quia ipse dominus posuit in arcâ tuâ hæc vota, & sacrificia.

Annot. in Psalm. 56.

MISERERE MEI DEUS MISERERE MEI &c Juxta titulum, de liberatione David a Saüle in speluncâ. Titulus etiam hujus psalmi, habet verba valde mysteriosa secundùm Augustinum, scilicet, ne corrumpas tituli inscriptionem scilicet, quod Pilatus noluit, quod titulus crucis mutaretur.

Eadem verba habentur in duorum sequentium psalmorum titulo.

§.2. DONEC TRANSEAT CALAMITAS, aut insidiæ. Augustinus: donec transeat cœtus iniquorum, quia nunquam deerit iniquitas premens, & justitia patiens, quamdiu steterit sæculum.

§. 5. MISIT DEUS MISERICORDIAM SUAM.Quia die, noctuquè parabant mihi insidias hostes mei, scilicet Saül &c. Ideo dormiebam conturbatus. Hic dicit Augustinus,quod David accepit a Domino facultatem, ut si vellet, occideret Saülem: at ille elegit magis parcere, quàm occidere (*de medio catulorum leonum*) dicit idem Augustin. quod populus minutus Judæorum deceptus a magnis dicuntur catuli in passione Christi.

§. 7. EXALTARE SUPER CŒLOS DEUS &c. Exaltaré ergo Domine, & attolle potentiam tuam vindicando me de inimicis meis, & glorificaberis in omni terrâ, & ego præcipuè tuas laudes cantabo in omnibus instrumentis musicis: Ideo dicit: *exurge gloria mea*, quia gloria, & beatitudo David in hac vitâ non erat in alio, quàm invocando divinis laudibus. Ideo his verbis seipsum excitat. Hieron, & August. exponunt hunc psalmum de Christi resurrectione, & victoriâ ejus contra Judæos.Vatabl.psalm.107. exponit de animâ David,quasi David alloquatur animam (quæ est gloria corporis) & excitet eam ad laudes Dei summo diluculo; & excitat etiam ipsa instrumenta musica, in quibus canebat. Et testatur,se habere cor paratissimum ad Divinas laudes, legit & Vatabl: ibi *confirmatum*, ubi habemus,*paratum*.

Ponderat hic August. Davidis erga Saülem lenitatem. Erat, ait, David mitissimus, Saul ferocissimus, ille lenis, hic invidus, ille patiens, hic crudelis, ille benificus, hic ingratus, ille, cum posset occidere, pepercit ei. O virum secundum cor Dei!

§. 4. DEDIT IN OPPROBRIUM CONCULCANTES ME. Quod magis opprobrium,& confusio Judæorum potest esse(ut dicit Augustinus)quàm quod ipsi portent codices, unde nos credimus: librarii nostri sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, hi legendo perficiant. Judæus videtur in scripturâ, sicut cæcus in speculo, qui non videt se ibi, cum ab aliis videatur ibi.

PSALMUM DICAM IN GENTIBUS. Non Judæis desertis Apostoli ad gentes ierunt: nam scriptum erat, *mandabo nubibus, ne pluant*: idest, ne Evangelizent Apostoli in terrâ Judæorum.

Annot. in Psalm. 57.

SI VERE UTIQUE JUSTITIAM LOQUIMINI. Aliqui probabiliter dicunt, quod materia istius psalmi est liberatio David ab ultimâ Saülis persecutione, & qualiter Saül loquebatur ei blandè ore, sed non sic corde. Ideo incipit quasi alloquens Saülem, *si vero utique justitiam loquimini* &c. idest si recta ore loquimini, hæc ipsa & corde tenete, & factis comprobate.

Dic mihi (ait Augustinus) quis te docuit, quod nolis tibi adulterium, aut furtum &c. fieri? igitur si judicas hæc non esse a te patienda, ergo nec a te agenda in alios. Si quæro a quocumque. Nonne adulterium &c. bonum? dicunt omnes: Non. Igitur, si justitiam loquimini, facite.

§. 3. ALIENATI SUNT A BONO ET ERRAVERUNT AB UTERO. Designatur non solum fomes peccati originalis, in quo omnes nascimur, sed etiam individualis inclinatio ad quædam vitia, & malam educationem ob pravitatem parentum.

§. 4. SICUT ASPIDIS SURDÆ. Dicit Augustinus, quod Marsus incantat aspidem, dicens quædam carmina, ut educat aspidem de tenebrosâ cavernâ, quæ, cum amet manere in suis tenebris, & cogi se sentiat ad auditum illarum vocum ad exeundum, allidit unam aurem terræ, & cum caudâ obturat aliam, & sic evitans vim illarum vocum non exit ad incantantem. Sic faciunt multi ad verbum Dei, ut habet Actuum 7. *Continuerunt aures suas &c.* Sic faciunt nunc hæretici (ut dicit Augustinus) ad verba Ecclesiæ claudunt aures, ne audiant, quia nolunt exire de suis tenebris. Augustinus hîc dicit, si gravat te quasi pondus tunica veteris hominis, exue illam, ut dicit Apostolus; *exuentes veterem hominem*. Si dicis quomodo possum? fac ut serpens, qui coarctat se per foramen angustum, & sic exuit pellem. Sic tu per illam viam, de quâ Dominus, *arcta est via &c.* oportet, te primò sentire aliquem dolorem in veteris tunicæ exuitione.

§. 6. DEUS CONTERET DENTES &c. Sic (ait Augustinus) fecit Christus in interrogatione de tributo Cæsaris, & aliàs.

§. 7. TANQUAM AQUA DECURRENS. Idest sicut rivus aquæ pluvialis, quæ statim deficit; Sic est doctrina hæreticorum. INTENDIT ARCUM SUUM (Deus) DONEC CONTERATUR, ut traducit Hieronymus. Alii vertunt, fiat sicut arcus, cui tenso sagittæ difiguntur, idest sint vani omnes conatus meorum inimicorum.

§. 8. SICUT CERA QVÆ FLUIT AUFERENTUR. Vatabl. difluant instar limacis colliquescentis. SUPERCECIDIT IGNIS, ET NON VIDERUNT SOLEM. Hieronymus, & alii vertunt, fiant sicut abortivum mulieris, quod nunquam vidit solem.

Augustinus textum nostrum exponit, de illis, qui ardentes igne variarum concupiscentiarum, & ideo, quasi cera, jugiter Spiritum colliquescentes, & deficientes, non vident solem justitiæ. Hîc etiam dicit Augustinus, quod delectabile est, non solùm audire novas considerationes, sed etiam notas, & tritas, quando educuntur ex passibus, & verbis scripturæ, ubi erant occultæ.

PRIUSQUAM INTELLIGERENT SPINÆ VESTRÆ RHAMNUM. Rhamnus

nus (inquit Hieronymus) eſt genus ſentium aſperrimum aculeis, & flore gratiſſimum,& juxta hæbr. vertit, priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum,ideſt priuſquam veſtræ ſpinoſæ, & perniciosæ cogitationes producant deſideratum effectum diſſipabuntur à Deo, & vos etiam peribitis: quaſi dicat, priuſquam veſtræ malæ cogitationes intelligant, ideſt videant, quod cupiunt, ſcilicet deſtructionem meam, prius peribunt, at Deus in irâ ſuâ ſubitò abſorbebit vos, ſicut ſolet terra hians abſorbere homines vivos.

Textus, quem Auguſtinus exponit, habet, *Priuſquam producat ſpinas veſtras rhamnus :* & in idem redit : quia rhamnus prius eſt herba mollis : deinde fit aſperrima ſpina, ac denſiſſima: & exponit, quod convertamur, antequam molles voluptates producant aſperrimas ſpinas ſuppliciorum æternorum.

§. 10. MANUS SUAS LAVABIT &c.Hieronymus,Hilarius,& Auguſtinus exponunt, quod homines recti videntes in hoc mundo impios puniri a Deo ex hoc mundiores fiunt, quia ex hoc diligentiùs ſibi cavent, ne eos imitentur, quaſi in pœnis eorum lavati : & apud ſe dicunt, quia ergo videmus, quod juſti aliquem fructum recipiunt in terrâ ſuorum operum, & peccatores pœnam, utique hinc manifeſtè experimur, quod eſt Deus etiam in terrâ judicans homines.

In fine iſtius pſalmi egregiè ſuadet Auguſtinus auditionem verbi Dei.Dicunt, ait, multi, ad quid debeo ire ad Eccleſiam ad audiendum verbum Dei ? Ecce qui quotidie vadunt, & audiunt, non faciunt, quod audiunt. Reſpondet Auguſtinus: ſaltem faciunt hoc, quod eſt, ire ad audiendum, & audire, & ſic deinceps poſſunt facere, ut audiant, & faciant. Tu autem quàm longè es a faciendo, qui tantùm fugis ab audiendo ?

Annot. in Pſalm. 58.

ERIPE ME DE INIMICIS &c. Ex titulo hujus pſalmi habetur, quod materia ejus eſt liberatio David de manu Saülis, quando obſedit eum in domo ſuâ.

§. 3. CŒPERUNT ANIMAM MEAM. Hebr. Inſidiantur animæ meæ, irruerunt in me feroces, non ob aliquam iniquitatem meam *: nam ſine iniquitate cucurri & direxi vitam meam* (Hieronymus,& Auguſtinus exponunt de Chriſto in paſſione).

§. 7. CONVERTENTUR. Seu revertuntur ad veſperam frementes, ſicut canes, quia ſatellites Saulis ibant, & redibant ad explorandum, ubi erat David,uſque dum obſederunt locum,ubi erat.Auguſtinus exponit de Judæis,qui converſi ſunt ad Chriſtum ab Apoſtolis poſt adventum Spiritus Sancti, quia ſeriùs converſi ſunt,ideſt non quando Chriſtus prædicabat : & tunc habuerunt famem gratiæ Dei, ſicut canes, ideſt ſicut gentiles, qui dicuntur canes Matth. 15.. Et quia multi ex ſic converſis circuierunt mundum ad evangelizandum Chriſtum, ut Paulus; Ideo dicuntur circumire civitatem. Hieronymus exponit de Judæis in fine mundi convertendis, ut ad Rom. 11.

§. 8. ECCE LOQUENTUR IN ORE SUO. Juxta hiſtoriam clarum eſt, QUONIAM QUIS AUDIVIT ? Ideſt dum hoſtes mei ſecum ſecretò conferunt de modo, quo debent perdere me, dicunt *quis audivit* ? ideſt nemo novit ſecretas inſidias noſtras.

§. 10. FORTITUDINEM MEAM TIBI SERVABO. Ideſt tu ſolus és fortitudo mea contra illos. Campenſis, fortitudinem, ſive vires illius (ſcilicet Saülis) tibi ſervabo

vabo, ideſt *Eu o deixo con voſco, vos me vingareis delle*.

§. 11. DEUS OSTENDIT MIHI INSIDIATORES MEOS. Sic Hieronymus, ideſt dedit ſuffragium, ut poſſem evadere eos, NE OCCIDAS &c. poſtulat, quod non repentè perimantur omnes, ſed maneant aliqui in vitâ humiliati, & confuſi ad exemplum, & memoriam.

Juxtà Spiritum Dominus oſtendit Chriſto, quid facturus erat de Judæis, nempe, quod non erant exterminandi, ſed diſpergendi per orbem, ne traderetur oblivioni Scriptura veteris teſtamenti, ubi promiſſus eſt Chriſtus: ſunt enim Scrinarii noſtri ſervantes fideliter libros ſacros (Textus Auguſt. habet, *ne quando obliviſcantur legis tuæ*). Et quia ſunt depoſiti a ſuo faſtu, & ſuperbiâ, & in toto orbe humiliati vivunt: ideo dicit, *depone eos, & comprehendantur in ſuperbiâ ſuâ*.

§. 13. DELICTUM ORIS EORUM. Adde, juxta Hæbr., propter delictum, & propter ſermonem.

§. 14. ET DE EXECRATIONE, ET MENDACIO &c. Patet tàm hoſtes Chriſti, quàm David fuiſſe conſumptos, ac de eis in totâ terrâ annunciatum fuiſſe, eos injuſtè execrationibus, & mendaciis perſecutos fuiſſe illos (Vatabl.) ob perjurium, & mendacium, quod loquuntur, *conſume eos in furore*, conſume, ut non ſint, ut ſciant, quod Deus dominatur Jacob &c.

§. 17. IPSI DISPERGENTUR &c. Juxta Hebr. vagabuntur ad quærendum victum, nec ſatiati cubabunt; vel ob famem agitati ſpiritu impatientiæ murmurabunt contra Deum, ſicut faciunt canes, quando ſunt ligati, ſi eſuriunt.

Juxta Spiritum Judæi tandem converſi ſanctâ fame divini verbi, ac divinæ gratiæ, & fervoris charitatis mirabiliter urentur, & quia talis fames hìc non poteſt ſatiare, *& murmurabunt*, ideſt rugient coram Deo petentes augmentum gratiarum, ſicut in pſal. 5. ubi nos habemus, *intellige clamorem meum*; Hieronymus vertit. *Intellige murmur meum*. Alii *rugitum meum*.

Annot. in Pſalm. 59.

DEUS REPULISTI NOS &c. David in hoc pſalmo dat gratias Domino pro aliquibus victoriis contra populos gentilicos, qui deſcribuntur 2. Reg. 8. quia tamen Deus aliquando in pœnam peccatorum dederat gentibus victoriam contra Judæos, ut tempore Heli Sacerdotis, & Saülis, ideo etiam deplorat, ſe fuiſſe derelictos, aliquando: dicens, Deus repuliſti nos, aut *repuleras*. juxta hæbr.

Juxta Spiritum (ſecundùm Auguſtinum) loquuntur omnes, qui aliquando fuerunt in ſuis cæcitatibus derelicti, & poſt illuminati. Commoti enim, & concuſſi ad pœnitentiam ſanati ſunt, & reintegrati ex ſuis fracturis, & comminutionibus ſpiritualibus, quas vocat contritiones; accipitur etiam in malam partem, ut ibi *contritio, & infelicitas in viis eorum &c.*

§. 3. POTASTI NOS VINO COMPUNCTIONIS. Seu *vino lethali* juxta hebr. Juxta literam ſignificatur clades populi Judæorum in bellis. Juxta ſpiritum, Auguſtinus exponit, quod Dominus dura oſtendit populo Chriſtiano tempore Martyrum: qui potati tamen fuerunt vino ſanctæ compunctionis peccatorum.

§. 4. DEDISTI METUENTIBUS TE. Heb. habet *rurſus ſuſtuliſti timentibus te ſignum* (ideſt vexillum), ut triumpharent, & hoc ob tuam veritatem (ideſt, ut comprobareris verax in promiſſis.) Et hoc, *ut liberentur dilecti tui*. Et deinceps narrat varias victorias, & dominia terrarum. Et primò oſtendit, ſe eſſe dominum

num totius terræ Sanctæ, scilicet Sichem, & vallis Soccoth (ubi nos habemus, *Tabernaculorum)* & terræ Galaad, ac terræ Ephraim, & Manasse, ac Regni Juda, & terræ Moabitarum, quæ est olla, vel lebes lavacri mei, juxta Hebræum, idest, quâ serviliter utor sicut lebete, vel pelvi ad abluendos pedes. Et etiam super Idumæam calceamento meo ambulabo, idest, erit mihi omninò subjecta, idest, conculcabo eam. Et quia Deo auxiliatore sperat omninò se subacturum eam, ideo dicit, *quis deducet me? &c. Nonne tu Deus, qui aliquando repulisti nos? nonne egredieris in exercitibus nostris?* quasi dicens: imo egredieris nunc in auxilium nobis. Dicit, est Juda rex meus, quia Christus nasciturus erat in regno, & terrâ Judæ: ut dicit & Vatabl: psal.107. Augustinus juxta spiritum super illud: *dedisti metuentibus te signum* &c. quod, quando Deus immittit tribulationes temporales sanctis, in hoc dat eis signum, quod fugiant a facie arcus extremi judicii, quod ad modum arcus, quantò amplius tardat, quia extenditur retrò; tantò crudeliorem emittit sagittam.

(Hìc dicit Augustinus; Sarcina Christi levis est, quia pennas habet amoris, & sublevat te: nam, si detrahas pennas avi quasi onus tollis, & quò magis onus abstulisti, magis in terrâ remanebit, redeat onus, & volat. Talis est sarcina Christi: experire, & videbis, quàm suavis, quàm jucunda, quàm rapiens in cœlum, & a terrâ erigens).

Annot. in Psalm. 60.

EXAUDI DEUS DEPRECATIONEM. Psalmum hunc quamvis aliqui applicent ad David Dominum deprecantem in suis tribulationibus; tamen melius alii, ut Cajetanus, intelligunt de Christo ob duos penultimos versus.

§. 2. A FINIBUS TERRÆ AD TE CLAMAVI &c. Quæ est ista, quæ clamat in omnibus finibus terræ, nisi Ecclesia Catholica? Christus enim non solum in se clamavit ad Patrem, sed etiam per totum orbem clamat in suis fidelibus, seu Ecclesiâ, qui in ipsâ petrâ sunt firmati, & exaltati (sicut ipse exaltatus est in fortitudine Deitatis) ideo dixit Ecclesiam super petram ædificandam. Christus (ait Augustinus) anxiatur in Ecclesiâ suâ, sicut dicebat Paulo, *cur me persequeris?* & linguâ calcato pede dicit, cur me calcas? cum caput, & linguam nemo calcet.

§. 7. ANIMAM, ET VERITATEM EJUS QUIS REQUIRIT? Quasi dicat: pauci sunt, qui ex corde requirant. Et ut dicit hìc Augustinus: plures sunt, qui requirunt solam misericordiam Dei, non tamen veritatem, & justitiam, multùm sibi pollicentes de misericordiâ Dei, & surrepit in animâ eorum, ut faciant Deum injustum. Putant apud se, quod, esto permaneant in peccatis, Deus tamen ibi positurus est eos, ubi positurus est illos. qui recesserunt a peccatis. Sic vis injustus esse, ut Deum facias injustum. Quid vis ergo convertere Deum ad voluntatem tuam? tu potius convertere ad voluntatem Dei.

Annot. in Psalm. 61.

NONNE DEO SUBJECTA ERIT &c. David in suis persecutionibus à Saüle exhortatur suos socios ad fidendum in Domino.

§. 2. Dicit ergo: *quare non erit Deo* (omnimodâ fiduciâ) *subjecta anima mea?* cum ab eo pendeat salus mea? nam ipse est petra mea, & arx mea &c.

§. 3. NON MOVEBOR AMPLIUS. Juxta Heb. *non labascar graviter*. QUOUSQUE (o vos Saül, & complices.) IRRUITIS IN ME?) universi, qui hoc facitis vos met

met interficitis, ficut illi, qui irruunt in parietem, aut maceriem jamjam minantem ruinam, eâ cadente interficiuntur. Hebr. habet, univerfi vos interficiemini tanquam paries inclinatus, & maceries corruens, ideft, vos cadetis citò ficut ifta.

§.4. VERUMTAMEN PRETIUM. Ideft ftatum, vel valorem. Textus Auguftini habet *honorem*: hoc enim intendebat Saül:Et ego fitiebam evafionem meam, vel eorum converfionem(Auguftinus gloffat de Chrifto,qui fitiebat falutem judæorum,qui eum repellebant ab honore Meffiæ) Hebr. habet:*diligunt mendacium*,ubi nos habemus, *cucurri in fiti* &c.*Non emigrabo* (hebr. *non mutabo*) ab ejus protectione, & fiduciâ.

§.9. VERUMTAMEN VANI FILII HOMINUM. (Hebr. habet fecundum Vatabl. *Mendaces filii hominum*) fi fimul ponantur in bilance; ipsâ vanitate leviores erunt. Juxtà noftrum textum fignificatur, quod homines mutuò fe decipiunt in ftateris, ponderibus, & menfuris, & in omni emptione, & venditione. Vatabl. *Vani filii hominum*; *mendaces filii viri*; in fcripturâ dicuntur plebei filii hominum; principes autem, & magnates dicuntur filii viri.

SEMEL LOQUUTUS EST DEUS. (Auguftinus exponit de productione verbi æterni, per quod omnia facta funt, & revelantur), ideft, dixit verbum firmum, quod nunquam mutabit, vel quod habet poteftatem, & mifericordiam: illam ad puniendum rebelles, hanc ad præmiandum obedientes: vult quod timeamus poteftatem,& amemus mifericordiam;& in hoc lex,& Prophetæ.Non fic (ait Auguft.) de mifericordiâ præfumatis,ut poteftatem contemnatis, nec fic poteftatem timeatis, ut de mifericordiâ defperetis: hunc humiliat poteftate, hunc exaltat mifericordiâ.

Pulchrè hìc ait Auguftinus de Civitate Babyloniæ, & Hierufalem, quomodo nafcimur filii Babyloniæ, poft transferimur ad Hierufalem gratiâ Chrifti, in fignum cujus, civitas, quam ædificavit Cain, fuit de novo erecta, civitas autem Hierufalem non fuit de novo ædificata, fed capta ab Hiebufæis, qui eam tenebant.

Annot. in Pfalm.62.

DEUS DEUS MEUS, AD TE &c. Ut titulus infinuat, tractat pfalmus de Sanctâ religione David, quando erat in defertis profugus a Saüle. Titulus ejus eft; Pfalmus David, cum effet in deferto Idumææ, aut Juda (ut hebr.) Idumæa interpretatur, *rufa*, vel *terrena*, aliter hic mundus.

Hebr. *Deus, ad te fummo diluculò vigilo*. O malus fomnus animæ (dicit Auguftinus) qui eft oblivio Dei.

§.2. SITIVIT IN TE ANIMA MEA. Auguftinus de fiti Sanctorum in deferto hujus mundi ad Deum.

§.3. IN TERRA INVIA &c. Terrâ invia erat, fed Chriftus factus eft via: fine aquâ, fine refrigerio Spiritus, nifi fi quas guttas emittit Chriftus. Si hic non fitis, in aliâ viâ non fatiaberis. Sitis animæ defiderium eft: Auguftinus.

SICUT IN SANCTO APPARUI. (Campenfis) Sicut in facrâ æde appareo coram te, ut contempler fortitudinem tuam &c.

§.4. SUPER VITAS &c. Exponit Auguftinus de variis generibus vitæ, quæ homines eligunt, vita militaris, nautica &c. Hebr. habet: *mifericordia tua optabilior eft vitâ*.

§.5. ET IN NOMINE TUO &c. Leva manus tuas ad illum in oratione, & Sanctis operibus, qui eas pro te levavit in Cruce.

§.6. SICUT ADIPE &c. Campenfis, tanquam adipe, & pinguedine fatiatur anima mea, quando exultantibus labiis te collaudo. SIC

SIC MEMOR FUI TUI SUPER STRATUM. Dicit Auguſtinus, quod, qui dum eſt otioſus non cogitat de Deo, minùs cogitabit cum fuerit in actionibus. Heb. *In nocturnis vigiliis*, ubi nos habemus *matutinis*. §.7.

ADHÆSIT ANIMA MEA. Textus Auguſtini *Agglutinata eſt anima mea*: gluten charitas eſt, non cum Deo, ſed poſt Deum, ut ille præcedat, tu ſequaris, ut dictum eſt Petro. Matth. 16. Fortis eſt gallina, quæ nos protegit, ſub cujus alis ſumus, non timeamus milvios infernales. §.8.

INTROIBUNT IN INFERIORA TERRA. Peribunt, & ſepelientur, & quidam ex eis gladio occidentur, quidam à feris, quas nomine vulpium inſinuat. Auguſtinus, & Hieronymus exponunt de Judæis perſecutoribus Chriſti, quibus acciderunt dicta in deſtructione Hieruſalem, & fuerunt participes vulpium, ideſt iniquorum Principum, quales fuit Herodes, qui dicitur vulpes Luc. 13. Vatabl. exponit, quod cadavera eorum vorabuntur à feris. §.9.

LAUDABUNTUR OMNES QUI JURANT IN EO &c. Campenſ. vertit, *Gloriabuntur, qui jurant in verba illius* juxta illud *juravi, & ſtatui cuſtodire &c.* §.10.

Anima (ait Auguſtinus) ſitit Deum, caro ſitit reſurrectionem, & incorruptionem, quia multipliciter hìc deficit, & laborat: Et dicit quod ingredi in inferiora terræ eſt immergi terrenis cupiditatibus. Itidem dicit pulchrè, quod filii naſcuntur, ut expellant parentes de hoc mundo, non enim poteſt tot capere; ideo dicit puer ſeniori: tranſi, quid hìc agis &c.

Annot. in Pſalm. 63.

EXAUDI DEUS ORATIONEM MEAM. David confugit ad Dominum ob occultas machinationes Saülis contra ipſum.

PROTEXISTI &c. Heb.: *protege me &c.* §.2.

QUIA EXACUERUNT. Intendit Saül linguam ſuam tanquam arcum ad ejaculandum amaras ſagittas. §.3.

FIRMAVERUNT SERMONEM NEQVAM. Ideſt animo obſtinato decreverunt perpetrare rem execrandam. §.4.

NARRAVERUNT &c. Saül, & complices narraverunt, ideſt conſilium inierunt de parandis, & abſcondendis laqueis adverſùm me, & tanto labore, ac diligentiâ intendebant ſcrutandis ſcrutiniis, ac machinamentis contra me, quod pene anxietate inquirendi fatigati deficiebant. §.5.

SCRUTATI SUNT INIQUITATES. Hoc juxta Textum noſtrum, nam juxta hebr. valde diverſa litera eſt, ſcilicet ſcrutati ſunt malitias, & perveſtigatam malitiam repoſuerunt alto corde, at Deus ſagittis ſuis eos feriet, ita ut alii homines obſtupefacti de judicio Dei timeant ſibi, & annuncient juſta opera Dei. §.6.

(Auguſtinus exponit pſalmum in perſonâ Martyrum Chriſti reſpectu ſuorum perſecutorum etiam ex perſonâ Chriſti, & dicit quod Judæi ſcrutantes, quomodo Dominum perdituri erant in ſuis conſiliis, & ſcrutiniis defecerunt a luce veritatis, & non pervenerunt ad intentam Chriſti extinctionem, quam ſuis ſcrutiniis quærebant. Ideò dicit quod defecerunt.)

ACCEDIT HOMO AD COR ALTUM &c. Quoniam ergo homo accedit ad cor altum alta conſilia machinans contra Deum ex ſuperbiâ, tunc exaltatur Deus diſſipans talia conſilia, puniens eos, & liberans ſuos, & ſic fit, quod plagæ illatæ ab eis ſunt ſicut plagæ, quas inferunt infantes mediantibus ſagittis factis ex ca- §.7.

niciis, quæ nihil nocent, & linguæ eorum, quæ coram Pilato, & in Cruce tàm potentes fuerunt contra Christum, contra ipsosmet infirmatæ sunt (hebr.) *corruerunt* Nam si dixerunt *sanguis ejus super nos &c.* & *non habemus regem*, *nisi Cæsarem*, Cæsaris potentiam experti sunt, scilicet Vespasiani, qui talem cladem in eos intulit, quod conturbati sunt omnes, qui viderunt &c. præsertim conversi ad fidem.

Annot. in Psalm. 64.

TE DECET HYMNUS EX SYON &c. Ut aliqui dicunt tractatur, quomodo in Syon jure colitur Deus ob beneficia tàm spiritualia, quàm corporalia. Heb. habet, *tibi silet laus*, vel *tibi silentium* juxta Hieronymum, quia tot sunt beneficia, quod nemo ea laudare dignè possit in Ecclesiâ, & ideo potiùs silendum, & stupendum, & pati extasim. Tibi debetur laus in Syon, sive Hierusalem, quia cives Babylonis te laudare non possunt. Augustinus, qui etiam dicit, quod, esto in Hierusalem militante laudemus, tamen votum non nisi in cœlesti persolvetur, quia ibi erimus holocaustum perfectum; ibi in resurrectione implebuntur omnia desideria nostra.

§. 2. EXAUDI ORATIONEM MEAM &c. Quia ex hoc, quod audis preces supplicum, ad te venient omnis generis homines, quantùmque sint carnales. Augustinus hîc tractat, quomodo ex omni genere hominum aliqui jam conversi sunt ad Christum.

§. 3. VERBA INIQUORUM. (Heb. *iniquitatum*) PRÆVALUERUNT SUPER NOS &c. Augustinus egregiè exponit, quod mala in mundo fuerunt, & sunt ex pestilentiâ linguæ: quid faceret (ait) puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, qui nihil aliud audivit ab infantiâ, quàm colendum lapidem? &c. Isti ergò si postea convertuntur, optimè possunt dicere verbum hoc: sic & de natis in Germania, post hanc corruptionem, qui nihil aliud audiunt, quàm maledictiones Romanæ Ecclesiæ.

§. 4. BEATUS QVEM ELEGISTI. Augustinus exponit de homine assumpto a verbo. Hieronymus exponit de quocumque electo.

MIRABILE IN ÆQVITATE. Pulchritudo domus Dei præcipuè apparet in splendore justitiæ non severæ, sed summâ æquitate exercitæ.

§. 6. SPES OMNIUM FINIUM &c. O Domine, qui es spes omnium finium terræ, & maris immensi, ut habet Hebr. vel *longinqui*, idest etiam habitantes in extremis maris, aut insulis remotissimis in te solo fiduciam habent.

§. 7. PRÆPARANS MONTES &c. (Juxta literam, o Domine tu es, qui firmas montes potentiâ tuâ, sive fortitudine accinctus, tu es qui compescis strepitum marinum, ac fremitum undarum ejus, ac tumultum populorum (Sic heb.) Juxta nostram literam describitur Deus author tempestatum maris, qui etiam juxta Augustinum permisit excitari in mari hujus sæculi magnas tempestatés persecutionum contra montes, idest Sanctòs prædicatores a se præparatos.

§. 8. TURBABUNTUR GENTES ET TIMEBUNT &c. A signis cœlestibus variis timent homines, tamen delectantur ortu, & occasu solis, scilicet quando vesperè exit a nobis, & quando mane exit ad nos. *Delectabis exitus*, idest delectabiles facies, ut dicit Augustinus. Imo editio vulgata, quam exponit Hieronymus, habet *delectabilis*, non delectabis. Augustinus exponit, quod Deus dat delectationem vespere, & mane idest in prosperitatibus, & adversitatibus.

§. 9. VISITASTI TERRAM &c. Usque ad finem tractat de ubertate fructuum, à Deo

à Deo datâ. Unum juxta Hebr. habetur, *visitasti terram, & irrigasti*: (Augustinus glossat, de irrigatione spirituali mediantibus nubibus: Apostolis.)

§.10. FLUMEN DEI REPLETUM EST AQUIS. Aliquod insigne flumen in terrâ promissionis, quod quando inundabat ob multitudinem aquarum terram fœcundabat (Augustinus exponit, quod flumen est populus Dei, quod est plenum illis aquis, de quibus Dominus, si quis sitit veniat ad me: Et mediantibus talibus aquis præparatur cibus animæ, quoniam ita, & non aliter præparatur), & ita parabatur cibus hominum. QUONIAM ITA EST PRÆPARATIO EJUS, idest, dicto modo præparatur terra ad fructificandum, scilicet per pluvias, & inundationes fluviorum.

§.11. RIVOS EJUS INEBRIANS. (Heb. *sulcos ejus inebria:* & Textus Augustini sic habet) *multiplica fruges ejus, pluviis irriga eam, & germini ejus benedic, voluetur annus in bonitate tuâ*. Sic vertit Hieronymus.

Juxta Spiritum, dona gratiarum divinarum: primò dantur parvulis in Christo tanquam stillicidia, deinde fiunt rivi, deinde rivi inebriantur, idest crescunt: *benedices coronæ anni &c.*, corona est circulus anni, qui currentibus temporibus in se redit: annus ergo ille, in quo in gratiâ crevimus &c. fuit a Domino benedictus. Et accidit hæc ubertas, & est in animabus, quæ aliàs erant sterilia deserta.

§.14. INDUTI SUNT ARIETES OVIUM. (Hebr. *vestientur campi gregibus*) Hieronymus *vestientur agnis oves*. Augustinus supplet exultationes, scilicet *arietes ovium induti sunt exultatione* scilicet, ob abundantiam pascuæ.

Annot. in Psalm. 65.

JUBILATE DEO OMNIS TERRA PSALMUM &c. Invitatur tota terra ad nuptias Christi.

Augustinus hic contra hæreticos, omnis (ait) terra jubilet, nemo jubilet in parte, Catholica jubilet; Catholica idem est, quod tota: quicunque partem tenet, & a toto præcisus est, ululare vult, non jubilare.

§.2. QVONIAM TERRIBILIA SVNT. Judicia Dei ut patet (inquit Augustinus) ex illo Joannis 9. *Ego veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci sint*, ob multitudinem potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui, falsi Christiani, qui considerantes potentiam Dei in puniendos malos in inferno, multa proponunt, aut promittunt se facturos, quæ tamen non faciunt; sicut (ait Hieronymus) quando dixerunt Judæi timore perterriti, *omnia quæcunque præceperit Dominus faciemus, & erimus obedientes*. Exod.24.

§.5. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM. Ut transiret Israel, & flumen Jordanis siccis pedibus pertransitum est. Augustinus. Jam anima, quæ erat vitiorum amaritudine quasi mare nunc clamat : anima mea sicut terra sine aquâ tibi.

§. 6. QVI EXASPERANT. Hieronymus habet, qui sunt increduli.

§.10. INDUXISTI NOS IN LAQUEUM. Loquitur Ecclesia primitiva, quam Dominus variis tentationibus (quæ dicuntur laquei) & tribulationibus probavit, & posuit tyrannos super eam, at post varias vexationes, per ignem, & aquam perducta est in quietem.

§.13. ET LOCUTUM EST OS MEUM IN TRIBULATIONE MEA. Quid locutum est ? scilicet hoc

HOLOCAUSTA MEDULLATA. Medulla purarum intentionum, & fervorum præcordialis charitatis.

§.16. AD IPSUM ORE MEO CLAMAVI. Et non solùm ore,sed etiam exaltavi ipsum sub linguâ, ideſt corde: nam si iniquitatem respexiſſem in corde meo (scilicet aliud ore, aliud corde: ore laudando, corde offendendo) non exaudiviſſet Dominus. Sic Hebr. *Et propterea exaudivit Deus*, *quia ego in corde non respiciebam iniquitatem*.

§.19. QUI NON AMOVIT ORATIONEM &c. Ideſt quam diù Dominus dederit mihi gratiam jugiter orandi, certò scio, quod non amovebit misericordiam suam à me.

Annot. in Psalm. 66.

DEUS MISEREATUR NOSTRI &c. De adventu Meſſiæ ad miserandum, illuminandum, & benedicendum genus humanum (Auguſtinus in principio psal. 62. dicit: fratres videtis modo, quia totus mundus, tota terra, omnes gentes, omnes regiones currunt ad nomen Chriſti, & credunt in Chriſtum)

Annot. in Psalm. 67.

EXURGAT DEUS ET DISSIPENTUR &c. Tractatur de magnalibus Dei in debellatione hoſtium Israelis (teſtatur Athanaſius in quæſt. 15. plures sanctos fuiſſe expertos, hunc psalmum eſſe summo terrori Diabolo, ideo consulit, quod dicatur in tentationibus) & tractantur etiam myſteria Chriſti, ut patet ex Apoſtolo ad Epheſ. qui hinc adducit illud *ascendens in altum &c.* Caſſiodorus *Exurgat Deus*, ideſt resurgat Chiſtus &c.

§.14. ITER FACITE EI QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Ideſt præparate corda veſtra (quia impolluta via eius) illi, qui resurgendo vicit mortem, vel ascendit super cœlos: nam Sanctes vertit, *Exaltate eum, qui ascendit super cœlos*. Cajetanus & Munſterus vertunt, exaltate illum, qui equitat in cœlis, vel qui orbibus cœlorum, ut equo insidet, & tamen cum hoc eſt pater orphanorum, & Judex viduarum, & ideo qui nocent iſtis turbabuntur coram facie ejus.

§.7. QUI EDUCIT VINCTOS (Auguſtinus de vinctis in peccatis:vel ut Caſſiodorus, de vinctis in limbo, quando descendit ad inferos) similiter educit eos, qui ante exasperabant Deum, & manebant in sepulchris suarum concupiscentiarum, & vitiorum: poteſt etiam intelligi de eductione Judæorum de terrâ Ægypti: Et hic videtur magis ad literam, ut patet ex sequentibus, ubi tangit de mannâ, quod cœli diſtillaverunt.

§.9. CŒLI (inquit) diſtillaverunt manna à facie Dei Synai,à facie Dei Iſraël tremuit; Sic Cajetanus, & aliqui moderni. Auguſtinus exponit, quod cum terra excitata eſt ad fidem, tunc cœli, ideſt Apoſtoli, diſtillaverunt cœleſtem sapientiam à facie Dei Synai, ideſt ex gratiâ, & potentiâ illius Dei, qui dedit legem in monte Synai.

§.10. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS DEUS. Doctrinam salutarem; vel gratiam Spiritus Sancti,ut Auguſtinus, quam Deus deputavit Eccleſiæ suæ, ob quam infirmata eſt sanctâ infirmitate, ideſt humilitate,seu cognitione propriæ infirmitatis. TU VERO PERFECISTI EAM, quia virtus in infirmitate perficitur,quia hic versus sic videtur germanè exponendus,ideo meritò aliqui præcedentem versum intelligunt de diſtillatione cœlorum spiritualium. Aliqui tamen exponunt de pluviâ corporali datâ ex divinâ liberalitate tempore,quo homines infirmabantur. Ideſt

au-

angebantur, aut fame premebantur, & datâ pluviâ confortabantur. Augustinus etiam per infirmitatem exponit murmurationem Judæorum in deserto.

ANIMALIA TUA. Intellige vel de populo Judæorum, qui habitaverunt in hæreditate Dei, ideſt terrâ promiſſionis: vel de gentibus converſis ad Christum, quæ habitaverunt in Eccleſiâ humili, cui Deus paravit dulcedinem myſteriorum, Sacramentorum, conſolationum variarum gratiarum.

DOMINUS DABIT VERBUM &c. Augustinus exponit de copiâ doctrinæ Evangelicæ datâ Apoſtolis ſimul cum virtute miraculorum: Juxta Hebr. babetur *Dominus dabit verbum annunciatricibus exercitus magni*, quia Deus dando victorias populo, dabat virtutem mulieribus conficiendi cantica de eis, atque cantandi. Hieronymus applicat ad mulieres, quæ Domini reſurrectionem Apoſtolis nunciaverunt. §.12.

REX VIRTUTUM &c. Quia (inquit Augustinus) poterat quæri, quis debet dare verbum evangelizantibus virtute multâ? Reſpondet: quod Rex virtutum dabit hoc, & dicitur Pater Cœleſtis Rex virtutum Christi ab eo dilectiſſimi, & ideo congeminatur *dilecti*, quaſi dicat valde, valde dilecti: quamvis, ut ipſe dicit, multi codices non habeant niſi ſemel *dilecti*, quia ab eo omnia accepit, & quia Christus miſſus eſt à Patre ad conſtituendam Eccleſiam; Ideo ſubjungitur, & *ſpeciei domus dividere ſpolia*: ſpolia ſunt homines erepti de poteſtate Diaboli, quos Dominus diviſit, ideſt diſtribuit, quia quoſdam dedit Apoſtolos, alios Prophetas &c. & hoc ad ſpeciem, ſive pulchritudinem domus, ſeu Eccleſiæ. Poteſt etiam meritò intelligi Spiritus Sanctus per regem virtutum; & dicitur bis *dilecti*, quia procedit à Patre, & Filio per modum amoris, quaſi dicat, Spiritus Patris, & Filii, qui Spiritus eſt dator omnium virtutum, ſanctificator Eccleſiæ, ac diſtributor donorum ad ejus pulchritudinem. §.13.

Juxta Hebr. habetur. Reges cum ſuis exercitibus fugerunt, & habitatrices domus diviſerunt ſpolia: quo ſignificatur adeo clara victoria Judæorum contra reges Chananeorum &c., quam etiam mulieres, quæ ſolent domi reſidere, ipſa ſpolia hoſtium colligebant, & dividebant.

SI DORMIETIS INTER MEDIOS CLEROS &c. Alloquitur ſpolia dicta, ideſt homines ereptos de poteſtate Sathanæ, & diſtributos in varios gradus Eccleſiæ, ſcilicet paſtores, doctores, Apoſtolos &c. ſi vos qui eritis inter duo teſtamenta (hæ ſunt præclaræ ſortes nobis à Deo datæ: *cleros* ideſt ſors) aut ut alii inter hæreditatem terreſtrem, & cœleſtem, tunc verè eritis pennæ deargentatæ Eccleſiæ (Eccleſia dicitur Columba habens pennas deargentatas, ideſt, puram doctrinam, quia *eloquia Domini eloquia caſta, argentum examinatum*) volantes ad cœleſtia: & dicitur Eccleſia habere dorſum aurei coloris, quia ob fervorem charitatis multa ſuſtinet propter Christum, & propter proximos; hæc eſt, quæ clamat *ſupra dorſum meum* (*ſeu poſteriora dorſi mei*) *fabricaverunt peccatores &c.* §.14.

Juxta hebr. *etiam ſi dormiatis inter ollas* (nigras) *eritis poſthac, ſicut Columba habens pennas deargentatas, & alas ſicut aurum fulvas*, ideſt, quamvis ſitis in extremâ miſeriâ, Dei largitate ad fœlicitatem redibitis.

DUM DISCERNIT CŒLESTIS REGES &c. Quoniam, ut ait Augustinus: Christus eſt, qui ordinavit rectores Columbæ deargentatæ, ideſt Eccleſiæ, ideo ſequitur, dum ille cœleſtis rex (qui antonomaſticè cœleſtis dicitur) *diſcernit reges* (ideſt, paſtores, & rectores Eccleſiarum) ſuper Eccleſiam, tales veri reges, ac Sancti paſtores nive dealbabuntur, ideſt purificabuntur à peccatis in monte Selmon, qui eſt mons pinguis, ideſt, in Eccleſiâ, in cujus Sacramentis eſt pingue- §.15.

guedo gratiæ ad abluenda peccata (& *Selmon* interpretatur *umbra*, quia Ecclesia vivit in umbrâ fidei. Augustinus per hunc montem intelligit Christum, cui alii montes non sunt comparandi, quia solus hic in vertice montium, ideſt, sanctorum) & in sequentibus variis nominibus nuncupat Ecclesiam: nàm vocat eam montem coagulatum, & pinguem, seu fertilem, quia attemperat se capacitate filiorum dando quibusdam lacteam doctrinam, aliis solidiorem; & quia Ecclesia non est nisi una, ideo adjunxit

§.16. UT QUID SUSPICAMINI ESSE ALIOS MONTES COAGULATOS? Quo monentur non divertere ad conventicula hæreticorum, qui ostentant, se habere lac bonæ doctrinæ ad docendos ignorantes, cum tamen non lactent, nisi felle draconum, & veneno aspidum.

CURRUS DEI &c. dicitur etiam Ecclesia currus Dei, quia portat Deum, tanquam ejus aurigam: & dicitur *multiplex decem millibus;* quia ex innumeris populis, ubi sunt millia lætantium, qui gaudent spe, & lætanter cantant, *lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c.*

O DOMINUS IN EIS IN SYNAI. Illemet, qui dedit legem in monte Synai, ille est in Ecclesiâ, præsertim in Sancto Sanctorum Christo.

Juxtà hebr. est alia litera diversa, aliter ab eo versu, *dum discernit &c.* sic legunt. *Cum dissiparet omnipotens in eâ* (terrâ promissionis) *reges, albescebat, quasi nix, mons Selmon,* ideſt ad præsentiam populi Israelis cœperunt fulgere montes terræ promissionis, quasi nix, qui prius tenebrescebant, quando erant sub ditione Idolatrarum. Tunc loquitur de excellentiâ montis Syon, dicens, Mons caseis abundans, mons pinguis, ut quid invidetis illi, o vos montes clivosi? Domino placuit habitare in eo, & perpetuò in eo habitabit.

Equitatus Dei habet bis dena millia, (ubi nos habemus *currus Dei &c.*) Angelorum protegentium montem Syon: Dominus manet in Monte Syon, sicut mansit in monte Synai, & in Sanctuario suo.

§.19. ASCENDISTI IN ALTUM. Quia post Ascensionem Christi fuerunt dona data Ecclesiæ. Ideo postquam dictum est de donis Ecclesiæ, convertit Propheta sermonem ad Christum, & dicit *Ascendisti*: quod de Ascensione exponit Paulus ad Ephes.4.; quamvis aliqui exponant de liberatione Judæorum à captivitate Ægyptiacâ.

§.20. ETENIM NON CREDENTES &c. Explicat, quos captivos Dominus liberavit, illos, qui erant in captivitate infidelitatis non credentes in Deum, vel non credentes Deum inhabitare naturam humanam personaliter, hos pertraxit ad fidem. Augustinus.

§.21. BENEDICTUS DOMINUS &c. Facit orationem ad Christum ascendentem in cœlum: Benedictus per singulos dies, qui post se prosperè faciet nos ingredi iter cœlestis patriæ, cum sit Deus nostrarum salvationum. Juxta hebr. Benedictus Dominus, qui nos quotidiè onerat, vel cumulat beneficiis. Idem dicit

§.22. DEUS NOSTER DEUS SALVOS FACIENDI. Ideſt cujus proprium munus est salvos facere homines, & ipsius solius est destructio mortis spiritualis, & etiam corporalis in die resurrectionis, quando omnes a morte exibimus.

§.23. VERUMTAMEN DEUS CONFRINGET &c. Ideſt quamvis salvator, tamen confringet superbam extollentiam suorum hostium, quæ insinuatur in vertice capilli.

§.24. DIXIT DOMINUS EX BASAN. Basan interpretatur confusio: nullus potest ad Deum converti, nisi confundatur de vitâ priori: quod, si verè confunditur,

tur, indubitanter convertetur, etiam si jaceat in profundo vitiorum maris hujus sæculi. Juxta hebr. habetur, *restituam ex Basan* (tollam inde hostes meos, sicut feci olim, Numer.21.) restituam ex profundis maris, etiam si illuc fugerint. Nihil aliud vult dicere nisi, quod liberabit ab hostibus terram suam, qui ità vastabuntur, ut pes tuus, & lingua canum tuorum tingatur sanguine hostium tuorum, ut babetur juxtà hebr. Quo fiet, ut videant pompam triumphi ob victoriam ad gratiarum actionem: nam ibunt Principes cum cantoribus, & puellis tympanistris &c. §.25.

Ad literam nostram exponit Augustinus, quod multi conversi ex paganismi confusione, adeò ferventes fuerunt in effusione sanguinis pro Christo, ut posset ipse Christus lavare pedes in sanguine ipsorum. tanta fuit copia sanguinis, & ex ejusdem inimicis facti sunt postea canes, idest, ardentes prædicatores: Et hoc totum (inquit Propheta) ab ipsomet Christo factum est. Et quare fuerunt tam fortes in sui sanguinis effusione? Respondet, quia VIDERUNT INGRESSUS TUOS, o Christe, quia viderunt, quod tu præcesseras per eandem vitam passionis.

PRÆVENERUNT PRINCIPES &c. Ponitur celebris gratiarum actio in Ecclesiâ Dei pro beneficio redemptionis, ubi concurrunt principes, idest, viri Apostolici, Episcopi &c. cum aliis utriusque sexus animabus differentibus (dicit Augustinus) tympanum, idest, carnem domitam, corium desiccatum ab humore peccati, & extensum à rugâ duplicitatis. §.27.

IN ECCLESIIS BENEDICITE DEO DOMINO. Hæ sunt (dicit Augustinus) juvenculæ tympanistriæ potatæ de fontibus Israël, de doctrinis Apostolorum, non de lacunis hæreticorum. Juxtà hebr. habetur, *vos qui estis de venâ Israel, in cœtibus laudate Deum (* inter quos erit parvulus Benjamin præsidens principibus Juda, Zabulon, & Naphtali.) §.28.

IBI BENIAMIN ADOLESCENTULUS &c. Augustinus, & Cassiodorus: exponunt de Paulo novissimè converso, qui habuit mentis excessum in suo raptu. §.29.

PRINCIPES JUDA &c. Reliqui Apostoli, & pastores describuntur, ut dicit Augustinus, qui ponit interpretationem horum nominum. §.30.

MANDA DEVS VIRTVTI TVÆ &c. Oratio Ecclesiæ, ut Deus excitet potentiam suam, & confirmet, & adauget beneficia inchoata in templo, quod est in Hierusalem, quia in hac civitate celebrata fuerunt prima mysteria. Tunc sequitur §.31.

TIBI OFFERENT REGES MVNERA. Te favente omnes reges terræ tibi subjicientur &c. §.32.

INCREPA FERAS ARUNDINIS, idest Hæreticos juxtà Augustinum, qui sunt feræ, lupi rapaces, & etiam arundines, quia circumferuntur omni vento doctrinæ. Increpa, inquam, eos, quia valde nocent. Sunt non in medio populi, sicut congregatio Taurorum in vaccis populorum, idest turbis popularibus, quæ sunt, sicut mulierculæ leves, & seductibiles, & intentio horum taurorum est excludere ab Ecclesiâ eos, qui sunt probati argento, idest doctrinâ Catholicâ, quæ est argentum igne examinatum. Juxtà hebr. habetur: *increpa cœtum astatorum cœtum validorum cum vitulis populorum*, qui se contumaces præbent, ut victi veniant cum fragmentis argenti, tamquam tributarii *dissipa gentes, quæ bella volunt* §.33.

DISSIPA GENTES, idest hæreticos (ait Augustinus) qui bella volunt, quia soli contentioni student non zelo sciendæ veritatis. §.34.

FV-

VENIENT LEGATI (vel optimates juxta Hebr.) EX ÆGYPTO, *& Æthiopiâ*: celeriter manus suas Deo protendent, ut habetur hebr.. Designatur conversio gentilitatis ad Christum, intelligendo nomine partis gentilitatis, totam eam. Debemus legere. *Æthiopia præveniet manus suas Deo*, quia manus in hebræo est accusativus pluralis, ut dicit Augustinus, sicut in psalm. 14. ubi habemus, *cadent in retiaculo ejus*, legamus, *cadent in retiacula tua peccatores*,

§.36. QUI ASCENDIT SUPER CŒLUM CŒLI. Ascendit Christus super cœlos cœlorum ad orientem, idest, ad patriam claritatis æternæ, unde oritur totum lumen (hebr.) *psallite Domini æquitanti super cœlos cœlorum ab initio*.

§.37. ECCE DABIT VOCI SUÆ VOCEM VIRTUTIS. Idest efficaciam resuscitandi omnes mortuos, ut exponit Augustinus:

Annot. in Psalm. 68.

SALVUM ME FAC DEUS &c. Ad literam est de Passioné Messiæ, neque dubitare de hoc permittitur, ut dicit Augustinus ob illa verba, *dederunt in escam meam fel. &c.*

AQUÆ. Idest seditiones populi, ut dicit Augustinus; vel Christus comparat se homini, qui jactatus in undas maris in eis volutatur usque ad emissionem animæ.

§.2. INFIXVS SVM &c. Demersus sum in profundissimum limum, idest, veni ad extremum pœnarum, & non est substitentia.

§.4. LABORAVI CLAMANS &c. Et quia Pater non exaudivit eum, quando pro carne intercedebat, ut transiret ab eo hora, ideo comparat se homini, qui in undis non cessat clamare, quod succurrant ei, & tamen nemo occurrit.

§.7. DEVS TV SCIS INSIPIENTIAM MEAM. Loquitur in personâ suorum membrorum, ut dicit Augustinus. Et si vis trahere ad personam Christi: tu scis insipientiam meam nullam, esse, & delicta mea, quæ nulla sunt.

§.8. NON ERUBESCANT. Idest non pudefiant, in me; pudesit qui repulsam patitur, idest membra mea, quæ per me confidunt se consecutura gratiam coram te, & reliqua spiritualia dona, non inveniant se confusa, & pudefacta.

§.13. ET OPERVI. (Hebr. *afflixi*) in jejunio, scilicet quasi pallio totum me pœnitentiâ, & maceratione carnis vestisti propter illos, ipsi tamen ob hoc deridebant.

ET POSUI VESTIMENTVM &c. Vestivi me cilicio mortalis carnis, & factus sum illis in parabolam irrisoriam.

§.16. EGO ORATIONEM MEAM AD TE FVNDO &c. Vt jam veniat tempus beneplacitum tibi, quo decernis, homines tibi reconciliari per passionem meam.

§.19. NEC VRGEAT SVPER ME PVTEVS OS SVVM. Idest non sic cadam in puteum mortis, quod inde non resurgam.

§.24. IMPROPERIVM EXPECTAVIT COR MEVM &c. Non erat finis improperiorum, & dolorum, quia quibusdam illatis scribam alios venturos.

§.25. ET SVSTINVI QVI &c. Quando Dominus dicit, quod non habuit comitem suæ tristitiæ, intelligit (Augustinus) de tristitiâ, quam habebat ob cæcitatem Judæorum, quia ob ejus mortem Magdalena flevit &c.

§.27. FIAT MENSA EORVM. De Sacrâ Scripturâ, quæ facta est illis in offendiculum

culum suæ cæcitatis (sic Cassiodorus) vel sicut dederunt mihi in escam fel, ità omnes eorum voluptates vertantur in amaritudines.

§.31. QUONIAM QUEM TU PERCUSSISTI &c. Labores, quos Dominus pertulit ante passionem ob nostram salutem, super hos addiderunt supplicia, & mortem, (ut Cassiodorus), vel post illatam mihi mortem, adhuc addiderunt persequi mea.

§.32. APPONE INIQUITATEM &c. Ideſt, relinque eos, & sic ex unâ iniquitate procedent in aliam.

Annot. in Pfalm. 69.

DEUS IN ADJUTORIUM MEUM INTENDE. Ardentissima oratio David recurrentis ad Deum in persecutione ab Absalon, & aptare sibi eam potest anima magnis spiritualium hostium tentationibus oppugnata, & afflicta. Cetera expositione non indigent.

Annot. in Pfalm. 70.

IN TE DOMINE SPERAVI; NON CONFUNDAR &c. Quidam dicunt, quod est oratio Christi postulantis liberationem, ut post laudetur Pater. Alii, quod est oratio David in persecutione Absalonis.

§. 8. TANQUAM PRODIGIUM FACTUS SUM MULTIS. David in suâ adolescientiâ reputatus est prodigium, tùm in occisione Leonum, & Ursorum, & Philistæi, tum (ut Augustinus) quia carnales reputant prodigium, quod homo credat, quæ non videt, & contemnat præsentia, quæ videt, & inhiet futuris, quæ non videt.

§.11. ET QUI CUSTODIEBANT. Lege, *observabant*.

§.17. QUONIAM NON COGNOVI LITERATURAM. Ideſt, non adhæsi cortici literæ legis, vel non confidi in justitiâ legis, imò introibo in magnalia Christi, & memorabor solius Justitiæ ejus, ideſt, justitiæ fidei (ut dicit Apostolus) *ut inveniar habens non justitiam legis, sed quæ ex fide est Jesu Christi*.

Alii vertunt, negotiationis, ideſt, quia non vacavi lucrosis negotiationibus, quæ, ultrà hoc, quod valdè impediunt contemplationem, sunt occasio periuriorum, mendaciorum &c. Ideò possum vacare cogitandis tuis magnalibus, & in solâ tuâ justitiâ fidam non in meâ, utrumque est Augustini. Moderni vertunt: non cognovi numerum beneficiorum tuorum, introibo ad (*considerandum*) fortitudines tuas.

§.20. DONEC ANNUNCIEM BRACHIUM TUUM. Ideſt, & potentiam tuam, & justitiam tuam, & magnalia altissima.

§.22. QUANTAS OSTENDISTI MIHI TRIBULATIONES. Ob peccata mea, & de abyssis terræ, de submersione, & voragine luti status culpæ.

§.24. CONFITEBOR TIBI IN VASIS PSALMI. Ideſt, in psalterio, ut dicit Augustinus.

Annot. in Psalm. 71.

DEUS JUDICIUM TUUM REGI DA. Titulus est, *Primus in Salomonem*; non in suâ personâ, sed quatenus est typus veri pacifici, ideft Christi, quia multa sunt in hoc psalmo, quæ non possunt Salomoni competere. Deus Pater, da judicium filio, quia Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio (Augustinus.)

§. 3. SUSCIPIANT MONTES. Ideft, Apostoli, & magni Sancti; & COLLES, ideft, minores, sed tamen Apostoli postquam suis personis susceperint reconciliationem cum Deo, & cordis tranquillitatem, & veram justitiam fidei, quæ est per Christum, diligenter intendant hæc ipsa populo annunciare. Christus humiliabit calumniatorem, Diabolum scilicet (Augustinus).

§. 6. DESCENDET SICUT PLUVIA IN VELLUS. (Augustinus) sicut enim tempore Gedeonis Judic. 6. solum vellus compluturn est, totâ areâ manente siccâ; sic Dominus primò descendit in populum Israël solum, totâ gentilitate manente in suâ siccitate. Vellus enim (ut dicit Chrysostomus) significat synagogam ex oblatione Sacrificiorum pecorum habentium vellera (vel cum Hieronymo per vellus intellige candidum uterum virginis). At post etiam stillavit super totam terram, ideo sequitur, *ut stillæ irrorantes terram*.

Alii vertunt, *descendet sicut pluvia in pratum desectum, vel demessum* (*que est à ja segado, ou laurado esperando por chuva pa fruttificar*) ita hilariter recipietur, sicut pluvia opportuna.

ORIETUR IN DIEBUS EJUS &c. Loquitur de verâ pace in terrâ, ideft cordis tranquillitate, & justitiâ fidei, quâ fruuntur omnes veri Christiani: & numquam deerit hæc pax, & justitia in Ecclesiâ Dei usque ad finem mundi, donec auferatur luna, ideft mortalitas carnis, vel Ecclesia militans (Augustinus).

§. 8. ET DOMINABITUR (Christus) A MARI &c. Ideft ab Oceano Orientali usque ad Oceanum Occidentalem, ut nunc videmus. Et à flumine Jordanis, ubi cœpit Ecclesiâ, & Baptismus sacratus est, usque ad terminos terræ.

§. 9. CORAM ILLO PROCIDENT &c. Conversio harum gentium (dicit Augustinus) non eget expositione, sed contemplatione rei impletæ. INIMICI EJUS TERRAM LINGENT *postrados beyaraõ à terra* in signum summæ adorationis, quia ex corde convertentur ad ipsum.

§. 12. LIBERABIT PAUPEREM. In toto psalmo loquitur de paupertate, ideft humilitate cordis.

§. 14. EX USURIS, ET INIQUITATE &c. particulari oppressione usurarum intellige omnes oppressiones, quas justi patiuntur ab impiis.

§. 15. ET VIVET ET DABITUR EI &c. Quando dicitur, quod Christus est adorandus muneribus de auro Arabiæ, ideft *muy fino*, vel intellige donationes factas Ecclesiæ à Principibus mundi: vel secundùm Augustini intelligentiam, sapientiam, quia multi sapientes fuerunt ad Christum conversi. *Vivet* significat immortalitatem Christi.

§. 16. ERIT FIRMAMENTUM IN TERRA &c. Ante adventum Christi omnia nutabant, omnia confusa, nihil firmiter cognoscebatur de Deó, aut de hominis felicitate: est etiam firmamentum desideriorum præsertim in summis montium, ideft in sanctis viris, & fructus gratiarum, ac donorum Spiritus Sancti excelsus erit, & fideles populi crescent, sicut fœnum. Juxta hebr. *habetur frumentum*;

Et

Et omnes sic vertunt; Aliqui putant, quod vitio scriptoris est firmamentum in editione vulgatâ, cum sit frumentum, & est juxtà historiam hyperbole, quo significatur tanta abundantia tritici, quod etiam in montibus seminatum dabit aristas altiores cedris libani, & homines florebunt incivitatibus, sicut fœnum ob multiplicationem; Et significatur frumentum verbi Dei, quod maximum fructum faciet in terrâ.

Annot. in Psalm.72.

QUAM BONUS ISRAEL DEUS &c. Consolatur pios, qui aliquando uruntur videntes felicitatem impiorum in hac vitâ, ostendens quàm infelicem exitum habent impii, & quàm felicem habent pii, quantumcunque tribulati.

§.2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES. Hebr. parùm abfuit, quin nutarint pedes mei, & effunderentur gressus mei, quia zelavi, ideft urebar dolore non potens ferre impiorum felicitatem, seu pacem in bonis: & parùm abfuit, quin caderem in peccatum, *mal sentir da providencia de Deus, ou dei xar o cominho de virtude*. (Intellige hæc dicta in personâ infirmorum, qui patiuntur istas tentationes.)

§.4. QUIA NON EST RESPECTUS MORTI EORUM. Non respiciunt ad mortem, non curant se affligere cogitando de morte. Unus Hieronymus vertit, quia non recogitaverunt de morte suâ, neque est firmamentum in plagâ eorum; ideft si aliquod flagellum illis evenit parùm durat. Alii vertunt: Non sunt eis nexus ad mortem, imò sunt pingues, & prævalidi, non ducuntur ad mortem diuturnis morbis, sed sani usque ad ultimam senectutem perseverant.

§.7. PRODIIT QUASI EX ADIPE &c. (Augustinus) Pauper aliquando peccat, & furatur ex macie, & egestate. Dives peccat ex abundantiâ divitiarum. Si dicis pauperi, quare peccasti in hoc? Humiliter respondet, quia necessitas me compulit; dic diviti, cur peccasti in hoc? tamquam taurus in te insiliet; Transformati sunt in affectiones cordis sui. Verùm alii vertunt, sectantur desideria cordis. Alii, transierunt cogitationes (seu desideria cordis) *mais bonanca thes veyo de quos nunca cuidaram ne auiao de Sejado*.

§.8. INIQUITATEM IN EXCELSO LOQUUNTUR. Ideft altâ voce propalant superbiam suam dicentes (ut ait Augustinus) *Eu xos farey conbe cez com quem o aveis &c.*

§.9. LINGUA SUA NON PARCUNT NEC DEO, néc hominibus, ideò, dicit quod *posuerunt in cælum os suum, & linguâ suâ pervagantur terram*.

§.10. IDEO CONVERTETUR &c. Ponit tentationes, quas patiuntur pii (imperfecti tamen) videntes hanc impiorum prosperitatem, ideft convertuntur, & mentem applicant ad cogitandum de causâ hujus, scilicet quare dies pleni inveniuntur in eis; dies pleni, ideft dies undequaque læti (. Alii vertunt, aquæ fœcundi calicis: & idem est.) & dicunt sic: Scit Deus ista? Curat res humanas? Et explicant causas suæ admirationis, ecce (inquiunt) ipsi peccatores &c.

§.13. ET DIXI EGO SINE CAUSA &c. Ergo frustra conor esse justus, & innocens, frustra singulis diebus sum in tribulationibus, & afflictionibus manè, & vesperè castigando carnem meam, & resistendo ejus affectibus. *Castigatio mea in matutinis*. Augustinus exponit; ego, si in aliquo delinquo, citò castigor; impii nunquam castigantur.

§.15. SI DICEBAM NARRABO SIC. Vt dicit Hieronymus, sic debet construi *dicebam, si narrabo sic*: Hebr. *dixi, si narravero (vel locutus fuero) sic, ecce nationum filiorum &c.* si asseruero ob dictas causas, quod tu non curas res humanas, hoc est reprobare sententiam omnium Justorum antiquorum, ut Abraham, Isaac &c. omnes enim prædicaverunt, Deum curare res humanas, & super omnia colendum, & ideo

§.16. EXISTIMABAM, UT COGNOSCEREM. Hebr. cogitavi, ut intelligerem istud; volui vacare scrutandæ quæstioni huic laboriosæ de fine malorum, & bonorum, ac de justitiâ Dei in distributione bonorum, & malorum temporalium,

§.17. DONEC INTREM &c. Idest considerando causas inferiores non possum invenire solutionem quæstionis, ideò oportet, quod mente transferam me ad futurum sæculum, & considerem, quid illis eveniet post mortem.

§. 18. VERUMTAMEN PROPTER DOLOS POSUISTI EIS. (Hebr. clarius habet, certè velut in lubrico constituisti eos) scilicet dolos, idest ipsi dolis, & fraudibus vivunt, & ideò tu dolos illis concinnasti: quia ex hoc, qui sic permittuntur vivere, capiuntur laqueis ignis æterni eis parati.

§ 19. QUOMODO FACTI SUNT IN DESOLATIONEM? Hebr. quàm subitâ calamitate oppressi sunt! Admirantis est.

§.20. VELUT SOMNIUM RESURGENTIUM. Qui dormiens (ait Augustinus) somniat, se habere magnos thesauros, quamdiù est in tali somnio dives est, at cum evigilat cessarunt divitiæ: si semper dormiret, semper esset dives; sic impiorum felicitas durat, quamdiù durat somnium hujus vitæ; at cum in morte, evigilaverit in seculo futuro (quod vocatur Civitas Dei) ad nihilum redigetur eorum imago, idest somnium, seu divitiæ imaginatæ.

§.21. QUIA INFLAMMATUM EST &c. Postquam dicto modo invenit solutionem quæstionis ostendit, qualis fuerat antequam tentabatur de providentiâ divinâ, nec sciverat dictum arcanum, *quia inflammatum est &c.* idest (juxta Hebr.) antea inflammabatur cor meum, & lumbi mei, velut ignis fumigans (Sic Hieronymus) & nihil eram, & nihil sciebam, de hoc secreto; denique, eram coram te tanquam jumentum (tantùm sciebam de dictâ quæstione, sicut

§.22. jumentum) tamen semper tecum, idest, esto ignorassem causam dictæ quæstionis, tamen non recedebam à fide, & obedientiâ tuâ, non imitabar impios, usque dum tu tenuisti manum dexteram tuam, idest dedisti mihi auxilium ad investigandum arcanà tuæ sapientiæ, & voluntatis, & cum gloriâ suscepisti me. Heb. habet: *Et postea in gloriam recipies me* æternam, ut dicit Augustinus.

§.24. QVID MIHI EST IN CŒLO &c. Neque in cœlo, neque in terrâ quæro aliud, nisi te, tantùm suspiro ad te, quod ob altissimam contemplationem, & ardentissima desideria veniendi ad te, defecit spiritus meus, & caro mea.

§.26. PERDIDISTI OMNES, QVI FORNICANTVR ABS TE. Hebr. perdes omnes, qui te contempto adulterantur loquitur de adulterio spirituali, quando anima contempto vero sponso adhæret alicui creaturæ, ut ultimo fini. At quia plenus amore Dei desiderat omnes ad Deum trahere, sequitur

§.28. UT ANNUNCIEM ONNES PRÆDICATIONES &c.

An-

Annot. in Pfalm.73.

UT QUID DEUS REPULISTI IN FINEM. Plangit Propheta excidium Hierofolymitanum, vel quod factum eft à Nabuchodonofor, vel à Vefpafiano, ut placet Auguftino.

§.3. REDEMISTI VIRGAM HÆREDITATIS TUÆ. (Ideft fortem hæreditariam, ut habet hebr.: ideft populum Ifraël de Ægypto) montem etiam Syon tu lifti de manibus gentium, in quo habitafti. Igitur

§.4. LEVA MANUS TUAS &c. Excita potentiam contra fuperbiam hoftium tuorum, qui abominanda malignati funt contra Sanctuarium tuum.

§.5. GLORIATI SUNT IN MEDIO SOLEMNITATIS. Quia (ut dicit Auguftinus ex Jofepho) in die folemni Pafchæ everfa eft civitas; fignificatur contemptus feftorum legis.

§ 6. POSUERUNT SIGNA &c. Hieronymus clarè verfit; pofuerunt figna fua in tropheum, vexilla partæ victoriæ.

ET NON COGNOVERUNT, SICUT IN EXITU SUPER SUMMUM. Difficilis litera eft. Auguftinus exponit, quod hoftes fic vaftantes non cognoverunt, illam vaftationem exiffe à fummo cœlo: quafi à Deo decretam ob peccata populi, juxta illud: *Affur virga furoris mei*, ipfe autem non fic arbitrabitur, fed potiùs fuæ virtuti adfcribet victoriam.

Campenfis vertit. Signa fua pinnis impofuerunt, ideft *alevantaram as bandeiras em altos pinheiros*. Hieronymus vert it, manifefta in introitu defuper, & juxta hunc fenfum lege fic; Pofuerunt figna fua, vexilla fua, & non cognoverunt: hic punctum; tunc explicatur locus, ubi pofuerunt vexilla, cum fubjungit, ficut in exitu fuper fummum, fuper fummitates exituum, portarum urbis, vel templi.

§.7. QUASI IN SILVA. Clarè defcribit vaftationem.

§.10. SIGNA NOSTRA NON VIDIMUS &c. Sunt verba Judæorum in illâ calamitate. Unus Campenfis fic vertit, figna, quæ Patribus noftris olim oftendifti, non videmus, nullus eft Propheta, & non eft, vel qui tantillùm videat. Judæi poft Malachiam (qui fuit ultimus Prophetarum) nullum habuerunt Prophetam.

§.11. USQUEQUO, O DEUS, hoftis blafphemabit, & contemnet nomen tuum?

§.12. UT QUID AVERTIS &c. Hebr. cur omninò retraxifti manum tuam, & dexteram tuam in finum tuum? Quarè non percutis hoftes noftros; *porque tens à maõ [no feo pa elles*? At juxta textum noftrum potiùs fignificatur oppofitum, ideft: O Domine ufque dum tenebis manum tuam extractam de finu tuo, & erectam ad percutiendum nos?

§.13. DEUS AUTEM REX NOSTER. O Deus rex nofter ante fæcula, qui operaris quicquid in orbe falutis eft (Hieronymus exponit de Judæâ, in quâ Dominus paffus, quæ eft in medio terræ.)

Tu es ille, qui confirmafti, five ficcafti, & vadabile fecifti mare rubrum, & poftea in eo confregifti capita draconum, hoc eft Ægyptiorum.

§.15. TU CONFREGISTI CAPUT DRACONIS. (Sive cœti magni) ideft Pharaonis, & dedifti eum efcam incolis deferti, feris, & coruis, qui funt in deferto, & vorant cadavera. (Sic hebr.) Auguftinus, & Hieronymus per draconem intelligunt Diabolum, & per Æthiopes nigros, peccatores, qui poft converfionem

nem comedunt Diabolum, ideſt conſumunt potentiam ejus, ad nihilum redigentes ejus regnum, & vires, & quia omnes accuſant eum, & mordent, & infamant.

§.16. TU DIRUPISTI FONTES, ET TORRENTES. (Quando eduxiſti aquam de petrâ); & aliquando fluvios maximos exſiccas, quando tibi videtur. Hieronymus vertit; Tu exſiccaſti flumina fortia, ſcilicet quoſdam fluvios erumpere facis, quoſdam verò exſiccas. Ethan eſt hebreum, & ſignificat fortem, vel validum.

§.18. ÆSTATEM, ET VER. Heb. æſtatem, & hyemem tu plaſmaſti: Ideo

§.19. MEMOR ESTO HUJUS REI. Videlicet, qui inimicus tuus probris te afficit.

§.20. NE TRADAS BESTIIS TURTUREM TUAM. Sic Vatabl:, & Campenſis.

§.21. RESPICE AD PACTUM, SEU FŒDUS TUUM. Quia hoſtes tui, qui obſcurati ſunt mente, repleti ſunt domibus iniquitatum terræ: habent domos plenas injuriis, & oppreſſionibus bonorum: vel juxtà Auguſtinum repleti ſunt terræ, aut terrâ, cor eorum totum eſt plenum terrâ, & ideò obſcuratum; hebr. habet, quia tenebroſa domicilia terræ ſunt plena ſceleribus.

§.22. NE AVERTATUR. Ne repellatur à te humilis &c.

Annot. in Pſalm.74.

CONFITEBIMUR TIBI DEUS &c. Conſolatur populum afflictum, & minatur ſuperbos, quod timeant judicium Dei. Dicit Eccleſia, confitebimur te in medio nationis pravæ, à qua opprimimur. Reſpondet Deus, cum accepero tempus (loquitur de die judicii ſecundùm Auguſtinum, & Hieronymum) ego, quod rectum eſt, & æquum judicabo. Sic hebr.

§.3. LIQUEFACTA EST TERRA. Juxta hebr. liquefiet terra, ideſt a timore Judicis liquefient peccatores: quaſi dicat; Ego qui confirmavi columnas terræ, quia creavi, & firmavi orbem terrarum, faciam, quod in illâ die, peccatores timore liqueſcant. Auguſtinus exponit, quod terra liquefacta in peccata ab igne concupiſcentiæ, Chriſtus occurrens illi confirmavit columnas, ideſt Apoſtolos; ut patet ad Galat. 2.

§.6. QUIA NEQUE AB ORIENTE, NEQUE AB OCCIDENTE, neque à deſerto, neque à montibus aderit, qui defendat: (Sic Campenſis) quoniam Deus judex eſt, qui hunc humiliabit, hunc exaltabit, unum præmiabit, alterum puniet, quia calix in manu Domini plenus vini meri, aut vino mero, de quo fundetur, & feces ejus ſugent, ac ebibent omnes peccatores terræ; Sic vertit Campenſis, & ſignificatur, quod Dominus ex eodem calice porrigit piis, & impiis: tamen piis dabit vinum merum, quod eſt in principio, at impiis dabit feces, quæ ſunt in fine. Et aptatur literæ noſtræ, quia idem calix dicitur plenus vini meri, & etiam mixto, ideſt fecibus, quia feces ſunt in fundo calicis.

§.8. ET INCLINAVIT EX HOC, Ideſt ex hoc calice in hoc, ſed hunc (Textus Auguſtini habet hunc) virum pium inclinavit calicem, ut primò propinaret vinum purum piis, tamen feces ejuſdem reliquit, ut propinet impiis. Auguſtinus ſic conſtruit literam, ut dixi, ſed applicat ad myſterium, dicens, *quod calix eſt teſtamentum vetus, ex quo nos Chriſtiani bibimus merum*: ideſt omnia præcepta moralia, & puros ſenſus; Judæi bibunt feces, ideſt cœremonias, & ſenſus carnales.

An-

Annot. in Psalm. 75.

NOTUS IN JUDÆA DEUS. Dicunt aliqui (ut Cajetanus) quod tractatur prostratio Senacherib regis Assyriorum tempore Ezechiæ, quia titulus est; Psalmus ad Assyrios.

Hîc disserit Augustinus, quod nos sumus veri Judæi, & Ecclesia vera Judæa, tùm quia sumus confidentes (sic interpetrantur Judæi) tùm quia confitemur, nostrum Regem esse Christum, qui est de tribu Juda, quem respuerunt carnales Judæi, dicentes, *se non habere alium regem nisi Cæsarem*. (Dicit & hîc Augustinus, quod exceptâ Tribu Levi, Judæi habebant XII. tribus ob duos filios Joseph adoptatos.)

ET FACTUS EST IN PACE. (Hebr. habet, factus est in Salem, vel in Hierusalem, quia ibi colebatur) loquitur de Ecclesiâ, juxtà Augustinum. §.2.

IBI CONFREGIT POTENTIAS &c. Ille, qui prostravit Assyrios, ille confringêt vires hostium nostrorum spiritualium, si nos habitamus in Syon in contemplatione, & illuminat nos mirabiliter doctrinis Apostolorum, qui sunt montes. Illemet, qui de cœlis auxilium misit, & devastavit Assyrios, quorum clades clarè describitur in sequentibus. §.3.

TU TERRIBILIS ES, ET QUIS RESISTET TIBI, CUM IRA TUA EXARSERIT? Sed credo, quod litera nostra est mendosa, & debet habere, ut habet litera Augustini: *Tam terribilis es, & quis resistet tibi tunc ab irâ tuâ?* Augustinus disserit, quomodo à magnâ increpatione in irâ Dei procedit, quod permittat, multos dormire in suis peccatis, & hi, quid facient, quando exarserit ira Dei? Per ascendentes equos intelligit superbos. §.7.

TERRA TREMUIT, ET QUIEVIT. Ad adventum Senacherib tremuit Judæa, at post quievit Domino liberante. *Sic* (ait Augustinus) *nos tremamus nunc, ut post mortem quiescamus*. §.8.

QUONIAM COGITATIO HOMINIS &c. Dicit Augustinus, quod prima cogitatio hominis peccatoris est confiteri peccatum suum recedendo ab eo: Secunda est gratiarum actio perpetua pro remissione peccati; & hæc cogitatio dicitur reliquiæ primæ; Et quia est plena lætitiâ dicitur facere festum. Campensis vertit, ob vindictam (de hostibus) homines confitebuntur tibi, ut iterum accingaris ad vindicandum, idest, si aliquid relictum fuerit minarum hostilium. §.10.

TERRIBILI, ET EI QUI AUFERT &c. Constructio incipit à versu præcedenti; *Afferte munera terribili Deo*, ei videlicet, qui aufert, aut vindemiat spiritum principum. Hîc Augustinus super verbo *vovete*, & *reddite* expressè agit de votis monasticis reddendis, quæ tunc fiebant in Monasterio: & exponit illud ad Timoth.5., qui primam fidem irritam fecerunt, de voto Castitatis: & etiam psalm.83. expressè loquitur de sanctimonialibus (utens hocmet vocabulo), ac voto virginitatis earum. §.12.

Annot. in Psalm. 76.

VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI. Describit hominem in gravissimâ afflictione constitutum, se tamen consolantem ex fiduciâ divinæ consolationis, & misericordiæ.

DEUM EXQUISIVI MANIBUS MEIS &c. Hebræus habet: totâ nocte ma- §. 2.

manus mea extendebatur ſine ceſſatione. Auguſtinus: de nocte præſentis ſeculi.

§.3. RENUIT CONSOLARI &c. Renuebat anima mea recipere conſolationem (aliam ab eâ, quam à Domino ſperabam) cum repeterem memoriam Dei, infremebam, quærelabar, & deficiebat ſpiritus meus; ſic Vatabl.

§.4. TURBATUS SUM, ET NON SUM LOCUTUS. Vatabl. attonitus eram, ut loqui non poſſem.

Annos æternos. Hebr. annos priorum ſeculorum.

§.6. ET MEDITATUS SUM NOCTE &c. Hieronymus vertit; Recordabar pſalmorum meorum, in nocte cum corde meo loquebar, & ſcopebam ſpiritum meum. Campenſis, *excutiebam*: Textus Auguſtini *ſcrutabar*.

Tunc ponit voces querulas, quas in ſuâ afflictione coram Domino fundebat.

§.10. ET DIXI NUNC CŒPI &c. Secundùm Auguſtinum, poſtquam David vacaverat explorandæ ſuæ conſcientiæ, ac meditandis operibus Dei, elevatus eſt à Domino ad quietem, & dulcedinem contemplationis. Tunc in illo ſilentio, in illâ fruitione exiſtens, dixit intra ſe, hæc mutatio à Deo facta eſt, ideſt quod ab afflictivis meditationibus transferrer ad guſtum contemplationis. Hieronymus vertit: & dixi imbecillitas mea eſt hæc mutatio &c. ideſt tandem; *cay na conta conbecendo, que era fraqueza minha à queixarme tanto de minas afflicões pois as avia merecido por meos peccados; E portanto tornarei emmeu accordo, e conſolarmecy.* Et memor ero operum Domini mirabilium, quæ olim feciſti.

§.12. ET IN ADINVENTIONIBUS. (Hebr. conſiliis) exercebor, aut loquar.

§.13. DEUS IN SANCTO. (Vatabl. *in ſanctitate*) viæ tuæ, omnes viæ tuæ ſunt ſanctæ, ideſt conſilia Dei.

§.15. VIDERUNT TE AQUÆ DEUS &c. Deſcribit miraculum factum in mari rubro.

Deinde deſcribit naturales effectus mirabiles, ſonitum magnæ pluviæ, vocem nubium, tonitruum, ſagittas Dei, magnos lapillos grandinis; fulgura, & tonitrua dicuntur fieri in rotâ, ſeu ſpherâ aeris, qui eſt figuræ circularis.

§.16. VESTIGIA TUA NON COGNOSCENTUR. Hoc dicit, quia poſtquam Judæi tranſierunt mare, mox ad ſe rediit. Auguſtinus ad ſpiritum transfert, ideſt filios Jacob, ideſt Judæos; Joſeph, ideſt filios Chriſti venditi pro nobis, ideſt populum gentilem: vox tonitrui, ſcilicet prædicationis Evangelicæ: in rotâ, ideſt circuitu orbis: nubes, Apoſtoli; ſagittæ, verba Dei.

Annot. in Pſalm. 77.

ATTENDITE POPULE MEUS &c. Eſt carmen hiſtoricum, quo narrantur beneſiicia Dei, & monentur non imitari duritiam populi veteris

§.2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM. Vatabl. Aperiam ad quædam facta inſignia.

§.6. STATUIT TESTIMONIUM IN JACOB. Hebr. Conteſtatus eſt Jacob, ſeu ſtatutum dedit Jacob; aliter hoc, quòd patres tenerentur nota facere filiis ſuis antiqua mirabilia.

§.11. GENERATIO QUÆ NON DIREXIT &c. Generatio, quæ nunquam rectè inſtituit cor ſuum, nec ſpiritus ejus verè credidit Deo.

§.12. FILII Ephraim, cum armati irent contra quoſdam (contra voluntatem Domini) terga verterunt &c. Cam-

Campo Taneos, Metropolis Ægypti. §.15.

INTERRUPIT. Scidit petram. §.18.

QUONIAM PERCUSSIT PETRAM. Hebr. habet; En, vel ecce percussit. §.23.

IDEO AUDIVIT DOMINUS, ET DISTULIT. Hebr. *exarsit*: Hieronymus vertit, *& non distulit*. §.25.

PANEM ANGELORUM. Hieronymus, & Vatabl: vertunt, *panem fortium*. §.29.

TRANSTULIT AUSTRUM. Excitavit ventum orientalem, ut deferret coturnices. §.30.

ET ELECTOS ISRAEL IMPEDIVIT. Hebr. præstantiores inter eos fuccidit. §.35.

IN OMNIBUS HIS PECCAVERUNT ADHUC. Hebr. super hæc omnia adhuc appofuerunt peccare. §.36.

ET ABUNDAVIT, UT AVERTERET IRAM SUAM. Vatabl: fæpenumerò revocavit iram fuam. §.43.

SPIRITUS VADENS ET NON REDIENS. Ad corpus fcilicet proprià virtute; vel præterquam in refurrectione. §.44.

MISIT IN EOS CŒNOMYAM. Hebr. mufcas omnis generis. §.50.

VIAM FECIT SEMITÆ IRÆ SUÆ. Hieronymus vertit: *Munivit* femitam furori, *fez caminhoa fua ira*, ut bene curreret. §.55.

PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM. Omnia præcipua, quæ habebant multis laboribus conquifita perierunt in tabernaculis Ægypti, quæ dicitur, Cham. §.56.

MONTEM SANTIFICATIONIS. Montem Syon. §.59.

CONVERSI SUNT IN ARCUM PRAVUM. Ideft, facti fimiles arcui, cum debuiffet emittere fagittas ad locum deftinatum, non facit hoc, fed frangitur, & percutit eum, qui tetendit: Poteft verti, in arcum fallacem, ut Vatablus. §63.

ET REPULIT TABERNACULUM SYLO. Ubi inter homines habitaverat, tulit inde arcam fœderis, quam arcam vocat virtutem, ac pulchritudinem Judæorum, & eam permifit capi à Philiftæis. §.66.

VIRGINES EORUM NEMO LUXIT. Sic Hieronymus vertit, quamvis mortuæ fuerint innuptæ, & fine relicto fructu (Quod tunc erat ignominiofum) tamen nemo eas planxit. Vatabl: vertit, Non funt laudatæ Epithalamiis, quia mortuæ funt innuptæ. §.69.

VIDUÆ EORUM NON FLEVERUNT. Ut Vatabl. Mariti, qui moriebantur, non relinquebant viduas, quæ plorarent eos, quia & ipfæ fimul peribant. §.70.

ET EXCITATUS EST &c. Poft has tribulationes illatas Ifraëli; evigilavit Dominus (ad fuccurendum ei) ac fi dormiviffet, ficut folet evigilare aliquis beros poft fomnum, in quo ob multum vinum potatum inciderat. Et cum evigilat, vino exbilaratus, & confortatus redit ad bellum. Sic Dominus evigilans percuffit Philiftæos in podicibus. §.71.

ET ÆDIFICAVIT. Sanctuarium, five templum pulcherrimum, quafi unicornium, feu quafi palatia excelfa; ut Vatabl. vertit, & firmum, quafi terram, quam fundavit, ut perpetuò fubfiftat. §.75.

ET PAVIT EOS. Hieronymus clarè vertit, qui pavit eos in fimplicitate cordis fui, & in prudentià manuum fuarum dux eorum fuit. §.78.

K An-

Annot. in Psalm. 78.

DEUS VENERUNT GENTES &c. Canticum querulosum super malis illatis Israëli tempore Nabuchodonosor, vel Antiochi. Augustinus applicat ad persecutiones Ecclesiæ, quæ est Hierusalem spiritualis, tempore Martyrum.

§. 1. POSUERUNT HIERUSALEM IN ACERVOS LAPIDUM. Ita Hieronymus in nostro textu, custodia pomorum: *he cabana que se faz non meloal eu no pumat à qual fica deserta acabado o tempo da fructa*; & hoc est, quod dixit Isaias: *Relinquetur filia Syon, ut umbraculum in vineâ, & tugurium in cucumerario* (Sic dicit Augustinus, Poma, idest, Spiritus Martyrum ibant ad agricolam suum Deum, & corpora manebant in terrâ, *como cabanas desertas*.)

§. 10. INNOTESCAT IN NATIONIBUS. Debes construere cum versu sequenti, scilicet ultio sanguinis servorum tuorum innotescat jam coram oculis nostris in gentibus, quæ nos persequuntur, & hucusque est unus versus. Tunc sequitur, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, secundùm magnitudinem brachii tui possìde (idest, serva) filios morti punitorum (idest, ne deleatur progenies mortuorum) & hic finitur alius versus.

Annot. in Psalm. 79.

QUI REGIS ISRAEL INTENDE &c. Populus Judæorum à gentilibus multipliciter afflictus petit à Domino misericordiam, & liberationem, reducens ad memoriam beneficia, quæ receperat.

Alii (ut Cajetanus) dicunt, quod petit liberationem à captivitate Babylonicâ. Vel potiùs secundùm Augustinum, & Hieronymum, est vox Patrum veteris Testamenti suspirantium, & postulantium Christi adventum; vel, ut exponit quidam, plangit Ecclesia suas calamitates præsentes, & petit auxilium contra vastationem factam à Lutheranis, & carnalibus prælatis.

§. 2. QUI SEDES SUPER CHERUBIM. Juxtà literam, o tu qui, qui promisisti auxilium e propitiatorio, quod est super arcam inter Cherubim; ò tu qui sedes super plenitudinem scientiæ (sic enim interpretatur Cherubim) appare coram populo tuo oblito veterum bonorum, & crescente in malis, & peccatis, & tamen filio dexteræ tuæ, quem tantâ potentiâ creasti, tantâ fortitudine redemisti; nam Manasses interpretatur *oblitus*; Ephraim *crescens*, Benjamin *filius dexteræ*.

§. 5. QUOUSQUE IRASCERIS SUPER ORATIONEM NOSTRAM? Quousque aversaberis, ac despicies eam?

§. 6. CIBABIS NOS &c. Hebr. habet, *cibasti nos lachrymis*, velut pane, & pro potu propinasti eis lachrymas maximâ mensurâ.

§. 11. OPERUIT MONTES &c. Ostendit magnitudinem vineæ; quoniam umbra ejus operuit montes, & rami ejus fuerunt majores maximis cedris (Judæi omne excelsum vocant *Dei*). Significatur primò, quod Synagoga habuit magnos viros Sanctitate sub umbrâ ejus viventes, & potentissimos reges, ac Principes superantes altas cedros, scilicet principes gentium.

Sed clariùs intelligitur in Ecclesiâ Christi, sub cujus umbrâ vixerunt excellentes montes, idest viri sapientissimi, & Sanctissimi, excedentes etiam cedros, idest Patres veteris Testamenti.

EX-

EXTENDIT PALMITES &c. Describit latitudinem, & longitudinem terræ Sanctæ à mari mediterraneo usque ad flumen Euphratis, ut dicunt quidam, vel flumen Jordanis, ut hîc dicit Augustinus, exponendo de Ecclesiâ; intellige mare oceanum, juxta illud; *A flumine usque ad terminos orbis terrarum*: nam Ecclesia incœpit in Judæâ, ubi est Jordanis. Sequentia clarè applicantur Ecclesiæ. §.12.

UT QUID DESTRUXISTI MACERIAM. Vel murum ejus, idest ubi Sancti Ecclesiam defendentes? §.13.

OMNES. Transgressores viarum tuarum devorant eam.

APER DE SILVA, idest Episcopus, & Sacerdos carnalis non nutritus in domo Dei, neque in studio rerum sacrarum, sed de silvâ mundi, & vitâ carnali tractus ad regendum Ecclesiam tuam: *aper* porcus superbus, & sævus, ut dicit Augustinus: *Et singularis ferus*, idest maxima fera, Lutherus, Arrius &c. §.14.

ET PERFICE EAM &c. Robora eam fide, spe, & charitate super filium tuum Jesum, quem fecisti firmamentum ejus ad gloriam tuam: vel quem tibi personaliter univisti perpetuò. §.16.

INCENSA EST IGNE. Ignis concupiscentiæ eam exussit: *suffossa*, seu eversa (ut Campensis) *tao escavada que nao tem, onde seter*. Amor male inflammans eam incendit, timor malè humilians eam suffodit, ut dicit Augustinus, ab increpatione vultus tui peribunt, idest, qui eam in tali statu posuerunt. §.17.

Annot. in Psalm. 80.

EXULTATE DEO ADJUTORI NOSTRO. Exhortatur populos ad cantandum Deo in festo tubarum, ac novilunio ob recepta beneficia.

SUMITE PSALMUM, ET DATE TYMPANUM. (ò populi sumite spiritualia, & date temporalia, quia tympanum est ex corio animalis mortui. Augustinus. §. 2.

BUCCINATE IN NOEMENIA. Hebr. *Clangite cornu in novâ lunâ*. §. 3.

TESTIMONIUM IN JOSEPH &c. Hunc ritum celebrandi dictum festum præcepit Deus populo Israëlis, quando exivit de terrâ Ægypti (vocatur totus populus Joseph, quia Joseph cum suâ familiâ fuit illustrior pars illius populi, quamdiù in Ægypto manserunt.) §. 5.

LINGUAM QUAM NON NOVERAT. Populus Israël Ægyptiacam illam audivit, quando ingressus est Ægyptum.

DIVERTIT Deus ab oneribus humeros Judæorum, quando eos liberavit de Ægypto: manus Judæorum servierunt in cophino portando terram, ac lutum. Vatabl., & Campensis vertunt, *manus ejus ab ollis conficiendis* (sive lateribus) *recesserunt*. §.6.

EXAUDIVI TE IN ABSCONDITO TEMPESTATIS. Ex Hebræis omnes, ubi nos habemus *tempestatis*, habent *tonitrui*, & per tempestatem, vel tonitrum significatur magna tribulatio immissa à Deo, in quâ Deus, quasi absconditus latet, ut sic probet homines, & exaudiat liberando eos, qui in tribulatione ferventer orant petentes auxilium. §. 7.

Num.20. ad aquas contradictionis fuit probatus non solum populus, sed & capita, idest Aaron, & Moyses. Hîc differit Augustinus, quod quicumque vivere decernit piè in Christo sustinere debet aquas contradictionis, idest insultatores, detractores &c.

§.9. DILATA OS TUUM, ET IMPLEBO ILLUD. Ideſt peté quicquid vis, & impetrabis.

PRO NIHILO, ideſt quàm breviter, ut Vatabl., vel nullo negotio.

§.13. §.14. INIMICI DOMINI FRUSTRARENTUR (Vatabl.) Sic Campenſis: tempus autem eorum (ſervantium legem) eſſet perpetuum *quem dizet q ſe os Judeus quardaſſem a ley rivivào largos annos, e aos ſeus imigoſſeus annos lhe, mintiriào, e faltariào*. Et cibaret eos Dominus pane electo ſuo, & etiam ex petrâ colligerent mel, ideſt etiam terræ infœcundæ eſſent illis fœcundæ, vel tanta eſſet abundantia mellis, ut etiam in petrârum cavernis inveniretur.

INIMICI DOMINI MENTITI SUNT EIS. Exponit Auguſtinus de malis Chriſtianis, qui non ſervant promiſſam abrenuntiationem factam in Baptiſmo Deo. Et erit tempus tormentorum eorum perpetuum.

Annot. in Pſalm. 81.

DEUS STETIT IN CŒTU JUDICUM. Sic Hebr., ut videat, quomodo judicat, & puniat.

Faciem ſumere eſt accipere perſonam.

§.3. PAVPEREM JVSTIFICATE. Hebr. miſerum abſolvite, vel injuſtè oppreſſum.

§.5. NESCIERVNT. Loquitur contra iniquos Judices. Moventur, ſeu nutant fundamenta terræ, *perdeſe o mundo eſtà prima cair detodo pollos peccados dos maos Juizes*.

§.6. EGO DIXI &c. Videte Judices, eſto ſitis Dii, & filii Dei altiſſimi, ideſt jure officii, tamen, ſicut reliqui homines moriemini, & ſicut quivis de tyrannis cadetis.

Annot. in Pſalm. 82.

DEUS QUIS SIMILIS &c. Oratio ad Deum, quod liberet populum Iſraël à decem nationibus gentilibus confœderatis ad delendum ipſum. *Ne taceas &c.*, o Deus ne ceſſes, ne diſſimules adjuvare nos.

§.3. ADVERSVS SANCTOS TVOS. Vbi nos babemus *ſanctos tuos*, hàbet hebr. *abſconditos tuos*, quia ſunt abſconditi ſub alis Dei.

§.5. QVONIAM. Inimici tui unanimiter conſpiraverunt: adverſus te, fœdus diſpoſuerunt.

§.9. DISPERIERVNT IN ENDOR. Ideſt prædicti: vide Judic. 4. 7.

§.12. PONE ILLOS VT ROTAM. Ideſt in loco declivi, redde eos valdè inſtabiles.

§.13. SICUT IGNIS. Et perde eos omninò, ut perdi ſolet ſilva, quæ flagrat incendio, quod extingui non poteſt, vel quòmodo flamma ſolet vaſtare omnes arbores, & herbas montium.

Annot. in Pſalm. 83.

QVAM DILECTA TABERNACVLA &c. Literæ omninò adhærentes intelligunt hic per tabernacula, atria, altaria &c. templum, materiale veteris legis, aut tabernaculum, ubi erat arca, ad quod ſuſpirabat David, quando exul-

exulabat profugus, aut bellis occupatus. Nos, & cum Augustino, & Hieronymo &c. intelligamus de illis tabernaculis, de quibus dixit Dominus: facite vobis amicos de mammonâ, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

CONCUPISCIT, ET DEFICIT. Vatabl. *Ardet*, & *deperit*. §.3.

ETENIM PASSER &c. Passeres, & hirundines (ubi nos habemus *turtur* Vatabl. habet *hirundo*) juxta altaria tua inveniunt loca ad nidilandum, & quiescendum; ego autem exulo ab eis. Invidebat David passerculis, qui habitabant in locis sacris, à quibus ipse peregrinabatur. Nos autem invideamus illis beatis spiritibus, qui jam evaserunt viscum carnis, illis felicibus turturibus, ideſt animabus, quæ hîc semper ad Deum gemerunt, & nunc jam invenerunt locum in domo cœlesti Dei, ubi quiescerent, & ponerent pullos suos, ideſt bona opera, quæ fecerunt. Illi passeres solitarii pedibus calcantes tecta domorum hujus mundi, hîc volantes pennis fidei, spei charitatis, donec venirent ad domum Dei. §.4.

Dic mihi, quem nidum desideras invenire? Respondet altaria, illa aurea, & æterna, de quibus in Apocalipsi.

DISPOSUIT ASCENSIONES. *In convalle plorationis, in locum, quem disposuit* (quem sibi præfixit; scilicet cœlum) sic habet Textus Augustini. §. 6.

IBUNT DE VIRTUTE &c. Hieronymus vertit *de fortitudine*, *in fortitudinem*. §. 7.

RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI. Vatabl. intuere faciem uncti tui. Sicut David erat unctus in regem, ità omnes nos sumus uncti in Baptismo: petimus à Deo, quod oculos illos misericordes ad nos convertat. *Hu portugues temse por ditoso, quando el rey o alba combons albos*. §. 9.

QUIA MELIOR EST DIES UNA. O (dicit Augustinus) nolo millia dierum, nolo, nisi unam diem, cui non succedat nox, cui non succedat crastina dies. §.10.

Annot. in Psalm. 84.

BENEDIXISTI DOMINE TERRAM TUAM &c. Ad literam de Adventu Messiæ. Et (juxtà hebr.) incipit per modum orationis, propitius eris ò Domine terræ tuæ, avertes captivitatem, remittes iniquitatem, operies &c. mitigabis *furorem iræ tuæ*, ubi nos habemus: *avertes ab irâ*.

AUDIAM QUID LOQUITUR IN ME &c. O (dicit Augustinus) cohibe te paululùm à strepitu seculi, & audi Deum loquentem in cor tuum. §. 8.

VERUMTAMEN PROPE TIMENTES. Hebr. profectò propè timentes, *ut inhabitet gloria*, ideſt Christus, ut exponunt etiam nimiùm literales, scilicet Vatabl., qui etiam sequentem versum sic exponit. Tempore Christi erit inter misericordiam, & veritatem, pacem, & justitiam maximus consensus, quare omnia erunt plena misericordiæ, veritatis, justitiæ, & pacis. §.10.

VERITAS DE TERRA &c. Fides de terrâ progerminabit (erunt fideles, & veraces homines, ut Vatabl.), & justitia de cœlo prospiciet, quia Deus illos justificabit. Justitia ambulabit coram eo, ideſt unoquoque Christiano, quia unus quisque verus Christianus justè vivet, vel unusquisque Christianus ambulabit coram Deo, sicut dicitur de Noe, quod coram Deo ambulabat. Et ponet in viâ rectâ gressus suos. §.12.

JUSTITIA, ET PAX OSCULATÆ SUNT. Dicit hîc Augustinus, quod ju- §.11.

justitia, & pax sunt amicæ inseparabiles. Si vis habere pacem internam, ama justitiam, aliàs nunquam invenies pacem. Ideo (inquit) scriptum est, *declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & invenies eam.*

Annot. in Psalm. 85.

INCLINA DOMINE AUREM TUAM &c. Est oratio David in suis persecutionibus præsertim ab Absalon: Et (ut dicit Augustinus) est oratio Christi in quantùm homo, cujus typus fuit David: vel cujusque Christiani christianè viventis.

§. 2. CUSTODI ANIMAM MEAM. Quoniam beneficus, aut misericors sum. Sic Hebræus.

§. 3. LÆTIFICA ANIMAM SERVI TUI &c. Levas (ait Augustinus) frumentum tuum ab inferioribus ad superiora, ne putrescat in inferioribus, idest in terrâ? Quare sic non levas cor tuum ad Deum, ne putrescat in terrâ? Qui sunt gradus? Affectus; amando ascendis, negligendo descendis.

§. 4. MULTÆ MISERICORDIÆ OMNIBUS INVOCANTIBUS TE. Quomodo omnibus, si non exaudit me? Imò, sicut medicus exaudit ægrotum, quando petit noxia, & non dat, quia vult dare salutem, quam ille magis desiderat, & petit: Deus exaudivit Diabolum volentem torquere Job, & ire in porcos, & tamen non dat Sanctis, quod ipsi petunt, sed quod petituri essent. (Augustinus:) Relique te in manibus medici cœlestis: esto, urat, & secet, *Elle sabe o que faz, e o que releva.*

§. 10. DEDUC ME DOMINE IN VIA TUA, & veritate tuâ: Christus est via, & veritas &c. *Lætetur cor meum.* Vatabl., & Campen. pulchrè vertunt, *coge pectus meum &c.*

§. 12. LIBERASTI ANIMAM MEAM EX INFERNO INFERIORI. Etiam literalis Vatabl. exponit de morte æternâ. Augustinus dicit, quod hic mundus est infernus superior, in quem Christus descendit nascendo; verè infernus comparatus cœlo; & adhuc est alius infernus inferior, ubi puniuntur rei, in quem Christus descendit moriens; dicit etiam, quod David habebat certam fiduciam, se non descensurum ad infernum inferiorem, idest damnatorum; sed ad infernum, seu limbum Patrum, qui erat superior illo, ubi dives elevans oculos vidit Abraham.

§. 14. PATIENS Hebr. tardus ad iram.

§. 15. DA IMPERIUM PUERO TUO. Juxtà Augustinum petit Christus illud, quod dicit; *videbis filium hominis in potestate magnâ, & majestate, quando venerit ad judicandum.* Hebræus: da robur tuum: *filium ancillæ illius* (ait Augustinus) quæ dixit, ecce ancilla Domini.

§. 16. FAC MECUM SIGNUM IN BONO. Hebræus: Ede aliquod signum tuæ bonitatis erga me, & petit signum resurrectionis, de quo dixit. *Non dabitur signum generationi huic pravæ, nisi Jonæ Prophetæ:*

An-

Annot. in Pſalm. 86.

FUNDAMENTA EJUS IN MONTIBUS SANCTIS. Hebræi dicunt, quod in hoc pſalmo tractatur de dignitate Civitatis Hieruſalem terreſtris; ſita eſt enim, ac fundata in duobus montibus Sanctis, ſcilicet monte Moria, ubi erat templum, & monte Syon, ubi erat regia: Et ſic exponunt, quod diligit Dominus portas Syon, (ipſam urbem, pars eſt pro totâ per Synecdochen) ſuper omnia loca, ubi habitaret, vel habitat populus Judæorum. At indubitatum eſt, hunc pſalmum eſſe de adventu Meſſiæ, & laudari hîc Hieruſalem, quatenus eſt typus Eccleſiæ. Igitur nos dicamus cum Auguſtino, quod poſtquàm David plurima magnifica contemplatus fuiſſet de ſpirituali Hieruſalem, prorupit in hæc verba: montes ſancti ſunt illi, de quibus dicit Paulus, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, Chriſtus autem eſt fundamentum fundamentorum, ſicut paſtor paſtorum, & Sanctus Sanctorum. Et ſi dicis, quomodo poteſt eſſe fundamentum, ſi eſt lapis angularis? Reſpondet Auguſtinus dupliciter; Primò, quod etiam angularis (qui conjungit duos parietes) in materialibus ædificiis incipit à fundamento. Secundò quod, ſicut Chriſtus ſimul eſt oſtium, ovile, & paſtor, ità ſimul eſt fundamentum, & lapis angularis: ſicut etiam in hoc pſalmo Prophetæ, & Apoſtoli ſimul dicuntur fundamenta noſtra, quia portant noſtram infirmitatem; & portæ, quia per ipſos intramus in regnum Dei; unde Apocalip. 21. dicitur, quod Hieruſalem habet XII. portas, & nihilominùs Chriſtus eſt unica, & principalis porta, quia in his XII. portis eſt Chriſtus, & cum per ipſas intramus, per Chriſtum intramus.

MEMOR ERO RAAB &c. Deſcribitur converſio Eccleſiæ ex gentilibus.

NUNQUID SYON &c. Numquid erit aliquis homo, qui proponat Syoni (Eccleſiæ) hoc ænigma, ideſt, unus homo naſcetur in Eccleſiâ, qui fundabit eam? & ſi fundabit, quomodo naſcetur? Quis revelabit nobis hoc myſterium? Dominus narrabit hoc in ſcripturis populorum (ſcripturis Novi Teſtamenti, quæ ſunt datæ toti orbi, non alicui particulari genti, ut lex Moyſi) quas ſcribent principes (Apoſtoli, & Evangeliſtæ) qui erunt in eâ: utitur præterito ad certitudinem Prophetiæ. §. 5. §. 6.

Annot. in Pſalm. 87.

DOMINE DEUS SALUTIS MEÆ &c. eſt oratio ferventiſſima hominis in ſummis anguſtiis conſtituti querelantis coram Deo; At meritò aliqui (ut Cajetanus) dicunt, eſſe orationem Chriſti ex parte humanitatis in paſſione.

Hîc (dicit Auguſtinus) quod id, quod dixerunt de titulis pſalmorum, qui ante ipſum ſcripſerunt, non ſatisfacit (ait) expectationi, ſive tarditati meæ.

O DOMINE Deus, ſalus mea, die, ac nocte clamo coram te, quia repleta eſt malis &c. & vita mea ſepulchro appropinquavit. Ità hebr. Auguſtinus exponit de triſtitiâ in horto, quæ fuit uſque ad mortem.

ÆSTIMATUS SUM &c. Ideſt reputor inter eos, qui jam deſcenderunt in foveam (omnes dicunt, jam actum eſt de illo, cui nulla eſt virtus, ſeu robur, tàm liber à rebus hujus vitæ, ſicut ſunt mortui, quaſi unus de interfectis jam jacentibus in ſepulchris, quorum nullus memor eſt: ſic Hebræus) vel quorum tu jam ampliùs non memoraberis ad dandam eis vitam in præſenti ſeculo. Appli-

plicando hoc ad Christum, vel significatur vera ipsius mors: Christus fuit *inter mortuos liber* (inter peccatores liber a peccato) ut Augustinus, vel quia solus inter mortuos non potuit teneri vinculis mortis, imò resurrexit; vel significatur desiderium Judæorum: cupiebant enim, sic mori, ut nulla superesset ejus memoria, sicut sunt alii mortui. Quamvis Augustinus: illud, *de manu tuâ repulsi sunt*, intelligat de reprobatione Judæorum.

§ 6. POSUERUNT ME IN LACU INFERIORI &c. Exponendo de David significatur summa calamitas, & miseria; si de Christo: significatur extremitas pœnarum illi illatarum; vel traditio in mortem, & sepulturam.

§.8. LONGE FECISTI NOTOS MEOS. Significatur fuga discipulorum Christi in passione, qui abominabantur mortem ejus, (quamvis non personam) quia timebant, esse socii mortis.

§.9. TRADITUS SUM. Hebr. *conclusus sum*, ut egredi non possem, addictus sum in necessitatem moriendi ex ordinatione tuâ, o Deus; *oculi mei languerunt præ dolore* sic hebr. juxtà literam significatur languor oculorum ex magno dolore, aut inopiâ, ideSt fame (Augustinus intelligit de tristitiâ Apostolorum ob inopiam, quia defecerat eis Christus, qui erat unica illorum consolatio.)

§.11. NUMQUID MORTUIS FACIES MIRABILIA &c. Si loquitur David petit, quod Dominus plangat vitam ejus in hoc mundo ad laudandum eum, quia Dominus non debet suscitare jam mortuos ad hanc temporalem vitam, ut ipsum laudent, neque medici possunt suscitare defunctos ad laudandum te. (Vatabl. ubi habemus, *medici*, habet *mortui*) si loquitur Christus petit resurrectionem à mortuis, ut ipse, & Ecclesia sua laudet Deum.

§.14. ET MANE ORATIO MEA PERVENIET TE. Summo diluculò vaco orationi.

§.16. PAUPER SUM EGO &c. Hieronymus vertit: pauper sum ego, & ærumnosus, ab adolescentiâ meâ portavi furorem tuum, & conturbatus sum.

§.19. ELONGASTI A ME AMICOS, ET NOTOS MEOS A MISERIA MEA. videndâ, & relevandâ. Hieronymus vertit; *Notos meos abstulisti*, sicut Apostolus secundâ ad Timoth: *omnes me dereliquerunt*.

Annot. in Psalm. 88.

MISERICORDIAS DOMINI &c. (Vatabl. *bonitates*.) Principaliter agitur de promissione factâ David de Messiâ, ac de insigni illo fœdere inter Deum & homines inito per Christum, docetque, omnium seculorum homines, ne in afflictionibus deficiant, sed certâ fide fœderi inter Deum, & homines, tanquam sacræ anchoræ, hæreant.

§ 3. QUONIAM DIXISTI. Per misericordiam, & veritatem firmatam in cœlis intelligit promissionem sibi factam de Christo firmissimam, sicut sunt cœli.

§.4. DISPOSUI FŒDUS ELECTO MEO. Pepigi *semen tuum*, quod est Christus.

§.6. CONFITEBUNTUR &c. Cœli laudant admiranda facinora; *Cœli*, ideSt Angeli admirantes laudant mysterium incarnationis (sic Vatabl:).

ET VERITATEM TUAM IN ECCLESIA SANCTORUM. IdeSt in Ecclesiâ militanti cantabunt homines hoc admirabile mysterium. Augustinus hic, & in tertio versu per cœlos intelligit Apostolos, in quibus Deus implevit promissiones salutis Israëlis, & etiam prædicatores, qui annunciant veritatem Dei in Ecclesiâ Sanctorum.

QUO-

QUONIAM QUIS IN NUBIBUS, seu æthere ÆQUABITUR? &c. De excellentiâ Dei super Angelos, ut Vatabl., vel super Apostolos, & sanctos Doctores, ut Augustinus. §.7.

VERITAS TUA IN CIRCUITU TUO. Totus circumdatus veracitate, semper stas promissis.

TU HUMILIASTI SUPERBUM. Pharaonem in mari Vatabl. *Tu humiliasti, quasi cadaver &c.* Augustinus de Diabolo, Aquilonem, & meridiēm, ut hebræus habet. §.11.

THABOR, ET HERMON. Ideſt, Oriens, & Occidens, ut Vatabl., quia Thabor est ad orientem, & Hermon ad occidentem: aliter totus orbis te laudat, & exaltat brachium, ac potentiam tuam. Augustinus exponit de fidelibus illuminatis, qui Diabolum anathematizaverunt, quia Thabor interpretatur lumen, seu purus; & Hermon, anathema. §.13.

FIRMETUR MANUS TUA. Augustinus exponit de die Judicii. Sed dicit, cur timebo diem Judicii, si (sequitur) misericordia, & veritas præcedent faciem Judicis, condonatio peccatorum, impletio promissorum? §.14.

BEATUS POPULUS. Qui ex corde tibi jubilat, quia hi in lumine vultus tui ambulabunt, & quia jubilatio, ut dicit Augustinus, est gaudium inexplicabile, significatur gaudium gratiæ Dei. §.15.

QUIA DOMINI EST ASSUMPTIO NOSTRA. Vel *susceptio*, ut habet Textus Augustini. Ipse est susceptor noster in periculis, quia occurrit, ne cadamus. Hebr. *quia Domini est clipeus noster*. §.18.

TUNC LOCUTUS ES IN VISIONE SANCTIS TUIS. Prophetis de vero David Christo filio tuo, de quo dicit sequentia §.19.

PONAM IN MARI OCEANO, ET IN FLUMINIBUS. In toto orbe regnabit, etiam per mare. Augustinus intelligit gentilitatem. §.25.

VISITABO IN VIRGA &c. MISERICORDIAM AUTEM meam non auferam ab eo, ideſt à Christo in membris suis. Esto castigem Christianos, tamen, ipsi flagellis emendentur, non auferam misericordiam; sic Augustinus. §.32.

SI DAVID MENTIAT! Ideſt absit, quod Davidi mentiar, vel tale mihi eveniat, si mentiar, jurat Deus ad modum nostrum. §.35.

ET THRONUS EJUS SICUT SOL, ET SICUT LUNA PLENA sic manens perpetuò. Regnum Christi erit perpetuum, & semper clarum non patiens diminutiones, ut luna, sed assimilabitur lunæ, quæ semper perseverat plena. (Augustinus per solem intelligit gloriam animarum, & per lunam plenam gloriam corporum: Et hìc dicit, quod in nullo magis contradicunt gentiles fidei Christianæ, quàm in articulo resurrectionis carnis.) §.36.

TU AUTEM REPULISTI &c. Clarè ostendit, quod ea, quæ contigerunt in populo Judæorum post David, tàm tempore Roboam, quàm tempore captivitatis Babylonicæ, quàm Antiochi, quàm Titi, & Vespasiani usque hodiè manifestè pugnant cum dictis promissionibus. Ad quid Dominus voluit, quod hæc hic exprimerentur? Respondet egregiè Augustinus, quod hoc fecit Dominus, ut intelligeret mundus, dictas promissiones non fuisse factas David in personâ propriâ, vel in personâ alicujus filii sui regnantis temporaliter in terrâ; sed dumtaxat in personâ Christi, & fidelium, ut orbis convinceretur hoc argumento; Deus non potest mentiri: Igitur cum non impleverit dictas promissiones in David, neque in Salomone &c. quærendus est alius filius David extra dictos reges, sicut, quando Dominus dixit de Esaù: *Major serviet minori*; ne intelligeret mundus hoc carna-

naliter, non implevit in illis, sed in populo gentilico, qui in Christi adventu prælatus est populo Judæorum.

§. 38. AVERTISTI TESTAMENTUM &c. Canit ergò calamitates Judæorum, & Regum suorum; *Avertisti testamentum*, idest fregisti fœdus, non implevisti cum regibus filiis David. *Destruxisti sepes* (prophetas) *posuisti firmamentum &c.* Nulla est potentia Judæorum, à nemine timentur, & ipsi timent omnes, omnes transeuntes viam hujus mundi diripiunt eos, premunt oneribus, & tributis.

§. 43. DESTRUXISTI EUM AB EMUNDATIONE. Idest templum, in quo legaliter mundabantur, destruxisti. Augustinus exponit de fide, quia permissi sunt manere in suâ cæcitate, non mundavit fide corda eorum, quæ fuit summa pœnarum. Hebr. vertit *destruxisti dignitatem ejus*.

§. 50. EXPROBAVERUNT COMMUTATIONEM CHRISTI TUI; afficiunt nos opprobriis dicentes, quod Deus jam mutavit, quæ promiserat de David.

Augustinus glossat de opprobrio, quo infideles afficiunt Christianos, dicentes: O vester Christus mutatus est, mortuus, crucifixus est!

Heb. vertit: *Exprobaverunt vestigia Christi tui*, sive *calces* (ut Vatabl.) exprobant nobis moram adventus Messiæ.

(In principio secundæ concionis, quam Augustinus facit in hoc psalmo, habes, quod aliquando prædicabat bis in die.)

Annot. in Psalm. 89.

DOMINE REFUGIUM FACTUS ES &c. Agit de miseriâ præsentis vitæ reparandâ per Messiam.

§. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM &c. Vatabl. *Tu reducis hominem, donec conteratur*. Campensis *tu reducis hominem in pulverem*: ac tum dicis: REVERTIMINI, O MORTALES, ut ipse exponit, licet reducas hominem in pulverem, tamen tandem resuscitabis omnes; Juxta nostram literam intendit (ut dicit Augustinus) ne permittas hominem averti a te, & incidere in humilia, ac infima terrena desideria, cum jusseris, quod convertamur ad te.

§. 4. QUONIAM MILLE ANNI ANTE TE EST SICUT DIES HESTERNA. Imò, sicut una custodia, seu una vigilia noctis, tales sunt nostri anni: & comparat brevitatem vitæ humanæ herbæ florenti, & mox arefactæ. Una vigilia noctis habet tres horas tantùm, ut hìc dicit Augustinus.

Et quia anni nostri non solùm sunt pauci, sed etiam mali, quia *deficimus in irâ tuâ &c.*: affligimur enim non solùm præsentibus malis, sed etiam timore futurorum.

§. 8. POSUISTI INIQUITATES NOSTRAS &c. Ubi nos habemus seculum nostrum, juxta hebr. habetur: *Adolescentias nostras*, vel *negligentias*, vel *occulta nostra:* Sed, ut hìc dicit Augustinus, idem est, quia seculum nostrum nihil aliud est, quàm delicta, vel negligentiæ nostræ.

§. 10. ANNI NOSTRI ASSIMILANTUR ANNIS ARANEÆ. Consumimus annos nostros in vilibus, & temporalibus, sicut aranea, quæ jugiter pro texendâ vili telâ se ipsam eviscerat. Hebr. vertit, *Anni nostri dicto* (seu sermone) *citiùs finiuntur*: itâ transeunt, sicut sermo prolatus.

§. 12. QUONIAM SUPERVENIT MANSUETUDO, ET CORRIPIEMUR. Hieronymus clariùs vertit; *quoniam transibimus citò, & avolabimus*. Augustinus exponit de utilitate tribulationum, quas Dominus non iratus, sed mansue-

fuetus immittit in spatio hujus vitæ, quibus corripiuntur, sive erudiuntur filii.

QUIS NOVIT fortitudinem iræ tuæ, aut quis dinumeraret ejus excandescentiam, si à nobis exigas timorem (reverentiam, & cultum) debitum tuæ majestati? Sic Campensis. §.13.

DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC &c. *fac nobis notam potentiam tuam*, fac nos corde eruditos in sapientiâ tuâ, ut sciamus benè dirigere dies nostros in timore tuo. Hebr. habet: *Instrue nos*, ut dies nostros dinumeremus, & sapienti corde consideremus. Augustinus per dexteram intelligit Christum. §.14.

Sequentia lege imperativè: REPLE NOS MANE (idest ineunte ætate) MISERICORDIA TUA exultabimus, & lætabimur: *lætifica nos pro diebus, quibus nos humiliasti*. Augustinus exponit de diebus æternis in cœlo.

DIRIGE OPERA variarum virtutum, dirige opus, scilicet fidei, per dilectionem operantis, seu ipsum opus charitatis, quæ est finis legis. §.19.

Annot. in Psalm. 90.

QUI HABITAT IN ADJUTORIO &c. Describit hîc, quàm tutus agat, liberque à malis universis, qui solidâ fide se totum Deo commiserit, seu de efficaciâ gratiæ, ac favoris ad universas tentationes vincendas.

Qui habitat, idest firmum domicilium sibi constituit in auxilio divinæ gratiæ, iste protegetur in omnibus malis ab omnipotente creatore (quidam habitant in fiduciâ suarum virium, divitiarum, dignitatum &c.: quidam habitant in suâ pusillanimitate: quidam verò *in adjutorio altissimi*, ut dicit Bernardus) Qui talis est, cùm gratus sit, dicit Domino

SUSCEPTOR MEUS ES TU &c. Non me salvum feci, non evasi potentiam hostium meorum meâ fortitudine; sed dumtaxàt, quia suscepisti me sub tuâ protectione, ut in alio psalmo. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*; Ideò ex susceptis beneficiis absque meis meritis fidentior factus magis, ac magis sperabo in eum, & confidam, me majora recepturum. §.2.

QUONAM IPSE LIBERAVIT ME &c. Dæmones sunt venatores diligentissimi, qui in omnibus creaturis laqueos detenderunt ad capiendas animas: ubique nobis se offerunt laquei, & occasiones peccandi; & quia inter maximas tentationes, quas patiuntur servi Dei in hoc mundo, est lingua nequam, ac dolosa: ideòque David toties conqueritur de eâ: ideò addit sic: *a verbo aspero*, gratiâ Dei tolero linguam maledicentem, detrahentem, contumeliantem, susurrantem, irridentem &c. §. 3.

SCAPULIS SUIS &c. O infirmissimi pulli undique circumdati ab avibus rapacibus, confugite ad alas divinæ gratiæ, & protectionis, & evadetis tentationes, de quibus subjungit; O vos, qui æstuatis ardoribus tentationum, confugite ad umbram scapularum Domini, sic enim quasi calibeo scuto undique circumdabimini, neque vos lædent ignita jacula, ac sagittæ inimici. §.4.

NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO &c. Primus sensus simplex est, quod protecti *sub pennis*, idest alis Domini evadent omnes tentationes hostium animæ, tàm illas, quæ die, quàm illas, quæ nocte accidunt; tentant enim Diabolus, & caro multipliciter nocturnis horis, & has tentationes vocat timores nocturnos, & negotium tenebrarum. Tentamur etiam variè lucente die; & has tentationes vocat sagittas volantes in die, *e encontros, e Demonios meridianos*. Alius sensus est, per timorem nocturnum intelligendo tentationes Novitiorum in §.5.

virtute, scilicet *Covardias prima viver virtuosamente*, ad agendam pœnitentiam, servandam castitatem &c., quæ oriuntur ex tenebrosis consuetudinibus, & reliquiis vitæ præteritæ. Et meritò dicuntur timores nocturni, quia in re nihil sunt, sed sunt quædam phantasmata, *e carantbos dos Demonios, como bajoccos, que se fazem para expantar mininos*.

§. 6. A SAGITTA VOLANTE IN DIE. Per sagittas volantes significantur subitæ, ac repentinæ tentationes, quas *primeiro vos ferem, do qs as possaes enxergar*, qualis est inanis gloriæ &c.

§. 7. A NEGOTIO PERAMBVLANTE &c. Duplices sunt suggestiones diaboli; quædam sunt occultissimæ, videlicet quando sub spe boni suadet malum; ut quando suadet monacho, cui utile est manere in monasterio, quod vadat ad heremum &c. Et has tentationes difficiliter cognoscibiles meritò vocat negotium, quod perambulat in tenebris (quæ etiam possunt intelligi per timores nocturnos) quædam sunt manifestè malum, ut adulterium, perjurium, hæresis &c.. Et has tentationes vocat incursum, *en contro dado nà metade dodia*, quæ etiam possunt vocari *Sagittæ volantes in die*, quæ manifestè apparent.

§.8. CADENT A LATERE TVO &c. Quia stultorum, ac non habitantium in adjutorio altissimi infinitus est numerus, quia sæpissimè cadunt in varia peccata: Imò dicitur, quod à dextris, & sinistris habitantes in adjutorio altissimi cadunt quotidiè multi: & quia longè plures cadunt occasione prosperitatis, quàm adversitatis, ideò dicuntur a sinistris cadere mille, & à dextris decem millia.

Si diligenter oculis terrenis consideraveris, videbis per vicos, & plateas Civitatis infinitos interfectos à prædictis sagittis, & tentationibus; ità quod si unus evadit sagittas, decem millia pereunt. Circumvolant sagittæ tentationum; Quod remedium? Confuge ad pennas, vel alas Domini, esto ad Dominum, sicut pulli ad gallinam, qui etiam ad minimam umbram milui, statim ad matrem confugiunt

§. 9. Ubi nos habemus, *verumtamen oculis tuis &c.* hebræ. habet *solummodò oculis tuis &c.* cadentibus malis in varia mala tàm culpæ, quàm pœnæ, *o condecendo cada dia mil desastres aos peccadores*, idest his, qui non habitant in adjutorio altissimi, qui non ponunt suam fiduciam in solo Deo. *Tu estaras como em alto palanque considerando os males sem te poderem chegar*. Et quare tibi mala appropinquare non potuerunt? Quia *altissimum posuisti refugium tuum o teu palanque esta no ceo*; tua conversatio in cœlis est, solo corpore hic constitutus es, cogitatione, & aviditate in æternâ patriâ conversaris. Imò *non accedet ad te malum &c.*. Et quamvis temporalia flagella veniant super te, tibi non sunt flagella, sicut aliis, quia tu gloriaris in flagellis, & tribulationibus, & omne gaudium reputas tribulari hìc cum Christo; & ideò certissimè dicitur. *Non accedet ad te malum:* quia quod carnalibus est malum, tibi non est malum. Verè non accedit malum ad virum sanctum, quia altior omni malo est.

§.11. ANGELIS SVIS DEVS &c. idest; Nihil mirum, quod mala temporalia tibi non noceant, & tentationes te non superent, quia ultrà dicta etiam Angelos habes in custodes, & protectores ex divinâ ordinatione, cum quibus mente jugiter conversaris, quo fit, ut in tàm generosum, & fortem Christi militem evadas, ut pedibus tuis calces leones, dracones, basiliscos, idest omnes hostes animæ tuæ, omnes Diabolos, omnes homines, qui minis, vel blanditiis te à Deo avertere satagunt; denique pedibus ambulabis super omnia pericula, & impedimenta salutis tuæ. Aspidem etiam carnis tuæ mortificatam, ac maceratam sub pedibus spiritus tenebis. QUO-

QUONIAM IN ME SPERAVIT &c. In summâ ex parte ipsius Dei repetuntur fructus, quos consequitur habitans in ejus adjutorio, & qui nihil sperat, nisi à Deo: imò qui nullam aliam rem sperat, quàm ipsum Deum, qui sibi omnia est. §.14.

Certè hic ardentissimus psalmus continere videtur scopum, summam, epilogum totius divinæ Sciptura, quæ ad hoc unum præcipuè nos inducere nititur, ut soli Deo adhæreamus, a solo ipso pendeamus, & suspensi permaneamus, tamquam suspensos ejus bonitas nos trahat, ut reliqua omnia: velut insensibiles pertranseamus, juxta illud, *nolite confidere in principibus &c.*. & dictum Abrahæ à Domino *ego protector tuus*, qui talis est verè dicit: *In pace in idipsum &c.*

Annot. in Psalm. 91.

BONUM EST CONFITERI DOMINO &c. Juxtà hebr. *commodum est &c.* Tractat, quàm jucundum sit vacare divinis laudibus, quarum amplam præbet materiam consideratio divinorum operum circà bonos, & malos.

AD ANNUNCIANDUM MANE &c. Nihil æquius, quàm diebus, ac noctibus vacare contemplandæ tuæ veritati, & misericordiæ, laudando te non solùm corde, & voce, sed & in omnibus instrumentis musicis, quæ in sequenti versu enumerat. §.2.

VIR STULTVS NON INTELLIGIT CONSILIA Dei. Quæ? Videlicet: quod iniqui oriuntur, sicut fœnum, & florent præsentibus bonis, ut intereant perpetuò: Hoc arcanum non capiunt stulti, & ideò quiescunt in divitiis, & deliciis suis. §. 6.

DESPEXIT OCVLVS MEVS. Oculus meus respiciet, seù despiciet mala, seù pœnas inimicorum meorum, & auris mea audiet mala, quæ illis acciderunt. §.11.

JUSTUS UT PALMA &c. (O felix arbor, quam nulla ventorum furia spoliat honore foliorum, neque virore!) Tractat præeminentias justorum, scilicet quod crescit illorum spiritualis fortitudo, sicut crescit cornu Monocerotis, & crescunt in virtutibus, sicut palmæ, & cedri, perveniunt ad felicem senectutem plenam sapientiâ, & sanctis laboribus, & sunt benè patientes, ut possint annunciare, & prædicare, quod rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo; Esto hìc justi opprimantur, & impii exaltentur, tales enim diù exercitati in tollerantiâ malorum, & consideratione divinorum judiciorum sunt jam in patientiâ, & conformitate divinæ voluntatis confirmati, & ideò valdè idonei, ut possint prædicare in toto orbe, quàm rectus est Deus in omnibus operibus suis. §. 12.

Ubi nos habemus; *Bene patientes erunt*, hebr. habet *pingues*, *& virides erunt*.

An-

Annot. in Psalm. 92.

DOMINUS REGNAVIT DECOREM. Agit de resurrectione Christi, & ejus exaltatione ad dexteram Patris.

Christus ergò triumphando, & induendo fortitudinem in resurrectione, tunc firmavit Ecclesiam suam misso Spiritu Sancto, quæ nunquam cessabit, quia una est cum triumphante. *Tunc correxit orbem terræ*, qui erat humanis viribus incorrigibilis.

§. 3. PARATA SEDES TUA. Loquitur de Sede ab æterno paratâ Christo, in quantùm homo est; vel ut Augustinus de Ecclesiâ, quæ est sedes Christi, juxtà illud; *Anima justi sedes Sapientiæ*. *Et: super quem requiescet spiritus meus &c.* Isaiæ 66.

§. 4. ELEVAVERUNT FLUMINA &c. Pugna inter flumina, & mare, inter aquas dulces, & quietas, & salsas, & frementes: quantò aquæ maris magis fremebunt persequendo, tantò aquæ fluminum magis elevabuntur constanter prædicando, & contrá pugnando; Ideò dicit quod *flumina elevaverunt fluctus suos ob voces aquarum multarum* scilicet ob fremitus aquarum marinarum. Flumina dicuntur Apostoli (secundùm Augustinum) quia emiserunt flumina doctrinarum juxtà illud Joan. 7. *flumina aquæ vivæ de ventre ejus fluent*. Hæc sunt flumina, quæ lætificaverunt Civitatem Dei, quæ dederunt voces in toto orbe. Ex aliâ tamen parte elevatæ sunt aquæ maris, hujus scilicet seculi: etiam dederunt voces suas contradicentes prædicationi evangelicæ, persequentes prædicatores; Tamen, esto, mirabiles elationes superbi maris, tamen mirabilior Dominus confirmans miraculis Evangelicam prædicationem, ac credita reddens (sic habet Textus Augustini, ubi nos habemus *credibilia*) sua testimonia: quo facto sanctificata est domus Dei, quæ est ipsa Ecclesia, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum, seù perpetuò.

Annot. in Psalm. 93.

DEUS ULTIONUM &c. Agitur in hoc psalmo de tribulatione reservatâ impiis, specialiter his, qui negant providentiam.

In titulo illius reprehendit Augustinus morem nominandi dies hebdomadæ nominibus planetarum, scilicet *Lunæ, Martis &c.* Vatabl. sic vertit: ò Deus (scelerum) ultor: Deus ultor conspicuus appare omnibus videntibus: sume pœnas de sceleratis. At non distat sensus a literâ nostrâ, si legamus imperativè; Deus ultionum liberè age, scilicet puniendo malos; Vel juxta literam dicit Propheta; Deus ultionum sæpe fortiter, ac liberè, & potenter egit in punitione impiorum in hac vitâ, ut patet in diluviis aquæ, & ignis, & aliis infinitis manifestis punitionibus. Quia ergo, o Domine (ait Propheta) sic sæpe fecisti, fac & nunc, exaltare, sive attolle te, redde talionem superbis; Sic Vatabl.

§. 4. EFFABUNTUR, ET LOQUENTUR &c. Vatabl. effutient, & loquentur grandia, lactabunt sese omnes flagitiosi. Hic dicit Augustinus: Noli dicere peccata mea quotidiana minuta sunt: de minutissimis guttulis flumina implentur, quod ponis quotidiè per modicum post in massam inventurus es: minutatim pones, sed cumulum invenies.

§. 10. QUI CORRIPIT GENTES. Dicite, o stupidi: ille, qui toties temporibus præ-

præteritis corripuit impios, ut Sodomitas, & Ægyptios &c. nonne vos etiam arguere, & punire poterit? *Et qui docet hominem scientiam* (supple) non arguet vos?

BEATUS HOMO QUEM TU ERUDIERIS DOMINE, ác docueris hoc secretum, scilicet quod, esto, nunc aliquibus diebus affligatur, & impius prosperetur: hoc fit interim foditur peccatori fovea, & tunc ille sepelietur, & tui mali dies mitigabuntur. Tu (inquit Augustinus) jam vis sepelire impium, seu peccatorem, adhuc fovea illi foditur, noli festinare sepelire; In hoc, quòd se quotidiè magis erigit in superbiam, ex hoc ipso profundatur fovea; expecta: citò sepelietur, una febricula precipitabit illum in foveam, in voraginem tartaream. §.12.

QUIA NON REPELLET &c. Quia indubitanter non derelinquet Dominus electos suos quoadusque justitia mandetur executioni contrá impios; & qui juxtá illam? (quærit quis poterit stare Deo judicante orbem in justitiâ) Respondet: OMNES QUI RECTO SUNT CORDE. Vatablus vertit: Donec ad justitiæ normam restituat Judicium, hanc sectabuntur omnes, qui recto sunt corde. Hi autem (dicit Augustinus) sunt recti corde, qui voluntatem suam corrigunt ad voluntatem Dei, quæ sola est recta; Illi autem sunt distorti cordis, seù tortuosæ voluntatis, qui volunt aliud, quàm Deus, qui volunt voluntatem Dei torquere ad suam, habent tortuosam voluntatem, & volunt etiam facere voluntatem Dei tortuosam. §.14.

QUIS CONSURGET MIHI &c. Est verbum hominis spiritualis videntis se circumdari à multitudine carnalium insultantium ei, ac irridentium ejus viam, ut videmus quotidiè; optans enim habere multos socios sui propositi, dicit, ò quis ad meas partes convertetur, ut pariter stemus pro Domino contra carnales? Augustinus. §.16.

NISI QUIA DOMINUS ADJUVIT ME. Jam nutabat anima mea, & parùm absuit, quod non caderem in peccatum, ac discederem ab incœpto, idest videns me irrideri, quia vacabam orationi, & sacramentorum frequentationi &c. cum essem infirmus incipiebam jam tepere, at Dominus succurrit (hæc est expositio Augustini) videlicet ponit verba insultationis: O tu es magnus Apostolus, citò volabis in cœlum, sicut Helias &c. ut sic erubescat bonus esse bonus inter malos: sed vide (inquit) quod cum tibi insultatum fuerit, non superbias, non confidas de viribus tuis, quia sic augebis numerum superborum, quos detestabaris; sed dic cum David, *nisi quia Dominus adjuvit me &c.* Si sentis te tepere in bono, si sentis te fluctuare, si est præstandus consensus in aliquod peccatum, vel non; & hoc vocatur motio pedis, *comeca, raòme à tremer as pernas para cair.*) Si hoc sentis, statim confitere infirmitatem tuam coram Domino, & Dominus adjuvabit, ne ruas. Hoc est quod dicit, SI DICEBAM &c., si humiliter cognoscebam, & confitebar meam vacillationem &c. (Augustinus) sic accidit, quando titubavit Petrus in undis. Vatabl. exponit illud, *nisi quia Dominus* &c. de periculo mortis corporalis. §.17.

NUMQUID ADHÆRET &c. Nunquid erit possibile, quod aliquis iniquus tibi adhæreat, cum tu nemini parcas etiam justo, si in minimis delinquat, præcepisti enim, quod omnis peccans habeat laborem, & dolorem, & præcipis, quod judicium inchoet à domo Dei 1. Petri 4. *Et si justus vix salvabitur, ubi erit impius?* Proverb: 11. Sic Augustinus. §.20.

Aliter potest exponi; Numquid erit possibile, quod aliquis iniquus sit juxtá te, placeat tibi, cum tu non præcipias, nisi ea, quæ sunt carni laboriosa, quæ ipsi horrent.

Hebr.

Hebr. vertit, numquid aliquid commune tecum habet solium iniquitatis, quod laborem fingit prætextu legis, ideſt nullo modo placebit tibi tribunal iniquum, quod fert iniquas ſententias contra inſontes ſub prætextu legum aſſerentes, illas eſſe ſecundùm leges : *nam captabunt* (concinnant iniquam ſententiam) *in animam juſti, & animam innocentem condemnant*. Vatabl: concurrunt, ideſt turmatìm conveniunt in animam juſti &c.

ET FACTUS EST DOMINUS &c. At Dominus pro arce mihi eſt, & Deus meus petra, in quâ confido.

Annot. in Pſalm. 94.

VENITE EXULTEMUS DOMINO &c. Hortatur populum Catholicum ad divinas laudes cum obedientiâ præceptorum; Et ne hodiè, ideſt tempore revelatæ gratiæ induremur ad voces Dei, ſicut Judæi durati ſunt; ob quod juravit illis : tale mihi accidat : ſi introibunt in terram promiſſionis. Eſt modus jurandi Hebræorum.

Annot. in Pſalm. 95.

CANTATE DOMINO CANTICUM &c. Exhortatio, ut ſalus, & remiſſio peccatorum facta per Chriſtum annuncietur in omnibus gentibus.

§. 6. CONFESSIO, ET PULCHRITUDO &c. Hebr. gloria, & decor ante vultum ejus, exultatio, & magnificentia in Sanctuario ejus, ideſt cœlo; Habitaculum ſuum eſt plenum omni perfectione.

(Si vis habere pulchritudinem ama confeſſionem peccatorum; vis habere magnificentiam ? Eſto. Sanctus Auguſtinus) Notat Vatabl., quod in hoc pſalmo ubi legis verbum *Judicare* intelligas *regere*, quia judices olim regebant, ſicut modò Reges : ut dicitur *libro judicum :* & ſic nihil hìc agitur de adventu ad judicium, ſicut nec in pſalmo 97., ſed de gubernatione Chriſti in primo adventu, quando correxit orbem, qui incorrigibilis erat ab alio. Quamvis Auguſtinus intelligat de ſecundo adventu ultimos verſus.

§. 8. TOLLITE HOSTIAS &c. Non ingrediamini ſine muneribus. Quibus ? Spiritu contribulato, & contrito. Auguſtinus.

§. 9. DICITE IN GENTIBUS, QUIA DOMINUS REGNAVIT. Textus Auguſtini : *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à Ligno.* Chriſtus pugnat Ligno Crucis, & plures ſubegit provincias, quàm Reges, qui pugnant ferro. Auguſtinus dicit, quod in hoc pſalmo per mare intelligitur Seculum: per campos, homines, mites, lenes, æqui : per ligna ſilvarum, pagani.

Annot. in Pſalm. 96.

DOMINUS REGNAVIT EXULTET &c. Agitur de Regno Chriſti, per quod homines ſalvati ſunt, & ſuperſtitiones diabolicæ deſtructæ. *Dominus regnavit*, ille, inquam, qui ſtetit ante judicem, & qui accepit alaphas. Auguſtinus, qui in toto textu hujus pſalmi dicit hæc verba : quicquid dubitationis habeat homo auditis ſcripturis, à Chriſto non recedat, cùm ei fuerit in illis verbis Chriſtus revelatus, intelligat, ſe intellexiſſe : antequam autem perveniat ad Chriſti intellectum non ſe præſumat intellexiſſe, quia finis Legis Chriſtus eſt : hæc ille.

LÆ-

LÆTENTUR INSULÆ. Quia Christus non solùm in continenti, sed etiam in insulis prædicatus est; tum quia, (ut dicit Augustinus) omnes Ecclesiæ particulares meritò dicuntur insulæ, quia circùm latrantur fluctibus omnium tentationum.

§. 2. NUBES, ET CALIGO &c. Significatur obscuritas mysteriórum, ac judiciorum Christi; sunt enim nobis incomprehensibilia, & solâ fide adoranda. Et quia non habitat, nisi in animâ contritâ, & humili, quæ de se ipsâ justitiam, & judicium facit; ideò subjungit, quod sedes ejus corrigitur, seu præparatur per justitiam, & judicium. Chrysostomus per nubem caliginosam intelligit humanitatem Christi, quæ nobis divinitatem occultabat.

§3. IGNIS ANTE IPSUM. Augustinus intelligit tàm de igne charitatis, qui inflammavit eos, qui ante erant inimici, & facti sunt amici, quàm de igne furoris, & invidiæ, quo exarserunt Christi persecutores.

§. 4. ILLUXERUNT FULGURA, idest miracula; sicut enim de nubibus nebulosis, & obscuris procedunt coruscationes, nescio quid intùs habent; ità de illis nubibus, Apostolicis hominibus infirmis, & obscuris secundùm seculum, procedebant splendores miraculorum.

§. 5. MONTES FLUXERUNT. Quia superbia, & omnis altitudo extollens se adversùs scientiam Dei humiliata est ad fidem.

§. 6. ANNUNCIAVERUNT CŒLI, (Apostoli) JUSTITIAM EJUS. Syon, Ecclesia, & filiæ Judæ, animæ fideles lætantur ob judicia divinæ misericordiæ in adventu Domini.

§.12. LUX ORTA EST JUSTO, soli recti corde habent lætitiam, quia non est gaudium impiis; Isai.57.

§. 13. LÆTAMINI JUSTI IN DOMINO, ET CONFITEMINI &c. Hebr. *& gratulamini memoriæ sanctitatis ejus*. In fine hujus psalmi hæc verba dicit Augustinus: si Christiani estis, pressuras in hoc mundo sperate; tranquilliora, & meliora tempora nolite sperare. Fratres, fallitis vos, nolite vobis promittere, quod Evangelium non promittit vobis. Evangelium non dicit, quod novissimis temporibus crescent mala, & scandala, & abundabunt iniquitates, refrigescet charitas &c.

Annot. in Psalm. 97.

CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM: quia facinora fecit admiranda; nàm dextera ejus, ac brachium ejus (Christus, ut patet Isai. 53., & in cantico Virginis) salvavit genus humanum sibi, idest, ad gloriam ipsius Dei Patris sui: sic exponit Augustinus, & etiam Vatablus.

§. 3. REVELAVIT JUSTITIAM SUAM, idest, Christum, per quem omnes justificat.

§. 9. QUONIAM VENIT JUDICARE. Regere terram, ut dictum est psal.95. Augustinus quod tubæ ductiles sunt probati, & malleati multis tribulationibus propter Christum: tubæ corneæ (quia sunt cornua dura, & carnem excedunt) sunt transcendentes carnales effectus. Flumina sunt, de quibus Joan.7. scilicet habentes illa flumina. Montes, viri perfecti.

Annot. in Psalm. 98.

DOMINUS REGNAVIT IRASCANTUR. (Quidam intelligunt de regno Dei in veteri Testamento, alii de regno Christi) Hebr. Domino regnante, contremiscunt, seu conturbantur populi: regnat ille, qui exhibere solebat suam potentiam inter Cherubim super propitiatorium, unde responsa dabat, vel qui sedet super plenitudinem scientiæ, vincens omnem scientiam, ut Augustinus AGITETUR TERRA. Sic factum est ad prædicationem Apostolicam; agitati quippe sunt homines quidam ad persequendum, quidam ad mutandum vitam.

§ 3. HONOR REGIS. Hebr. *fortitudo regis*, *judicium diligit*, idest: esto sit summus majestate, & fortitudine; tamen est summè justus, & æquus, nullam habet tyrannidem. Augus. exponit, quod Deus sic vult honorari, quod vult timeri; non vult, quod aliquis præsumat de ejus misericordiâ, vult, quod qui eum colit corrigat vitam.

§. 4. TU PARASTI DIRECTIONES. (Hebr. *æquitates*) omnia facis in summâ rectitudine.

§. 5. ADORATE SCABELLUM. Arcam Testamenti ratione præsentiæ divinæ (erat enim arca, quasi scabellum propitiatorii) Augustinus intelligit carnem Christi.

§. 6. MOYSES ET AARON &c. Describit, qui fuerunt excellentes in Sacerdotio ad exemplum aliorum, & quomodo Dominus summâ clementiâ tractabat illos, & nihilominùs non parcebat illis, quando delinquebant. Sed dicit Augustinus: legimus punctionem Aaron, & Moysis quia non intraverunt terram promissam, sed non Samuelis (qui etiam aliqua venialia habuit). Sed dicit idem Augustinus magna vindicta erat, quod omnes tres quotidiè patiebantur populos contradicentes, & iniquè viventes, & inter illos vivere cogebantur, quorum vitam quotidiè reprehendebant; si putas hanc parvam vindictam, nondùm persecisti, nám tantùm te torquet iniquitas aliena, quantùm recedis á tuâ. Ideò scriptum est Matthæi 13. *Cum crevisset herba* (bona), *& fructum fecisset*, *tunc apparuerunt zizania*; separare non potes zizania, quia Dominus dicit, *finite utraque crescere usque ad messem*: tolerare necesse est. Vos, qui proficitis, vos qui corpore, & corde integro inter malos versamini, satis experimini, quantas plagas quotidiè in corde patiamini, & quantò magis creverit in vobis charitas, tantò plus vos torquebunt illi, quos tolleratis; non tamquam irascentes illis, sed tamquam dolentes pro illis: Ideò clamabat Paulus, *quis infirmatur* ? Quantò major charitas, tantò majores plagæ de peccatis alienis: & in psalmo sequenti dicit: scriptum est, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Quas dicis spinas? Respondit ipsas filias: spinæ sunt propter mores suos, filiæ propter Sacramenta mea: Igitur magis gemendum, quia filiæ sunt, quám si essent alienæ. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi &c.* Igitur gemamus, & toleremus falsos fratres, quia etiam nos antequam proficeremus, qui profecerant toleraverunt: si dicis: ego non habeo, quod in me alii sustineant; ergo (ait) meliùs poteris alios sustinere; si dicis non possum: ergo jam habes, quod in te alii sustineant.

An-

Annot. in Pfalm. 99.

JUBILATE DEO OMNIS TERRA &c. Invitat omnes ad laudem Dei in templo fuo. Initio hujus pfalmi explicat Auguftinus, quid fit jubilare.

SERVITE IN LÆTITIA, quia, ut dicit Auguftinus, omnis fervitus amaritudine plena eft; & omnes conditione fervili obligati ferviunt, & murmurant: at fervitus Dei libera eft, ubi non fervit neceffitas, fed charitas. Auguftinus in hoc pfalmo exponit illud de confeffione peccatorum, quando monemur confiteri.

Hic etiam egregiè tractat, quod mutuò nos toleremus; & contrà illos, qui volunt feorsùm vivere, & nulli prodeffe, dicit; dic mihi, potuiffes tu profeciffe, fi nullus tibi profuiffet? Si omnes boni fegregaffent à te, quomodo profeciffes? Hîc agit de recipiendis in monafteriis: & dicit, quod fuo tempore reprehéndebantur ávaritia, improbitates, & lites clericorum, *e dos que depois, que se faem de moftros contaò dos males que la viram*. Et dicit, quod in omni genere vivendi funt aliquæ perfonæ fictæ; & quod ficut ventus aliquando collidit naves, quæ videbantur effe fecuræ in portu, ità tentatio poteft turbare conftitutos in fanctâ focietate, quia etiam de lecto contemplativæ vitæ *unus affumetur, & unus relinquetur*; Matth 24. & quod, efto, fint multi Chriftiani mali, funt multi boni; Non vides bonos, quia grana funt, & occultantur fub paleâ; Tenta, & excute. Arguit virgines, fanctimoniales linguatas circumeuntes domos &c.

Annot. in Pfalm. 100.

MISERICORDIAM ET JUDICIUM &c. Tractat David de difpofitione fuæ perfonæ, ac fuæ familiæ. Et quia officium boni principis, ac patrisfamilias confiftit in juftitiâ, & mifericordiâ: ideò ab illis incipit hymnum. Dicit Auguftinus: femper feveritas eft mifcenda mifericordiæ ab iis, qui præfunt.

PSALLAM, ET INTELLIGAM. Hebr. *Prudenter me geram*, PERAMBULABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI; ut enim inquit Auguftinus: arcta omnis malitia, fola innocentia lata eft; qui habet domum fuæ confcientiæ diffipatam non poteft deambulare in eâ, fed fugit ad externa gaudia, ficut dicit Salomon de domo fumofâ, & pluviofâ. *§. 2. §. 3.*

IN MATUTINO INTERFICIEBAM &c., ideft *madrugava pa caftigar peccadores*. Sic ad literam Auguftinus dicit, quod nunc, quia nox eft (nam non videmus nos mutuò, ego puto, quod tu diligis me, & tamen odis: vel puto quod odis, & diligis &c.) At cum illuxerit dies futuri feculi difcernet, & reddet unicuique fecundùm opera fua. In nocte hâc jugiter tentamur, ficut Sathanas petivit facultatem, ut nocte Paffionis vexaret Apoftolos, quafi triticum (ut exponit hîc Auguftinus) Sicut boves, quando mittuntur in aream ad triturandum; tunc enim triticum purgatur, manet integrum, & fpoliatur paleâ: palea verò comminuitur; fic veniente tribulatione apparet, quis fit triticum, & quis palea. *§. 10.*

Annot. in Psalm. 101.

DOMINE EXAUDI ORATIONEM MEAM. Quidam dicunt esse orationem querulam populi afflicti sub Babyloniis, vel sub Antiocho; sed alii melius exponunt de Adventu Messiæ, ut Cajetanus. Titulus habet: *oratio pauperis, cum anxius fuerit*, illius (inquit Augustinus) qui pro nobis egenus factus est.

§. 4. OSSA MEA SICUT CREMIUM. Textus Augustini habet; *ossa mea, sicut in frixorio, confrixa sunt*, vel, ut Hieronymus: *quasi frixa contabuerunt.* Significatur, vel dolores Christi in Passione, vel zelus tristitiæ ob peccata. Augustinus exponit de Apostolis, & Apostolicis: sunt enim fortes Christi (nàm in ossibus significatur fortitudo) qui frigebantur ob peccata aliena, juxta illud, *quis scandalizatur, & ego non uror?* Tantùm enim quis frigitur, quantùm amat.

§.5. QUONIAM OBLITUS SUM COMEDERE PANEM. Hoc dicit Dominus in personâ membrorum suórum; vel dicit peccatorum; Panis animæ est meditatio divinorum cum sapore, vel devota oratio: absque quo pane arescit spiritus.

§.6. A VOCE GEMITUS MEI &c. Ob abundantiam gemituum: *Naò me ficou senaò à pelle sobreo osso.*

§. 7. SIMILIS FACTUS SUM PELLICANO &c. Ponit aves fugientes conspéctum, quibus se comparat, quia ob angorem animi manebat solus. Alii vertunt loco Pellicani Onocrotalum, aut Cuculum; & loco Nycticoracis Bubonem. Augustinus comparat Christum Pellicano *(aa femea)* qui sanguine suo vivificat pullos, & etiam alios passeres.

§. 8. VIGILAVI. Præ anxietate, & sollicitudine cordis non poteram dormire similis passeri mæsto, qui solus in foramine residet sub tecto.

§.9. QUI LAUDABANT ME dicentes: Magister scimus, quia verax es &c.

§.10. QUIA (pro *nàm*) CINEREM TAMQUAM PANEM. Tantâ tristitiâ eram affectus, quod non majorem saporem inveniebam in cibo, quám si ederem cinerem:& dum bibebam, lachrymæ miscebantur cùm aquâ, & hoc ob indignationem tuam, quia sic mecum egisti, ac si in altum extolleres, & posteá precipitares. Elevasti me in creatione (ait Augustinus) quia Deus condidit hominem perfectum, deinde allisit ipsum ob peccatum.

§.13. MEMORIALE TUUM. Vatabl. memoria tui sempiternis temporibus.

§.14. MISEREBERIS SYON. Petit adventum Messiæ, quia venit tempus præfinitum (á prophetis) sic Vatablus.

§.15. QUONIAM PLACUERUNT SERVIS TUIS &c. Servi tui (Apostoli) diligent lapides Syon, idest Judæos, & miserebuntur totius terræ, seù pulveris. Juxtà hebr. significatur conatus Apostolorum ad conversionem Judæorum, ut ex eis ædificarent Ecclesiam, ut patet de Petro post adventum Spiritus Sancti; Et quia post hoc etiam processerunt ad convertendas gentes; sequitur.

§.16. ET TIMEBUNT &c.

§.17. QUIA ÆDIFICAVIT &c. Dominus ædificavit Ecclesiam, & manifestata est gloria ejus magnificè in conversione peccatorum humilium.

§.19. SCRIBANTUR HÆC A ME Propheta in alteram generationem, quando Dominus creaverit novum populum Christianum, quia tunc implebuntur.

UT

UT SOLVERET FILIOS INTEREMPTORUM. Hebr. *filios mortis*, ideſt homines morti adjudicatos. §.21.

IN CONVENIENDO POPULOS: Hebr. *congregabuntur populi in unum*.

RESPONDIT EI IN VIA VIRTUTIS, ſeu fortitudinis ſuæ. Auguſtinus dicit, quod ſignificatur obedientia Eccleſiæ gentium Deo vocanti: quando enim Deus vocavit Eccleſiam gentium mediante virtute ſuâ (quæ eſt Chriſtus, qui etiam eſt via) reſpondit obtemperando vocationi, quæ Eccleſia (ait Auguſtinus) petit á Domino, ut oſtendat ei, quantùm debeat durare, uſque ad finem mundi precans nè finiatur, donec totus orbis recipiat Evangelium, juxtá promiſſionem Matth.24. *prædicabitur Evangelium in toto orbe terrarum in teſtimonium omnibus gentibus*, & tunc veniet finis; & diſputát contrá hæreticos, qui dicunt, Eccleſiam Romanam non eſſe veram Eccleſiam, quia erravit ab antiquâ. Juxta hebr. aliter habetur, videlicet afflixit in viâ fortitudinem meam, & abbreviavit dies meos. Et loquitur (ut Vatabl.) Eccleſia Judæorum petens á Domino, quod citò mittat ſalvatorem, quia dies noſtri ſunt pauci, & totum tempus durationis mundi nihil eſt reſpectu æternitatis. Ideò accelera adventum, & ne permittas, me ante tuum adventum conſummari. §.23.

Annot. in Pſalm. 102.

BENEDIC ANIMA MEA DOMINO &c. NOLI OBLIVISCI RETRIBUTIONES. Auguſtinus, quoties in pſalmis invenit hoc verbum *retribuere* Dei erga nos, explicat, quòd cum magno myſterio poſitum eſt: ſignificatur enim, quod dona Dei non ſolùm ſunt æſtimanda, quia dona, ſed quia data ſunt in retributionem pro malis. Cum enim eſſemus digni, ut ipſe tetribueret pœnas pro peccatis, ipſe retribuit bona pro eis (quamvis novi verſores vertant *tribuit*, vel *contulit*.

RENOVABITUR UT AQUILÆ &c. Dicit Auguſtinus, quod dùm Aquila ſeneſcit, ſuperior pars roſtri creſcit valdè, & aduncatur itá, quòd longitudo incrementi non ſinit, os aperire, quia non patet intervallum inter uncum ſuperiorem, & inferiorem, quo poſſit cibum intromittere; jam langueſcit: ideò collidit ad petram illud, quaſi labium ſuperius, & illo excuſſo poteſt benè comedere, & recuperat vigorem membrorum, & nitorem plumarum, & quaſi reſurgit; ſic tu vetuſtatem culpæ ad petram Chriſti allide &c. §. 5.

NEQUE IN ÆTERNUM COMMINABITUR. Vatabl. nec æternùm retinet memoriam acceptæ injuriæ. §.9.

QUONIAM SECUNDUM ALTITUDINEM CŒLI A TERRA. Altior eſt ſua miſericordia ſuper timentes ſe, quàm ſit cœlum ſuper terram. Auguſtinus exponit, quod ſicut cœlum altum protegit terram, ac continuis beneficiis fovet, ità Deus ſuos. §.11.

QUONIAM SPIRITUS PERTRANSIBIT &c. Juxtà Hebr. non refertur ad hominem, ſed ad florem agri, de quo immediatè dixerat, videlicet protinùs, ut ventus auſterior pervaſerit eum (florem) nullus eſt, nec ampliùs in loco ſuo invenitur. §.15.

An-

Annot. in Pſalm. 103.

BENEDIC ANIMA MEA DOMINO DOMINE DEUS &c. CONFESSIONEM, & DECOREM. Hebr. *gloriâ, & decore indutus es*, & creaſti lucem, quaſi pulchrum veſtimentum tibi.

§. 3. EXTENDENS CŒLUM &c. *Expandiſti cœlum, quaſi cortinam*, ità faciliter, ſicut homo extendit cortinam, aut pellem. Auguſtinus applicat ad Scripturam Sacram, quæ eſt explicata, ut tegat omnes gentes. *Tegis aquis ſuperiora ejus*: Auguſtinus de cœlo aqueo, ſeu cryſtallino, alii de nubibus. Hebr. habet, *qui cœnacula ſua contignavit in aquis*, fecit nubes, aut cœlum aquatum, quaſi ſolarium cœnaculi ſui.

§. 4. QUI PONIS NUBEM &c. Sicut aurigam regit currum, ità tu rèſidens regis nubes, & ventos.

§. 5. QUI FACIT ANGELOS (Vatabl., & Campen. *Nuncios*) SPIRITUS. Dicti exponunt de ventis, & fulgoribus, quibus Deus utitur, ut nunciis, ſeu miniſtris ad terrendum, vel puniendum homines. Auguſtinus exponit, quod Deus homines ſpirituales non carnales facit ſuos nuncios, & prædicatores, quos oportet eſſe igneos, quia niſi ardeat miniſter prædicans non accendit eum, cui prædicat. Et Apoſtolus ad Hebr. 1. exponit de angelis: ideò illa eſt tenenda.

§. 7. ABYSSUS SICUT VESTIMENTUM &c. Abyſſo aquarum tamquam veſte, tecta eſt terra, itá ut etiam ſuprà montes ſtent aquæ. Abyſſus (inquit Auguſtinus) eſt immenſa aquarum copia.

§. 8. AB INCREPATIONE &c. Tamen aquæ fugerunt a tuâ increpatione: cum enim in principio cooperuiſſent totam terram, te jubente, ut appareret arida, ſtatim fugerunt, & properantes receſſerunt, quaſi homines formidantes á tonitruis tuis, ſic illæ fugerunt á terrificâ voce imperii tui. Sic Vatabl. Auguſtinus etiam ſic legit, & etiam modò aquæ currunt, quò Deus præcepit. Auguſtinus applicat aquas ad primos perſecutores Eccleſiæ.

§. 9. ASCENDUNT MONTES. Separatis ergo aquis tunc apparuerunt montes aſcendentes, & deſcendentes valles. Sic Vatabl., & Campen. De dictis aquis ſubjungit.

§. 10. TERMINUM POSUISTI &c.

§. 11. QUI EMITTIS FONTES IN CONVALLIBUS. Quia fontes, vel flumina gratiarum non dantur niſi humilibus (Auguſtinus), & quod aqua doctrinæ Catholicæ debet eſſe publica omnibus, debet tranſire inter medium montium, ideſt ſanctorum prædicatorum; doctrina autem hæretica aqua furtiva eſt, non currit per medium Eccleſiæ. De his aquis biberunt etiam beſtiæ ſilvæ, & onagri, ideſt gentes, quæ erant brutæ, & ſine jugo legis. Dicit etiam, quod cum divites ædificant monaſteria ſervis Dei, tunc dicuntur paſſeres nidificare in cedris, ideſt ipſis divitibus.

§. 13. SUPER EA VOLUCRES CŒLI. (Supra montes, vel juxta flumina) habitabunt, de medio frondium, ſive arborum dant voces.

§. 14. RIGANS MONTES &c. De cœlis, ſeù de nubibus afferentibus imbrem, mediante quo imbre fructificat terra *dans fœnum jumenti*, & alia, quæ deſcribit uſque *ſaturabuntur ligna campi*, ſcilicet pluviâ.

§. 17. VT EXHILARET &c. oleum, quod ſplendere, vel nitere facit vultum hominis. Hoc oleo abundant ſpiritualiter (dicit Auguſtinus) illi prædicatores, qui ſe

se gratos, & amabiles exhibent omnibus.

HERODII DOMUS &c. Hebr. *Ciconiæ*, quarum domus est in abietibus (Alii *milui*) montesexcelsi ibicibus; & petra, vel rupes refugium cuniculis, aut leporibus, seu muribus (Augustinus *Cervi*, *seu ibices*) contemplativi, & perfecti per excelsos montes mysteriorum saltant, nihilominus imperfecti, ac timidi, sicut lepores fidunt in petrâ, idest Christo. Hieronymus dicit hic, quod Herodins est major omnibus volatilibus, nam vincit Aquilam, & comedit eam, ideò dicitur dux. §.19.

IMPLETA EST TERRA POSSESSIONE TUA. Hebr. *Rebus tuis*. §.25.

MARE SPATIOSUM MANIBUS. Littoribus, vel sinubus. §.26.

DRACO ISTE. Vatabl. Balena ista, quam formasti, ut ludas in eâ. Eumdem textum exponit Augustinus de Diabolo, qui traditus est illudendus ab Angelis sanctis; imò etiam à perfectis viris. §.28.

EMITTES SPIRITUM TUUM &c. inspirationem, sive vim illam, quâ mediante omnia vivificantur, & conservantur, & quibusdam corruptis alia gignuntur. Augustinus de gratiâ Spiritus Sancti, per quem renovata est terra. Hic etiam ait Augustinus, quod fortitudo, quæ non est ab Spiritu Sancto non est fortitudo, sed duritia. §.31.

TANGIT MONTES, ET FUMIGANT &c. Si vel leviter tangat potentes, & superbos, statim in fumnm abeunt, idest mox deficiunt. Augustinus traducit ad conversionem superborum, qui à Deo tacti reddunt beneolentem fumum spiritus contriti, & sanctarnm orationum. §.33.

DEFICIANT PECCATORES A TERRA (non deficiant homines, sed peccatores; auferatur ab eis spiritus suus, ut recipiant Spiritnm Sanctum) *& iniqui, itàut non sint*. Justificentur, ut non sint iniqui. Augustinus. §.36.

Annot. in Psalm. 104.

CONFITEMINI DOMINO ET INVOCATE &c. Iste est (ait Augustinus) primus psalmus eorum, qui habent in titulo Alleluja.

SEMEN ABRAHAM &c. O vos, qui estis semen Abraham electi ejus, & estis filii Jacob, qui fuit servus ejus, mementote mirabilium ejus. §. 6.

IN UNIVERSA TERRA JUDICIA EJUS, idest, leges ejus, cujus legibus tota terra regitur, seù miranda ejus opera. §. 7.

MEMOR FUIT IN SECULUM. Numquam fuit oblitus fœderis initi cum Abraham, ac jurati cum Isaac, qnod etiam statuit cum Jacob in decretum, ubi nos habemus *præceptum*; non, inquam, obliviscitur, etiam si post mille ætates impleat, quia tandem præstat promissum. §.8.

Et explicat pactum, *dicens: tibi dabo terram Chanaan, ut tibi sit hæreditaria sors*. Sic Vatablus.

CUM ESSENT pauci numero, & incolæ, idest peregrini in ipsâ terrâ Chanaan. §.12.

NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS. Vatabl. nolite tangere homines mihi consecratos, & Prophetis meis (qui annunciant verbum meum populo) nihil mali inferatis. §.15.

FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EJUS. Duris catenis ferreis fuit vinctus Joseph. §.18.

UT ERUDIRET &c. Vatabl., ut vinceret principes ejus pro suo arbitratu, & Seniores ipsius sapientiam doceret. §.21.

CON-

§.24. CONVERTIT COR EORUM &c. Non aliter (ait Augustinus) quàm multiplicando Judæos: hinc enim excitati sunt Aegyptii ad invidiam, & odium.

§.27. NON EXACERBAVIT : scilicet Moyses. Hæbr. *Non detrectabant* scilicet Moyses, & Aaron jussum domini in signis edendis sinè aliquâ repugnantiâ itâ exequebantur, sicut Dominus jubebat.

§.30. CŒNOMIA : ideſt muſcas, vel feras omnis generis.

§.31. GRANDINEM, ET IGNEM FLAMMANTEM, flumina scilicet.

Annot. in Psalm. 105.

CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS. *Beati qui custodiunt judicium &c* beati, qui servant æquitatem, & faciunt semper, quod justum est. Vatablus.

§. 4. MEMENTO NOSTRI *Domine in beneplacito populi tui*, vel per favorem ergà populum tuum, ut Vatabl. ut electi tui bonitatem tuam videant; ut gentes tuæ lætentur. Sic Campensis. Augustinus autem exponit, ut in eâ bonitate, quam præstas electis tuis videamus (habeamus oculos internos illuminatos) ut simus de numero illorum, in quibus beneplacitum est tibi.

Augustinus in principio hujus Psalmi dicit, quis audacter dicet, damnatos experturos aliquam Dei misericordiam per suæ pœnæ aliquam mitigationem, vel per pausam á pœnâ, per quædam intervalla, cùm dives ille non meruerit unam stillam? Et (inquit) quæstio hæc majus otium requirit.

§.14. CITO FECERUNT &c. Dixerat, quod Patres non ponderabant miracula facta in Ægypto, ideò venientes juxtá mare rubrum irritaverunt Dominum, dicentes, utinam non exiissemus de Ægypto. Post transitum cantaverunt carmen laudis; At *cito obliti sunt beneficii, neque sustinuerunt consilium ejus*, non se resignabant voluntati Dei, ut omnia in eis faceret juxtá suum consilium.

§.21. MUTAVERUNT GLORIAM SUAM, Vatabl. permutaverunt majestatem Dei effigie vituli comedentis fœnum. Sic ad Rom. 1. *Et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei &c.*

§.23. DIXIT UT DISPERDERET &c. Vatabl: decreverat autem eos delere, nisi Moyses electus ejus intercessisset ei sedans iram ipsius, ne perderet eos,

§.26. ELEVAVIT MANUM SUAM SUPER EOS: Vatabl. Quarè juravit eis, se prostraturum ipsos in deserto, ac dejecturum eos, & etiam eorum semen dispersurum per regiones (quod sæpe Dominus implevit, & implet.)

§.28. INITIATI SUNT BEELPHEGOR se tradiderunt, consecraverunt, & dedicaverunt illi idolo, & comederunt sacrificia oblata Diis mortuis.

§.29. ET IRRITAVERUNT DEUM in studiis suis, & multiplicata est in eis plaga.

§.32. VEXATUS EST MOYSES PROPTER EOS. Vatabl: Deus Moysem malo affecit propter ipsos, quia ob incredulitatem frustratus fuit ingressu terræ promissionis, & adeò exacerbaverunt Spiritum Moysi, ut aliquid perperàm loqueretur labiis suis (ubi nos habemus *distinxit*:) illa verba, videlicet *num educet Dominus aquam de petrâ hac?* Non enim debes intelligere, quod Moyses dixerit illa verba, *non disperdiderunt* &c.

Distinxit in labiis, ideſt dubitavit, vel vacillavit labiis suis, quasi distinguendo illud miraculum ab aliis, non habens illam fiduciam in eo, sicut in aliis (ut

(ut dicit Augustinus) & tunc sequitur alius versus: *Et non deleverunt gentes, quas jusserat Dominus illis*; & tangit alia peccata commissa post ingressum terræ promissionis, quod scilicet non deleverunt omnes populos, quos Dominus jusserat, de terrâ Chanaan, imò servierunt idolis illius terræ.

INFECTA EST TERRA SANGUINIBUS. Idest, cæde. Augustinus legit, *interfecta*, quia sic omnes codices habebant, ut ipse dicit; Vatabl: terra polluta est capitalibus sceleribus, & fornicati sunt in adinventionibus suis, idest, idolatraverunt cum idolis à se confictis. §.37.

IPSI AUTEM EXACERBAVERUNT EUM IN CONSILIO SUO. Campensis: Ipsi autem sæpe numero rebellabant consiliis ejus, scilicet, Dei. §.41.

DEDIT EOS IN MISERICORDIAS. Fecit, quod illi, qui eos captivos duxerant, misericorditer eos tractarent. §.44.

DICET OMNIS POPULUS AMEN AMEN. Ità se res habet, quod est dignus omni laude. §.47.

Annot. in Psalm. 106.

CONFITEMINI. Narrat David in hoc psalmo varia pericula, à quibus Deus solet liberare homines (Primi tres versus benè applicantur cum Augustino ad Ecclesiam catholicam congregatam ab ortu, & occasu, ab aquilone, & meridie).

Primùm agit de misericordiâ Dei erga itinerántes aberrantes à viâ rectâ (qua scilicet oportebat ire ad locum, quem volebant) *e andavoò perdidos pollo deserto sem topar cò povoado mortos com fome*.

Hanc primam tribulationem applicat Augustinus ad illos, qui ex infidelitate convertuntur ad Christum, qui primò patiuntur famem cognoscendæ veritatis, & discurrunt ad quærendam eam, & tandem Dominus illuminat, si clamant.

CONFITEANTUR DOMINO. Hebr. canant voluntatem Dei, & mirabilia ejus inter filios hominum. §.8.

Deinde agit de misericordiâ Dei erga cônstitutos in vinculis, & tenebroso carcere, quia repudiaverunt mandata Dei (ubi nos habemus, *exacerbaverunt eloquia Dei*. Hanc applicat Augustinus ad eos, qui receptâ fide patiuntur difficultatem in vincendis concupiscentiis, & pravis consuetudinibus, quibus quasi catenis religantur., sed tandem à Domino solvuntur).

Deinde de benignitate Dei erga ægrotantes ; & incipit ibi *suscepit eos de viâ iniquitatis &c.* ipsi se posuerunt in viâ morborum; nàm iniquitatibus suis morbos sibi accersiverunt. Itá Vatabl: & cœperunt fastidire omnem cibum itá, quod proximè ad mortem accesserint.

MISIT VERBUM SUUM &c. *Jussit*, *& eripuit eos de ægrotationibus suis*, ut hebr. Alii vertunt, de foveis, sive sepulchris á desperatis morbis. §.20.

Hanc tertiam tribulationem applicat Augustinus ad eos, qui sanati á secundâ tribulatione, patiuntur tentationes acidiæ, & tædii spiritualis, quos etiam Dominus confortat, si clamant.

Deinde de benignitate Dei erga navigantes, ibi ; *qui descendunt mare &c.*

DIXIT, ET STETIT. Hebr. eo jubente surrexit ventus procellosus, & cœperunt exaltari fluctus maris, & elevare navem nunc usque ad cœlos, & statim de- §.25.

deprimere usque ad abyssum. Et nautæ cœperunt turbari, ut ebrii; & omnis peritia illorum evanuit.

Tandem procella mutatur in auram. Hebr. *in tranquillitatem*.

Hæc quarta tribulatio (ait Augustinus) est Prælatorum, qui faciunt operationem in aquis multis, idest in populis. Hi (ait) ascendunt usque ad cœlos audendo, descendunt usque ad abyssos timendo, foris pugnæ, intus timores, aliquando turbantur, nesciunt, quid facient, deficinnt omnia humana consilia, undique fluctus ferventes, undique pericula, ut patet de pressurâ, quæ accidit Paulo secundæ ad Corinth. 1., ubi dicit, quod supra modum gravatus est; itàut tæderet, eum vivere, sed Dominus tempestatem sedavit, ut ibidem dicit.

§. 32. EXALTENT Deum in cœtu populi, & in consessu senatorum laudent eum. Sic Hebr.

§. 33. POSUIT FLUMINA IN DESERTUM. (Describit miranda opera Dei in variis mutationibus) Regionem fluviis abundantem, ac per hoc fertilem convertit in regionem aridam, & infœcundam. Terram fructiferam mutat in salsuginem (Augustinus legit, *salinas*), vel sterile solum ob vitia incolarum. (Augustinus applicat ad Synagogam, & Ecclesiam. Ubi enim apud Judæos propheta, ubi Sacerdos, ubi templum? Omnia mutata sunt ad gentes conversas, ubi est omnis fœcunditas.)

§. 39. ET PAUCI FACTI SVNT, idest: illi adeò prosperati, postquam à Deo deficiunt, diminuuntur (Augustinus applicat ad hæreticos ab Ecclesiâ deficientes).

§. 40. EFFVSA EST CONTENTIO SVPER PRINCIPES: Augustinus legit *effusus est contemptus*. Vatabl: effundit Deus contemptum super principes (partim refert, quia ex contentione duorum Principum unus manet victus, & contemptus) facit eos contemptibiles ob peccata sua, qui ante erant in summâ auctoritate, & deturbando eos à propriis sedibus fecit, eos huc illuc vagari. Aliter in invio, & non in viâ, idest privati suis regnis nesciebant quò irent, ambulabant invii, quia non habebant certam viam, quâ irent; Hebr. habet, *errare eos fecit per vastitatem inviam*. Augustinus applicat ad hæreticos errantes per omnem ventum doctrinæ.

Dicto modo tractat iniquos principes, at pauperem bonum elevát a paupertate, & dat ei familias copiosas, ad instar gregis efficit, ut ex eo plurimæ exeant familiæ.

§. 42. VIDEBVNT hæc dicta recti, & lætabuntur, & iniquorum obstruetur os, itâ quòd non habeant, quid loquantur, aut conquerantur.

§. 43. QVIS SAPIENS diligenter animadvertet ista?

Annot. in Psalm. 107.

PARATVM COR MEVM DEVS &c. Iste psalmus est compositus ex ultimis partibus psalmorum 56., & 59. Ideò illùc quæratur expositio, ut etiam dicit Augustinus.

An-

Annot. in Pſalm. 108.

DEVS LAVDEM MEAM &c. Quidam dicunt, quod in hoc pſalmo invehitur David in Doeg (principem paſtorum Saülis), & ſimiles aſſentatores Saülis: & poſtremò coram Deo queritur de ſuâ miſeriâ. Alii meliùs dicunt, quod in hoc pſalmo agitur de Paſſione Chriſti (ut Cajetanus) & eſt oratio Chriſti contra blaſphematores gratiæ ſuæ, ideſt: *Deus non diſſimules ad laudem, vel orationem meam*. Hebr. O *Deus laudis meæ, ne taceas* (Campenſis *diſſimules*) O Deus, in quo unico glorior non diſſimules.

QUIA OS PECCATORIS. Ideſt Judæ, ut patet Actuum primò. Et etiam de quovis alio blaſphematore, & perſecutore Chriſti, præſertim tempore Paſſionis. Auguſtinus etiam exponit de populo Judæorum. §. 1.

CONSTITUE SUPER EUM PECCATOREM. Ideſt impius Magiſtratus ei præſit, & Diabolus jugiter eum vexet. §. 5.

CUM JUDICATUR EXEAT &c Ideſt cum adductus fuerit in judicium feratur ſententia contra ipſum, & oratio ejus, quâ ſe defendit coram Judice non ſolùm non proſit ei, ſed etiam magis exaſperet judicem ad augendum peccatum ejus, ac pœnam. §. 6.

EPISCOPATUM EJUS. Petrus expoſuit Act. 1. Hebr. *functionem, ſive præfecturam ejus, aut officium*: ut Campenſis. §. 7.

FIANT FILII EJUS. Hinc colligit Auguſtinus, Judam habuiſſe uxorem, & filios. §. 8.

SCRUTETUR FŒNERATOR. Hebr. fœnerator nexu obliget omnia, quæ habet, vel præillaqueet fœnerator, ideſt ſi quid ex facultatibus ſuperfuerit, fœneratores omnia ſuis laqueis, *e trampas* extorqueant: §. 10.

FIANT CONTRA DOMINUM SEMPER. Vatabl: obſerventur ſemper ante oculos Domini (peccata Patris, & matris ejus) Campenſis: vigeant coram Domino ſemper, ideſt Deus ſemper retineat in memoriâ peccata parentum ſuorum ad puniendum in filiis, & ideò Deus exterminet memoriam de terrâ eorum. §. 14.

COMPUNCTUM CORDE MORTIFICARE. Perſecutus eſt hominem dolentem, & mœrentem (ob calamitates) ut eum occideret. §. 15.

HOC OPUS EORUM. Hanc mercedem dictam accipient à Domino detractores mei. §. 19.

SICUT UMBRA CUM DECLINAT, ABII, *& excutior ſicut locuſta*, ideſt ſicut cum ab hominibus fugatur locuſta; vel cogor inſtabilis eſſe, & vagari de loco in locum, ſicut locuſta, quæ huc, & illuc ſaltat nullam certam habens ſedem. Auguſtinus exponit de morte Chriſti. Locuſtæ apud Auguſtinum ſunt fideles Chriſti fugati à perſecutoribus in primitivâ Eccleſiâ. §. 22.

GENUA MEA NUTANT *præ inedia, & caro mea exaruit*, ut ſuccus nullus ſuperſit, ſeù detractâ pinguedine aliuseſt habitus corporis mei; ſic Vatablus, & Campenſis; caro mea emarcuit exhauſta pinguedine. Significatur jejunium Chriſti, ac immutatio ad immortalitatem reſurrectionis ob oleum divinæ gratiæ, ſecundùm Auguſtinum. §. 23.

Alii exponunt: caro mea immutata eſt ob defectum olei, quia non ungo eam oleo, ut ſolebam: ſed melior prima expoſitio.

Annot. in Psalm. 109.

DIXIT DOMINUS DOMINO MEO. Agitur in hoc de Regno Christi post Ascensionem. Hoc dixit Pater filio in Cœlos ascendenti.

DONEC PONAM. Donec reprobi Evangelio contradicentes (fide, vel vitâ) in tenebras exteriores detrudantur, vel donec illi, qui modò sunt inimici tandem conversi ad te, adorent te hîc, & in cœlo.

§. 3. VIRGAM VIRTUTIS, *sive sceptrum potentiæ tuæ*. Idest verbum Evangelicum, quo mundum subiges, emittet Dominus ex Hierusalem, tùm quia ibi fuit confirmatum in pectoribus Apostolorum die Pentecostes, tùm, quia prædicatio Evangelii initium sumpsit in Hierusalem, ut dicitur Luc. 24.

Dominare ergò (Hoc dicit Pater, vel Propheta) *in medio inimicorum tuorum.* Nam post missionem Spiritus Sancti in medio Hierusalem fulgebat prædicatio Evangelii, tabescentibus Judæis, & posteà inter gentes tabescentibus Principibus; Potest etiam exponi *dominare*, pro *dominaberis*.

§. 14. TECUM PRINCIPIUM &c. Juxtà nostram literam significatur divinitas Christi, atque ejus æterna generatio. Dicit enim Propheta; o Pater æterne, Dominus Jesus filius tuus est tecum unum principium. Sequentia verba habent tres sensus.

Primus. Tecum est unum principium ab æterno in die æternitatis, quando ex tuâ infinitâ generativâ virtute, ac ex utero, idest ex substantiâ tuâ, ipsum genuisti antequam creares stellam, quæ dicitur Lucifer, & reliqua; in quo jam omnes Sancti idealiter splendebant.

Secundus sensus; Quod sit unum principium tecum apparebit in die resurectionis generalis, quando accipiet plenam possessionem regni sui, quando Sancti splendebunt in animâ, & in corpore.

Tertius. Quod Christus sit unum principium tecum manifestabitur in die potentiæ tuæ, quando mediantibus Apostolis tuis, & Apostolicis viris apparebunt splendores Verbi, & miraculorum ad testificandum hanc veritatem. Juxtà hebr. habetur: *populus tuus spontaneus in die roboris tui est ros generationis tuæ in summo decore, & sanctitate ex utero auroræ*, & significatur conversio populorum ad Christum mediante prædicatione Apostolorum, & successorum. Et describitur promptitudo, ac voluntarietas tàm prædicatorum optantium gignere multos filios Christo per Evangelium, tùm ipsorum conversorum rori, quasi ex utero auroræ genito. Sicut enim una aurora replet multos campos albore, ita una lucida prædicatio Petri, vel Pauli multos Christo gignebat.

§. 5. JURAVIT DOMINUS, *& non mutavit sententiam* &c. describitur, quod Christus est verus sacerdos, ac mediator Dei, & hominum, juxtà ritum Melchisedech, ut habetur juxtà hebr. Clara prophetia de sacrificio altaris; si enim Christus est Sacerdos in æternum, idest usque ad finem mundi, ergo semper offert sacrificium mediantibus ministris suis.

§. 6. DOMINUS A DEXTRIS TUIS. Duplex sensus: primus; Alloquitur Propheta Messiam, & dicit Dominus Pater, qui semper præsto tibi est (scilicet ut te in omnibus juvet, quatenus est homo) in die iræ tuæ, idest judicii, & quandoque etiam in hoc mundo confringet reges tibi adversantes. Secundus, ut Propheta alloquatur Patrem de Messiâ in tertiâ personâ, quasi dicat; ille Dominus meus, qui est à dextris tuis, ut dixi in primo versu *confregit &c.*

JU-

§. 7. JUDICABIT, scilicet Messias judicium exercebit in nationibus, tùm destruendo Hierusalem, tùm humiliando omnes sibi adversantes. *Implebit ruinas*, destruendo enim Hierusalem complevit ruinam Judæorum inchoatam in prioribus vastitatibus ipsorum. Juxtà Hebr. ubi nos habemus: *implebit ruinas*, habetur, *omnia plena erant cadaveribus*; & quadrat destructioni Hierusalem; & quoad principes gentium adversantes Evangelio, qui etiam conquassati sunt sequitur *conquassabit capita in terrâ*, *ubi est multitudo populi*: destruet principes, qui sunt capita in terris, seu regionibus amplis, ubi est multitudo populi.

§. 8. DE TORRENTE &c. per potationem de torrente significatur secundùm Sanctos, vel assumptio mortalis naturæ à Christo, quæ ob mutabilitatem comparatur torrenti, vel ejus summa paupertas, & inopia; Pauperes enim cum non habeant propriam domum, si sitiunt ad flumen vadunt; Vel in turbulento torrente designatur multitudo amaritudinum, & tribulationum, quibus vita Domini permixta est. Et debes legere per futurum, *de torrente in viâ bibet*, *propterea exaltabit caput*, attollet. Unde Apostolus: *propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

Annot. in Psalm. 110.

CONFITEBOR TIBI DOMINE. Laudatur Deus ob mirabilia; quæ fecit in patribus veteris Testamenti. Potest etiam intelligi de mirabilibus in mysterio Redemptionis per Christum; & dicit, se laudaturum Dominum in concilio, ac congregatione non hæreticorum, ac obstinatorum, sed Sanctorum.

§. 2. MAGNA OPERA &c. Juxtà nostram literam describitur, quòd opera; quæ fecit Dominus sunt ità aptata, & concinnata, ut congruit, ad explendum omnes ejus voluntates; nàm omnia quæcunque voluit Deus fecit. Vatabl. vertit, quæ inquiruntur ab omnibus, qui delectantur ipsis.

§. 3. CONFESSIO, ET MAGNIFICENTIA OPERA EJUS. Idest opus ejus est adeò dignum laude, & magnificentiâ, ut sit ipsa laus, & magnificentia. Vatablus gloria, & decus opus ejus.

§. 4. MEMORIAM FECIT &c. Seù juxtà hebr. memoriæ consecravit, mirabilia sua, talia fecit, quæ sunt digna æternâ memoriâ. *Escam*, idest manna in deserto, vel potiùs Eucharistiam.

§. 5. VIRTUTEM OPERUM SUORUM. Dominus manifestat suo populo fideli potentiam, ac vim, seù efficaciam suorum operum, ac mysteriorum, idest Sacramentorum, Incarnationis, Passionis &c.

§. 6. UT DET ILLIS HÆREDITATEM GENTIUM &c. Judæis dederat hæreditatem terrenam, quæ fuerat gentium; nobis autem dat cœlestem, quæ in Christo fuit gentibus promissa. Opera manuum ejus veritas, & judicium, idest in omnibus operibus est verax, & justus.

§. 7. FIDELIA OMNIA MANDATA EJUS. Plena fide, seù veracitate, quia observantibus ea infallibiliter dabitur promissa merces. Hebr. habet *firma*, ubi habemus *fidelia*.

§. 8. REDEMPTIONEM MISIT. Tùm à captivitate Ægyptiacâ, tùm peccatorum, & mortis æternæ.

§. 9. SANCTUM ET TERRIBILE. Idest tale, ut ab omnibus bonis ametur, & à malis timeatur.

§. 10. INTELLECTUS BONUS. Idest sanam mentem habent, rectèque sapiunt om-

omnes facientes, ac viventes secundùm timorem Domini, & laudatio cujusque illorum manet in seculum seculi.

Annot. in Psalm. 111.

BEATUS VIR QUI TIMET DOMINUM. Agitur de beatitudine timentium Dominum.

IN MANDATIS EJUS VOLET. Vatabl. Delectatur nimis.

§. 3. GLORIA ET DIVITIÆ &c. Esto sit gloriosus, & dives tamen non deserit justitiam, idest bonitatem, seù justitiam, imò perpetuò in eâ perseverat, quod rarum in divitibus, juxtà illud: *Beatus vir, qui post aurum non abiit &c. quis est hic, & laudabimus eum?* vel intelligit de justitiæ præmio.

§. 4. EXORTUM EST IN TENEBRIS. Idest lux cœlestis consolationis exoritur justis á misericorde Domino, dum dicuntur esse in tenebris, idest summis calamitatibus, & afflictionibus.

§. 5. JUCUNDUS HOMO &c. idest vir bonus confert beneficia, ac mutuat, & disponet, idest moderabitur, seù metietur verba summo libramine, seu judicio prudentiæ.

§. 6. AB AUDITIONE MALA NON TIMEBIT. Quantumcunque mala nuncia de ingruentibus malis superveniant, non turbatur justus, quia paratum, idest *promptum est cor ejus &c.* Vatabl. vertit, ad famam tristem non expavescet, quia cor ejus firmum est, ac fretum Domino. Alii per auditionem malam intelligunt illud; *Ite maledicti in ignem &c.*

§. 7. NON COMMOVEBITUR a sectandâ virtute, donec moriens contemnat omnes inimicos suos visibiles, & invisibiles.

§. 9. DESIDERIUM PECCATORUM PERIBIT. Idest impii non assequentur desiderata.

Annot. in Psalm. 112.

LAUDATE PUERI DOMINUM. Juxtá hebr. habetur *servi, vel cultores.* Tractatur de laude Dei ob excellentiam sui dominii extendentis se usque ad providentiam minimorum, quæ videntur fortuita; Nám in pulvere jacentem, vel temporaliter, vel spiritualiter elevat, ut sit dives, vel rebus, vel meritis, similisque sanctis viris; & sicut facit fœcundam eam, quæ erat sterilis, itá gentilitatem omninò sterilem spiritu fecit fœcundam sanctissimis filiis.

Annot. in Psalm. 113.

IN EXITU ISRAEL DE ÆGYPTO. De mirabilibus Dei in egressu filiorum Israel ex Ægypto.

§. 2. FACTA EST JUDÆA. (sive Juda juxtá hebr.) idest populus Judaicus factus est sanctificatio ejus, idest Dei: populus Judæorum consecratus est in populum Sanctum Dei, & idem Israel factus est potestas Dei, idest factus est populus peculiariter subjectus potestati, & dominio Dei: seù Deus factus est peculiaris Dominus illius populi præ cæteris nationibus. Alii primam partem hujus exponunt de ipsâ terrâ promissionis, quæ dicitur Judæa, quæ facta est sanctificatio Dei, idest sanctificata á Deo, quia in eâ fulsit cultus Dei, doctrina legis, ac Prophetarum.

MON-

MONTES EXULTAVERUNT &c. Quidam dicuot, montem Synai, & vicinos montes tremuisse ad præsentiam Dei, qoando dabatur lex, fortè figurativè intelligendum, scilicet ad designandum magnitudinem gaudii liberationis Judæorum, quo loquendi modo consuevimus dicere, *Balbão as trepecas, quando entra fodo em minba casâ ;* Et forsan sic accipiendum, quando Prophetæ dicunt, quod in advento Messiæ montes, & colles jubilabunt, & flumina, ac ligna silvarnm plaudent maoibns &c. §. 4.

NON NOBIS DOMINE NON NOBIS &c. Libera nos à gentibus, quæ nobis adversantur, non, ut inde evadamus clariores, sed ut nomen tuum illustrius reddatur, propter (inquam) misericordiam tuam, & veritatem tuam, ideft ut respondeat tua misericordia, & appareas verax in promissis &c. §. 9.

ADIICIAT DOMINUS SUPER VOS &c. Hebr. cumulet Dominus vobis beneficia beneficiis, nec solùm vobis, verùm & liberis vestris. §.23.

NON MORTUI &c. Mortui, quatenus mortui noo possunt laudare Dominum, neque desceodentes io sepulchrum. Esto eoim anima beati Petri vivat & laudet Domioum, tamen persooa Petri noo vivit, neque laudat, cum significet suppositum naturæ humanæ constans ex aoimâ, & corpore. §.26.

Annot. in Psalm. 114.

DILEXI QUONIAM &c. Gratias agit Domino David io hoc psalmo, quòd liberaverit ipsum de manu Saülis, & ut dicit Cajetanus speçialiter loquitur de liberatione suâ, quando cinctus fuit à Saüle in modum coronæ; fuit enim periculum maximum. Juxta hebr. habetur; *Diligo Dominum*, oàm exaudivit vocem orationis meæ, & inclinavit aurem suam mihi, & ideò omnibus diebus vitæ meæ invocabo illum. Tùm narrat beneficium dicens

CINXERANT ME DOLORES MORTIS, ideft eram omninò propinqus morti, & comprebenderunt me pericula ad sepulchrum ducéntia. §. 3.

O DOMINE LIBERA ANIMAM MEAM. Hæc fuit oratio David periculis, & angustiis circumdati. Deindè ponit exauditionem, & subventionem Domioi dicens ; *Misericors Dominus &c.* Ideò ò anima mea convertere toto affectu ad illum, apud quem summam invenies reqoiem, & tranquillitatem &c. §. 5.

Ideò cnrabo placere Domioo, quamdiù vixero, seu quamdiù fuero io hac regione vivorum: juxtà illud: in saoctitate, & justitiâ coram ipso omnibus diebus nostris. §. 9.

Annot. in Psalm. 115.

CREDIDI PROPTER QUOD &c. Hic psalmus, & precedens sunt unus psalmus juxtá hebræos. Testatur hic David, se multas passum fuisse afflictiones ob veritatem à se prædicatam, quia (inquit) credidi firmiter tàm dictis, quàm promissis à Deo; Ideò liberè ea confitebar, & narrabam, tamen ob hoc ab impiis, & obstioatis nimis humiliatus, attritus, ac contemptus fui.

EGO DIXI IN EXCESSU, vel extasi. Quidam exponunt, ut Campeosis de extasi, seu stupore procedente ex magnitudine timoris: cooftitutus enim David in summâ trepidatione, ac propemodùm desperatiooe, mente tamen semper Deo hærens, ac fidens prorupit in hæc verba, *omnis homo fallere potest*, tamen §. 2.

Deus

Deus nequaquam. Ideò, esto, dicant mihi homines, me non potiturum promisso regno; ego tamen certò scio Deum veracem in promissis. Hieronymus vertit *ego dixi in stupore meo;* Et Augustinus de stupore exponit; Alii exponunt de excessu contemplationis, in quo judicabit omnem hominem sibi relictum esse mendacem, vel potiùs, ut Hieronymus exponit per mendacium significatur vanitas, vel umbra; unde dicit, quod David non voluit aliud hîc dicere, quàm quod dixit in alio psalmo; *In imagine pertransit homo*.

§. 4. CALICEM SALUTARIS &c. Ideſt offeram sacrificium libaminum agendo gratias pro acceptâ salute. Augustinus dicit, quod accipere calicem salutaris, est tribulationes, & adversitates patienter pati pro Domino, hoc enim summè ei placet: calix enim frequenter in scripturis significat illam portionem afflictionum cuique taxatam ex divinâ distributione; & quoniam à Domino est patientia nostra, ideò addit, *& nomen Domini invocabo*.

§. 5. VOTA MEA DOMINO REDDAM ideſt sacrificia, quæ promisi, quando ab hostibus meis ad mortem quærebar.

PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI. Ideſt Dominus gravatim fert mortem proborum, neque interficiuntur impunè.

§. 7. DIRUPISTI VINCULA angustiarum, ac periculorum, quibus ligatus eram.

Annot. in Psalm. 116.

LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES. Prophetat, quod Evangelium etiam inter gentes prædicandum est.

Annot. in Psalm. 117.

CONFITEMINI DOMINO. Psalmus hic principaliter agit de resurrectione Messiæ post passionem, & in principio invitantur omnes ad gratiarum actionem pro beneficio Redemptionis.

§. 5. DE TRIBULATIONE INVOCAVI DOMINUM &c. Dicuntur ex personâ Christi resurgentis (quamvis etiam applicentur ad quemlibet justum à Domino ab hostibus liberatum) usque ibi *castigans castigavit me Dominus* pro peccatis generis humani, & tamen non tradidit me morti, ut dominaretur mihi, nam etsi ad horam mortuus sum, surrexi tamen, & vici mortem.

§. 15. VOX EXULTATIONIS, ET SALUTIS in omnibus habitaculis verorum Christianorum ob mysterium redemptionis, & resurrectionis Christi.

§. 19. APERITE MIHI PORTAS JUSTITIÆ. Sequentia aptiùs exponuntur, tanquam dicta ex parte populi fidelis. Portæ, quas populus electorum ingredi peroptat, sunt Doctrina Evangelica, & Sacramenta, per quas mediante fide intramus ad gratiam Dei, & gloriam.

§. 21. LAPIDEM, ideſt Christum &c., ut Matth. 21., & Actuum 4. &c.

§. 23. HÆC DIES VERITATIS, & gratiæ revelatæ redemptionis exhibitæ, ác resurrectionis in Christi resurrectione nobis monstratæ, quam specialiter fecit Dominus, exultemus.

§. 24. O DOMINE. (Dicit cœtus fidelium) fac, ut hæc salus toti mundo exhibita in me perficiatur, ac prosperè in eâ procedam, & crescam; & bonus Rex Christus, qui venit &c.

BE-

BENEDIXIMUS etiam vobis, quicunque eſtis de domo Domini, ideſt membra Eccleſiæ Catholicæ, & exultanter vobis annunciamus gratiſſimum nuncium: videlicet, quod *Deus, & Dominus illuxit nobis*, vel ut alii, *Deus Dominus illuminavit nos*. §.25.

CONSTITUITE DIEM &c. Ideò, o fideles *conſtituite diem ſolemnem* (ob myſteria Chriſti) *in condenſis*, ſcilicet congregationibus: unus Textus Auguſtini habet, *confrequentationibus* ubi nos habemus *condenſis*. Campenſis loco *condenſis*, ponit, *frondibus, ſeù ramis*, quaſi dicat: in die feſto ornate templum frondibus, ac ramis uſque ad cornu altaris. §.26.

Annot. in Pſalm. 118.

BEATI IMMACULATI IN VIA &c. De hoc pſalmo dicit Auguſtinus in proœmio ipſius, quod poſtquam explanaſſet reliquos totius pſalterii pſalmos, vix diù urgentibus fratribus potuit adduci ad hunc explanandum timens ejus maximam profunditatem; Aliorum enim (inquit) etſi ſenſus ſæpè ſit occultus, obſcuritas tamen literæ patet; hic autem etiam ipſa obſcuritas latet, quia cum in ſuperficiè nullam obſcuritatem præſeferre videatur, ſenſus tamen profundiſſimus eſt. Et Ambroſius, in ejuſdem proœmio comparat pſalmum hunc ſoli in meridiano lumine, & fervore, ſic efficax eſt ad excitandos contemplativæ vitæ fulgores, & ardores. Habet autem viginti duos octavarios, quorum mella oportebit diligentiùs expromere. Alius de hoc pſalmo ſic dicit; Pſalmus hic eſt alphabetum divini amoris, paradiſus omnium doctrinarum, & apotheca Spiritus Sancti, ſchola veritatis, profundum ſcripturarum myſterium, ubi refulget tota moralis diſciplina omnium virtutum; Ideò nullus eſt verſiculus, ubi non ponatur aliquod horum duodecim, via, lex, teſtimonium, mandatum, juſtificatio, judicium, juſtitia, ſermo, eloquium, verbum, veritas, bonum, quæ ſunt ſcala cœleſtis beatitudinis.

In hoc pſalmo deſcribitur proceſſus hominis in viâ perfectionis, unde ſtatim in primis duobus verſibus præfigitur ſollicitudo incipientium, & proficientium. Incipientium namque, cum dicitur, *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini*; horum enim principale ſtudium eſt vacare purgandis maculis peccatorum, & pravarum conſuetudinum, atque mortificandis paſſionibus. Proficientium verò, cum ſubjungitur; *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus*; nàm talium principale ſtudium debet eſſe vacare ſanctis meditationibus illuminativis tàm legis, quàm myſteriorum, & beneficiorum Dei. Deinde in tertio verſu; *Non enim qui operantur iniquitatem* uſque ad finem octavi octonarii ubi: *miſericordiâ Domini plena eſt terra*, principaliter deſcribit affectus ferventes incipientium, frequenter poſtulans gratiam ad ſervanda divina mandata, & corrigendum præteritos lapſus, unum dicit, *In quo corrigit adoleſcentior &c. revela oculos meos, aufer à me opprobrium*, & confuſionem cònſcientiæ &c. deinde per alios octo octonarios, videlicet ab eo loco, *Bonitatem feciſti*, uſque *omnem viam odio habui*, principaliter deſcribere videtur affectus ferventes proficientium. Demùm in ultimis ſex octonariis, quos legimus ad nonam horam, & præſertim ultimis duobus, ſcilicet *Principes*, uſque ad finem pſalmi principaliter depingit affectus virorum perfectorum, ut patet diligenter conſideranti. Quia tamen hi tres ſtatus non ſunt inter ſe valdè diviſi, ſeu diſparati, quin potiùs in multis communicant; nam incipientes ſæpe deguſtant affectus proficientium.

Item perfecti, ac proficientes non recedunt omnino à sollicitudine incipientium; Ideò nihil mirùm, quod in octonariis proficientium, ac perfectorum aliqua occurrant, quæ aptari possint incipientibus, & è contrà.

BEATI IMMACULATI &c. Omnes aspiramus ad beatitudinem etiam in hac vitâ, quantùm possibile est, obtinendam, quæ in nullo alio, quàm in contemplatione, ac perfectione unitivi amoris consistit. Igitur, si vis ad hanc felicitatem degustandam in hac vitâ pervenire, ante omnia, cura esse immaculatus, totus incumbe abstergendis maculis peccatorum, & mortificandis vitiis, ac passionibus tuis, quoniam, nisi lectulus mentis sit floridus, non veniet sponsus ad felicia oscula, & amplexus contemplationis: *Qui ambulant in viis ejus*. Non potest aliter homo esse immaculatus, nisi firmiter ambulet in omni lege Domini, quia sola *lex Domini immaculata convertens animas*: sola ea nullam iniquitatem permittit, neque dimittit impunitam, neque aliquod bonum ad salutem necessarium prætermittit, non sic leges humanæ; ideò sequitur post: *Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt*; quia impossibile est, quod aliquis agens aliquod malum, aut minùs æquum in hoc consonet legi Dei: quoniam illa nullam juri naturali vim infert, utpotè jugum suave; imò illustrat, & perficit rationem naturalem. Cum Dominus dicit, *ego sum via*, jam vides, quod nullus potest ablui à maculis suis, nisi in hac viâ ambulet; & si in hac viâ ambulans vix tutus es à latronibus, quid facies ambulans extra viam? Ambrosius.

BEATI QUI SCRUTANTUR &c. Testimonia sunt præcepta Dei, præsertim duo præcepta charitatis, quæ sunt omnium aliorum fundamenta; hæc quàm rationalia, quàm justa, quàm æqua, quàm sancta sint, multis argumentis naturalibus, & supernaturalibus, comprobatum, ac testatum est. Quid enim rationabilius, & æquius, quàm Deum diligere ex toto corde? Hæc igitur testimonia à nobis scrutanda sunt, ut sciamus, quæ sit voluntas Dei, & ideò meditari jubemur in eis die, ac nocte, portare in manibus, & ante oculos &c. Idcircò Ecclesiast. 3. *Altiora*, inquit, *te ne quæsieris*, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.

Ambrosius per *testimonia* intelligit mysteria Christi efficacissima ad accendendum amorem divinum; si cogitaveris, & scrutatus fueris, quis fecit vos, quis passus est, quid, propter quid, quomodo, idest quo zelo.

Meditando autem hæc testimonia nunquam pervenies ad lumen intelligentiæ, neque ad fervorem amoris, nisi promptissimâ voluntate, & summis desideriis ad hæc anhelaveris: quod dicit cùm subjungit *in toto corde exquirunt eum*; Dabis enim mihi plures doctissimos diligentissimè vacantes scrutandis Scripturis, ac divinis mysteriis, qui tamen non merentur dici beati: imò infelices, utpotè carnales; Hi enim in suis studiis non exquirunt Deum, sed se ipsos, ut suam gloriam, suum lucrum &c. Ideò non pertinent ad psalmum nostrum. Hoc ex Augustino.

TU MANDASTI &c. Parentes nostri in paradiso (ait Ambrosius) putaverant, non mandasse Dominum mandatum suum custodiri nimis, & ideó, esto, à mandato aliquo omninò declinassent, Deum non graviter accepturum, sed insubsequutâ pœnâ contrarium experti sunt. Ideò postea per legem, per Prophetas, per Evangelium, per Apostolos clarè monuit, se velle mandata sua nimis custodiri, contestans de omni verbo otioso reddendam esse rationem, & ne unum jota, aut unum apicem à mandato prætereundum.

UTINAM DIRIGANTUR VIÆ MEÆ &c. Viæ nostræ (ait Bernardus). Sunt

ſunt neceſſitates, & cupidi ates: per has incedimus, his inducimur ad peccandum; egeo hoc, concupiſco hoc. Clamat David, *de neceſſitatibus meis libera me:* doloſa enim natura multa quotidiè ſibi fingit neceſſaria, quæ non ſunt; quia *porro unum eſt neceſſarium*, ad quod unum multa natura corrupta ſuggerit, tamquam neceſſaria, quæ potius ſunt perniciosa, ut patet in infinitis ſuperfluitatibus in cibo, potu, veſtitu, habitaculo, quæ homines tamquam neceſſaria procurant. *Poſt concupiſcentias* tuas ne eas &c.

Utinam (ait) *viæ meæ dirigantur*, moderentur, taxentur ad normam tuarum juſtificationum: ſed hoc fieri non poterit, niſi ſuper petram, ideſt Chriſtum, vel firmitatem æternorum bonorum firmes affectus tuos, juxtà illud, *ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos*.

Juſtificationes dantur per duo præcepta charitatis, quorum executio juſtificationem auget, & perficit.

TUNC NON CONFUNDAR &c. Qui conſcientiam, & geſta ſua ad ſpeculum legis divinæ intuetur, neceſſariò confunditur, & pudore ſuffunditur, cum videt, ſe in multis ab eâ deviaſſe, cùm videt ſe multis maculis cor aſperſiſſe. Ideò ergo dicit, ſi dederis mihi gratiam ad cuſtodiendas juſtificationes tuas, tunc cùm proſpexero, & contemplatus fuero, quæ jubes, non pudeſiam; Inſuper neque in die generalis examinis pudeſiam.

CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE &c. Si cuſtodiero juſtificationes tuas, tunc laudare te potero in directione cordis, ideſt corde in te directo, alioquin ero ſimilis populo, qui *labiis te bonorat, cor autem longè eſt à te*.

Primum, quod dirigendum eſt, cor noſtrum eſt, quia Deus ſpiritus eſt, & ſpiritu vult coli; Ideò non potuit ei placere carnalis populus Judæorum in deſerto: quare? Quia *quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper hi errant corde*: Item *cor autem eorum non erat rectum cum eo*. Abrahæ verò dixit; *ambula coram me*, jugiter dirige cor tuum in me, ſim ego, quaſi ſignum ad ſagittas erga tuas cogitationes, & affectiones, *ſeja eu como ſito de teu caracão à mìtira continoamente não me perdàs nunca de viſta*. Hoc ipſum ab ſponſâ petebat, *pone me*, inquit, *ut ſignaculum ſuper cor tuum*: non ſic filii ſeculi, ſed habent cor ad terram recurvatum, quia ſtatuerunt oculos cordis ſui declinare in terram.

Mas porque não he detosdos trazer aſſi o coracão indirietando à Deos, ſenãodos que tem ja mortificadas ſuas paixões por longo exercicio nos mandamentos de Deos; Ideo ſubjungit, *in eo* (ex eo) *quod didici judicia juſtitiæ tuæ*, quia diù me exercui in tuis mandatis, quæ fuerunt librata, & ſtatuta ſummæ prudentiæ judicio, in quibus etiam reſplendent juſtitia, & æquitas ſumma.

JUSTIFICATIONES TUAS CUSTODIAM &c. Prnpono firmiter cuſtodire juſtificationes tuas: dummodo tu non deſeras mè uſquequaque, videtur nos Deus uſquequaque deſerere, quando non ſolùm permittit, quod graviter tentemur, ſed etiam permittit, quod ſuccumbamus, & ruamus; ſi tamen poſt impulſionem, & mutationem ſupponit manum ſuam, tunc non derelinquit uſquequaque, ut accidit Beato Antonio, & Beatæ Catharinæ Senenſi, & aliis, qui dicere poterant, *impulſus everſus ſum, ut caderem &c.* Unde (ut dicit Ambroſius) relinquit Dominus aliquando, quos vult tentationibus probari; Derelinquit autem uſquequaque; ideſt penitùs, ſeù multùm quos deſerit: ſicut Judam penitùs dereliquit, non Job, quia dedit poteſtatem adverſario in patrimonium ejus, & in corpus ejus, non tamen in animam, nam ſi dediſſet in animam penitùs reliquiſſet

 eum.

eum. Judam penitùs dereliquisse dicitur,quia sceleris sui cognitione permisit affli-ctari;alios autem Apostolos non penitùs dereliquit,sicut neque etiam penitus relinquit illos,qui etsi vincantur in crimine,tamen celeriter,& humiliores resurgunt; sicut non penitùs reliquit Petrum,qui etsi negavit,mox resipuit; Idem de David. Quid mirum quod nos aliquando relinquamur, si filius clamat in cruce,ut quid dereliquisti me?

Igitur habemus tres modos derelictionis divinæ; primum quando permittit, quod incidant in graves tentationes, tamen præstat auxilium ad vincendum, & vitandum mortale, esto homo vacillet, & venialiter delinquat. Secundum, quando etiam permittit casum in mortalem noxam, tamen celeriter dat auxilium ad surgendum. Tertium, quando relinquit in casu nolens dare illa auxilia exuberantia ad surgendum (sine quibus ille induratus non surget, esto possit surgere) nam regularia auxilia etiam gratuita nunquam alicui negat, quæ ei sufficerent ad resipiscentiam, si peccator vellet conari, & cooperari gratiæ Dei, & sic tandem, quod nullus (regulariter loquendo, ac de lege) derelinquitur usquequaque in hac vitâ: dicuntur tamen aliqui usquequaque derelinqui, quia non dantur illis illa fortia auxilia, sine quibus ipsi nunquam convertentur de facto, esto possint converti.

IN QUO CORRIGIT &c. Manifestum est, quàm incerta, quàm vana, quám inconstans, & quàm periculosa est vita adolescentis in ætate adolescentiæ; adeò ut Salomon proverb. 30. inter difficilia ad investigandum ea computaret, æquiparans eam viæ aquilæ volantis hàc, & illàc, & viæ navis in medio mari variis ventis jactatæ: sic enim adolescentes (nisi singulari gratiâ Dei serventur) potiùs impetuosis ventis affectuum, quám judiciis prudentialibus circumferuntur. Igitur quis medebitur huic infirmo? Quis fluxam naturam ad ordinem debitum reducet, nisi auscultatio, & diligens custodia sermonum, ac mandatorum tuorum? Sic enim faciens, non solùm lubricæ ætatis pericula evadet, sed & factus vir levabit se supra se. Bonum (inquit Hierem. Thren. 30.) est *viro si portaverit jugum ab adolescentiâ suâ, quia levabit se super se* perveniens ad splendores, & sapores intimæ contemplationis; eorum enim, quæ laboriosè in juventute congregavit, fructibus dulcibus perfruetur in senectute, tenebit eam viam, cui in juvenilibus annis assuefactus est, dicente Salomone: *adolescens juxtà viam suam etiam cùm senuerit non recedet ab eâ*: contra quam Spiritus Sancti sententiam quidam sathanicus homo composuit falsissimum versum; *angelicus Juvenis senilibus satanizat in annis*; Et quia adolescens dicitur quisque non solùm ætate, sed potiùs sensu, juxta illud Isaiæ; *Puer centum annorum maledictus erit*; Ideò vir, vel senex, qui se sentit aduc juvenilibus desideriis concitari, de se ipso conquerens clamet *in quo corrigit adolescentior viam suam?*

IN TOTO CORDE MEO &c. Fatetur David, se ardentissimo desiderio anhelare ad divinam familiaritatem, & integram adimpletionem mandatorum ejus; & hinc petit á Domino, ne repellat eum á mandatis suis; Quid est hoc, numquid repellit aliquem Deus à mandatis suis? Utique, ob demerita nostri temporis in divino obsequio, ad quod vocati sumus. Paterfamilias, si invenit operarium in ædificio, vel in vineâ, ad quam mercede conductus est, remissè agentem expellit illum, & alium loco ejus substituit; Sic Dominus, ut sæpe experimur, sæpenumerò Sacerdotem, vel Monachum, vel alium quemvis tepidum in statu suo dimittit, & sibi dimissus pejor efficitur; Ideò monet, *apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ*. Item *tene*, *quod habes*, *ne alius accipiat coronam tuam*, *& utinam esses calidus*, *aut frigidus*;

sed

sed quoniam tepidus es, incipiam te evomere; Et Judæis dicit Dominus: *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti illud.* Repellitur ergo á mandatis tepidus Christianus, qui gratiam Dei in vacuum recepit, qui non vigilat contra tentationes, non orat, quod fit, dùm negantur ei auxilia gratuita fortia, quæ solebant ei dari, quia abusus est eis. Deus semper dat auxilia sufficientia ad conversionem, sed tepidus non utitur eis; auxilia autem fortia, & exuberantia aliquando non dat.

IN CORDE MEO ABSCONDI &c. Quod remedium igitur ne contingat nobis illa lamentanda repulsio? Utamur consilio, quo David testatur, se usum, abscondamus in corde eloquia Dei. Quæ multùm æstimamus diligenter servamus, & ut est in proverbiis, sub ducentis clavibus includimus. Omnia Dei mandata, documenta, consilia reponamus non solùm in memoriâ, sed potiùs in corde, seù voluntate: imò in medio cordis, juxtá illud, *legem tuam in medio cordis mei: & lex Dei in corde ipsius;* Si sic collocaremus divina mandata, & hortamenta sanctorum, cùm se offerret tentatio, aut occasio peccati non faciliter laberemur. Ambrosius exponit de abscondendis secretis divinæ sapientiæ indignis: est enim, margaritas ante porcos projicere. Contra hoc etiam agunt spirituales personæ, quæ ex jactantiâ, vel incautâ loquacitate manifestant aliis sua sentimenta, scilicet lumina, consolationes, jubilationes, actus anagogicos, & exstaticos &c. Quæ in contemplatione acceperunt, hæc enim regulariter sunt tegenda silentio, nisi in casu ad gloriam Dei, & utilitatem proximi, ut fecit Bernardus in sermone super Cantic. Ideò regnum cœlorum assimilatur *thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit, homo abscondit.* Et de Beatâ Virgine dicit Lucas, quod *conservabat verba Domini conferens in corde suo.*

BENEDICTUS ES DOMINE &c. Qui vult á Domino novâ beneficia accipere pro receptis gratias agat, ut ipse David facit in psal. 70., quia igitur in præcedentibus duobus versiculis fassus est, se totis desideriis exquirere divinam gratiam, & familiaritatem, & super altâ mente, & intimo corde abscondita, atque conservata tenere divina mandata, quod sine speciali Dei favore esse non poterat: imò pro his gratias agens, dicit; *Benedictus es Domine:* & mox adjungit petitionem, *doce me* (inquit) *Justificationes tuas*, quasi dicens, ò Domine, cui dedisti desiderare, & amare mandata tua, da etiam prudenter exequi: *doce me*, quando, & ubi, & quomodo debeo implere voluntatem tuam, facile est scire in generali voluntatem Dei, & omnia divinæ legis mandata, & consilia; at scire, qualiter hic, & nunc sunt executioni mandanda, non est ómnium, sed dumtaxat illorum, qui á cœlesti magistro mediante unctione de omnibus docentur. Petit etiam secundùm Ambrosium, ut Dominus revelet ei arcana, & mysticas intelligentias legis.

IN LABIIS MEIS &c. Quia ex abundantiâ cordis os loquitur, & desideriis cœlestibus accensi non possunt non eructare abundantiam suavitatis Dei, ideó fatetur, se portare in ore Dei verba, ac mandata; Bernardus de iisdem loquens de se ipso coram fratribus tale testimonium perhibuit. *Hæc*, inquit, *mihi semper in corde, sicut Deus scit, frequenter in ore, sicut vos scitis, familiaria stylo meo, ut apparet.*

IN VIA TESTIMONIORUM &c. Idest hæc tua mandata cognoscere, memoriâ tenere, est mihi incomparabilis thesaurus, magisque me delectat, quám possessio innumerabilium divitiarum: mirabili voluptate afficiebar, cùm considerarem, quod *eloquia tua casta, argentum igne examinatum*, omninò purgata à ter-

á terrâ, ubi omnia, quæ jubentur, suadentur, vel consuluntur sunt purissima, & æquissima, & pœnitus immaculata. De hac delectatione, & dulcedine loquitur in psal.18. ibi: *lex Domini immaculata*, usque ibi, *dulciora super mel*, *&* *favum*.

IN MANDATIS TUIS EXERCEBOR &c. In his duobus ultimis versibus istius octavarii, duo se facturum firmiter statuit; Primùm dicit, se omnes vires adhibiturum, quatenùs in divinis præceptis exerceatur; in quo humiliter insinuat, se nondùm assecutum perfectionem, & divinorum mandatorum expeditam, & firmam impletionem; daturum tamèn operam, ut diligentis tyronis partes agat exercendo se in divinis mandatis; Et quia hoc nemo potest præstare, nisi assiduâ recordatione, ac meditatione divinorum mandatorum ferveat: ideò dicit, se nunquam traditurum oblivioni divina mandata; imò jugiter consideraturum, atque meditaturum, ac ante oculos gestaturum.

RETRIBUE SERVO TUO &c. Juxtà hebr. habetur: *tribue*, seù *confer*. Considerans David, quàm certum sit, neminem absque fervore spiritus posse implere divina mandata, donum fervoris a Domino petit hoc primo versu, quasi dicat: confer servo tuo vivificationem spiritualis fervoris, tolle accidiam, tolle tædium, & spirituale fastidium, quod summè impedit divinorum mandatorum impletionem; & ibi monebat Paulus *spiritu ferventes*, *Domino servientes*; Et ipsemet Psal.103. testatur, Deum nolle habere ministros, nisi ignitos, inflammatos, & quasi ignis urentes. Comparat igitur se David carboni penè extincto, qui vix in extremitate modicum ignis habet. Si tamen potenter sufflетur totus ignescit, *e se aviventa*; Sic igitur petit ipse; Dominus suis flatibus in terram augeat scintillam, quam jam de cœlo miserat in cor ejus, ut cum factus fuerit totus igneus, possit velociter currere viam mandatorum ejus.

REVELA OCULOS MEOS &c. Quia limpida consideratio divinorum mandatorum, atque mysteriorum efficacissima est ad excitandum in voluntate nostrâ dictum fervorem, juxtà illud, *in meditatione meâ exardescit ignis*: imò petit à Domino illuminationem internorum oculorum, remotionemque velaminum, & impedimentorum, ut possit purgatis oculis mentalibus contemplari divina mandata, & arcana. Sicut enim corporales oculi quibusdam nebulis, aut pravis humoribus impediuntur, ne possint clarè videre lucem corporalem, & pulchros colores, ità intellectuales oculi vitiis, pravis affectibus, & carnalibus, seu terrenis cogitationibus, ceù quibusdam atris nubibus obvelantur, ne possint mirabilem lucem Dei, vel divinorum secretorum intueri. Sicut enim terra objecta inter solem, & lunam eclipsat lunam, ne possit receptione solarium radiorum fulgere: ita internæ cogitationes, & affectiones positæ inter animam nostram, & solem justitiæ prohibent radiorum ejus susceptionem. Petebat etiam David (ut ait Ambrosius) revelationem oculorum ad intelligenda mysteria Christi contenta, & figurata in lege, juxtà illud *umbram habens lex futurorum*.

Et quid impedit (ait idem Ambrosius) oculos Judæorum, ne videant mirabilia legis de Christo, nisi velamen? Paulus etiam habebat squammas in oculis, quas deposuit. Act.9. Oculi etiam euntium in Emaus tenebantur &c. usque dum aperti sunt; *O Domine aperi oculos meos*.

INCOLA EGO SUM &c. Juxta hebr. habetur *peregrinus*; Augustinus legit, *Inquilinus*; Et parùm refert. Incola enim non dicitur nisi ille, qui extrà patriam alicubi moratur. David ergo reputans se civem Sanctorum, ac domesticum Dei, utpotè de numero illorum, de quibus Paulus: *jam non estis hospites &c.* ad Ephes.2.

Incola ego sum : quod & in alio psalmo jam dixerat : *advena (inquit) ego sum*, *& peregrinus apud te*, *sicut omnes patres mei* ; intelligens (ut ait Augustinus) non de quibuscumque carnalibus patribus, sed de spiritualibus illis antiquis, scilicet Abraham, Isaac, Jacob &c., qui se advenas, & peregrinos in hoc mundo profitebantur. Et dicit Ambrosius, quod non est cujusque hoc dicere, sed illius tantùm, qui jam terrenis renunciavit voluptatibus, cujus conversatio in cœlis est, qui cupit dissolvi, cujus incolatus prolongatus est. Dicitur igitur, o Domine, cum peregrinus sim in hac terrâ, & citò oporteat me hinc migrare, suppliciter peto, ut paucis his diebus peregrinationis meæ non abscondas à me mandata tua ; ostende mihi quibus in actibus, ubi, & quando possum exequi voluntatem tuam. Quamvis enim homo in generali sciat præcepta Dei, ignoramus tamen sæpissimè, quæ sint ex agendis à nobis gratiora Deo ; Unum Paulus precabatur : *ut impleamini* (inquit) *agnitione voluntatis Dei*. Ipse enim David alio loco precabatur : *doce me facere voluntatem tuam*, *quia Deus meus es tu* ; Augustinus etiam ostendens non esse omnibus nota mandata Dei, etiam his, qui ea memoriter retinent, pulchrè hoc differit in duobus primis charitatis mandatis ; Quomodo, inquit, cognoscere poteris, qualiter Deus sit diligendus á te, cùm non cognoscas, qualiter proximum diligere debes, sicut te. Nullus autem scit, qualiter proximum diligere debeat, qui adhuc ignorat qualiter seipsum diligere teneatur ; Ignorat autem hoc quicumque seipsum non verè cognoscit : & quia multi tales sunt inter eos, qui hæc præcepta ore gestant, hinc cognoscent, quantùm illis sit cum David precandum, *ne abscondas à me mandata tua*.

CONCUPIVIT ANIMA MEA &c. Prima expositio est, quod hac congeminatione significatur juxtà phrasim hebraicam magnitudo desiderii, juxtá illud : *desiderio desideravi hoc pascha manducare* ; Et pondera, quod David omni tempore babebat hæc desideria ardentissima: quia (ait Ambrosius) nullis vinculis mundanarum consolationum tenebatur. Alii juxtà hebr. vertunt ; *rumpitur anima mea desiderio mandatorum tuorum omni tempore* ; Juxtà versionem nostram significatur etiam ardentissimus affectus insatiabilis desiderii, quo desiderabat David præcepta charitatis ardentissimè explere, desiderabat divino amore totus ardere : at non putans, se hoc satis desiderare pro rei majestate, atque dignitate : putabat enim desideria sua tepida esse comparata rei desiderabilitati ; Ideò dicebat, *se desiderare desideria* loquens ex quadam felici impatientiâ sanctorum desideriorum, qui nullis satiari poterat semper ad ardentiora anhelans. Potest etiam intelligi, quasi loquens in personâ hominis imperfecti, & terrenis affectibus turgentis, qui etsi non sentiat desideria divinorum charismatum, ac consolationum, desiderat tamen desiderare ea, more ægroti corruptis humoribus abundantis, fastidientis salubria, & appetentis noxia, qui etsi non desideret salubres cibos, imò perniciosos, desiderat tamen desiderare salubres, & fastidire noxios, & ideò subdit se imperio medici, & duris medicinis; sic debet agere ille, qui ad gustum spiritualium rerum pervenire desiderat, si nondum eo tenetur : &, ut hìc dicit Augustinus, prævolat intellectus, & videt, quæ desiderabilia sunt, opera sancta, ac spiritualia charismata, & tamen sequitur tardus, & infirmus affectus desiderii.

INCREPASTI SUPERBOS &c. Ambrosius exponit de Angelis superbis: etiam increpavit, ideſt durè punivit superbos parentes nostros. Denique omnes peccatores sunt superbi, utpotè milites illius ducis, de quo Apostolus 2. ad Thesal. 2. *extollitur super omne*, *quod dicitur Deus*, Antechristi scilicet; Hìc differit Ambrosius, quantùm laboraverat ille Pharisæus Evangelicus in colligendis virtutibus, quan-

quantùm laboraverat, ne efficeretur similis in moribus publicanis, & peccatoribus: & nihil profuit, quia non repulit superbiam; Et pondera (ait Augustinus) quod parentes nostri, sicut & dæmones non ex aliquâ carnis infirmitate peccaverunt, sed ex merâ superbiâ; ideò meritò increpati.

Quia ergo increpas superbos, quid aliud possum dicere, nisi clamare; maledicti sunt omnes qui superbiendo audent declinare à mandatis tuis.

AUFER A ME OPPROBRIUM &c. Aufer à me illud opprobrium, seu contemptum, quòd non ob aliam causam mihi irrogatur nisi, quia servo mandata tua, & totam meam spem in te habeo collocatam.

ETENIM SEDERUNT PRINCIPES. Non solùm populares, sed etiam principes, & nobiles regni detrahunt, ac maledicunt mihi (sicut ad versùs Christum principes, & adversùs Apostolos, Actor. 4.) non ab aliud *nisi*, *quia servus tuus exercebatur in justificationibus &c* Non refugit David contemni ab hominibus, sed hoc tollerare non poterat, quia non ob aliud deridebatur, nisi quia erat servus Dei, quia hic contemptus redundare videbatur in injuriam Dei, sicut si nuncius Regis nostri missus ad Imperatorem apud eum probris afficetur, & diceret, se dolere non gratiâ suæ personæ, sed quia injuria ei illata pertinet ad suum Regem, quando non ob aliud despiceretur, nisi quia orator Regis est; ità quod illa conjunctio causalis *quia*, non exprimit causam, quare erat audiendus, sed quare contemnebatur, quamvis juxtà hebr. non legatur *quia*, sed, *quod*.

Ambrosius aliter exponit, ideſt de contemptu apud ipsum Deum: despicit enim Deus omnem superbum, & arrogantem, sicut & Matth. 11. *exprobavit civitatibus*.

NAM TESTIMONIA TUA &c. Vatabl. pulchrè vertit; Testimonia tua deliciæ meæ sunt, atque consiliarii mei in nullis aliis rebus delector: & cum incidit dubium de agendis, consilium peto à mandatis, & documentis tuis.

ADHESIT PAVIMENTO &c. Videtur insinuare luctum pœnitentialem, sicut alibi psal. 43. *Humiliata est in pulvere anima mea, adhæsit in terrà venter meus*, ideſt dormiebam super nudam terram, aut super tabulas studio macerandi carnem meam ob peccata; Ideò tu Domine conforta me *aviventando em mio sancto fervor*. Vide, quæ dixi super illud, *retribue servo tuo*.

Exponit etiam Ambrof. de adhæsione ad terrenas voluptates, & præsertim, qui adhæret meretrici, sordidæ terræ adhæret, & *fit cum eâ una caro, sicut qui adhæret Deo fit cum eo unus Spiritus*, ut dicit Apostolus 1. ad Corinth.6. Sic qui amore hæret rebus terrenis terra est, sicut carnales dicuntur *caro*: Gen. 6. imò dicuntur *equus*, *& mulus* in alio psal. & Hierem.5. dicuntur *equi inbiantes in equas*. Hoc sensu loquitur in personâ carnalium.

Item vocat istum mundum *pavimentum*, quia hic mundus (ut ait Augustinus) est quasi pavimentum, ideſt *casa terrea*, *ou logea* respectu cœli, *q he camara em alto edificada*. Item Augustinus, per *pavimentum* intelligit carnem rebellem, de quâ Apostolus: *vides aliam legem in membris meis &c.*; Et in hoc sensu etiam omnes Sancti plangunt ob onus corporis corruptibilis, quod aggravat animam, & deprimit ad terrena concupiscens adversùs spiritum. O Domine vivifica me secundùm spiritum (luce, & amore verborum tuorum) & mortifica me secundùm carnem, ut in dies minuatur ejus concupiscentia, & augeatur fervor spiritus, ut in luctâ semper ipse prævaleat. Per *verbum tuum* intelligit Augusti-

ſtinus promiſſum tuum: promiſit enim Deus ſubventionem deſiderantibus, & inſtantibus.

VIAS MEAS ANNUNCIAVI &c. O Domine ſemper ante oculos tuos curavi proponere omnia mea tàm delicta, quàm miſerias pœnales; omnes meas neceſſitates, omnes meas imperfectiones, ac defectus tàm culpæ, quàm pœnæ, & ſemper me exaudiſti condonando culpas, & ſublevando pœnas. Ideò, ut de cætero meliùs me habeam vitando culpas, & evadendo pœnas, oro, ut doceas me penetrare mente, & opere complere mandata, ac voluntatem tuam. Ideò Iſaias dicit: *dic iniquitates tuas, ut juſtificeris*. Viæ noſtræ (ait Ambroſius) ſunt viæ carnis, viæ prudentiæ ſecularis. Ideò David dixerat: *Dixi confitebor adverſum me &c.* & Proverb.18. *Juſtus eſt accuſator ſui in principio*; Optimè ergo ſubjungit (ait Auguſtinus) quia ego annuntio, & confiteor vias meas malas, doce me tuas bonas.

VIAS JUSTIFICATIONUM &c. Campenſis vertit *iter*. O Dominè, quia ſcio, quod ſolus ille eſt doctus, & beatus, quem tu erudieris, ideò adhuc inſiſto, quod omninò doceas me, & non ſolùm poſtulo, quòd doceas me juſtificationes tuas, ſed etiam ordinem earum (quem vocat viam) quo ſignificat, ſe nolle repentè fieri ſanctum, & perfectum, ſed paulatim, & gradatim proficere volebat, ut Bernardus de ſe dicebat. Deſiderabat igitur David aliquandò pervenire ad mirabilia ſecreta vitæ contemplativæ, ac divinæ familiaritatis, quæ nulli norunt, niſi magni, & familiares amici Dei, ut Bernardus, Dominicus, Franciſcus &c. Ideò petit, ut inſtruat ipſum, quâ viâ pervenire debeat ad illam perfectionem, quibus exercitiis debet ordinatè vacare, ut ad illum montem paulatim conſcendat. Et ſic regulariter quotieſcumque David in hoc, & in aliis petit à Domino, quod doceat ipſum mandata, aut legem ſuam, ut *legem pone mihi Domine &c.* nihil aliud petebat, quàm quod petebat Beatus Franciſcus, in cujus chronicâ legi hodie in feſto ejus (cum eſſem in Concilio Tridentino anno 1561.) quod inenarrabilibus orationibus, & gemitibus petebat à Domino, ut oſtenderet ei perfectionis ſemitam.

DORMITAVIT &c. O Domine vellem continuè aſcendere montem perfectionis, ut perfectè implerem mandata tua, ut infeſtor ſæpe ſpiritu accidiæ, ac ſpirituali tædio, ideò *confirma* (Vatabl: *Refice*) *me virtute verborum tuorum*: da, ut mediante vigilanti meditatione tuorum verborum, ac myſteriorum mox repellam tædia; & ſanctum fervorem, ac gaudium recuperem. *Dormitare* eſt torpere circa agenda ſecundùm Deum, & quia torpor naſcitur ex tepore, ideò dicit *torpuit anima mea præ tepore*.

Origenes, & Ambroſius legunt, *ſtillavit*, ubi habemus, *dormitavit*; Vatabl:, & Campenſis *defluit*, & ſignificatur juxtà Ambroſium ſtillatio, vel fluxus inordinatarum paſſionum, & verborum; quaſi dicat, ò Domine, quando tædio afficior, ſenſualitas mea nihil aliud facit, quàm diſtillare in ſpiritum meum carnales, ac fluxas concupiſcentias, (cùm etiam defluo in verbis &c.) anima mea eſt ſicut domus malè tecta, utpotè habens multa foramina in tecto, quibus deſcendunt ſtillicidia: ideò timeo, ut dicit Ambroſius, quod ſtillicidia hæc ejiciant te de domo meâ, ut dicitur Proverb.27. Quapropter peto, quod confirmes hanc veterem domum, & obſtruas foramina ejus ardenti conſideratione verborum tuorum.

Vatablus vertit, *præ ſollicitudine*, ubi nos habemus, *præ tædio*: quia etiam ſollicitudo negotiorum diſtrahit mentem, & eſt occaſio multorum venialium.

VIAM INIQUITATIS AMOVE A ME &c. Non dixit (ait Ambrosius) amove me à via iniquitatis, sed ipsam viam tolle à me, quasi ipsa via insit nobis, & verè sic est: Inest enim (ut idem dicit) illud hæreditarium glutinum iniquitatis, vel fomes: ideò clamat Apostolus ad Rom 7. *Infelix ego homo, quis amovebit à me viam iniquitatis? Gratia Dei &c.* Petit ergo, non ne habeat legem membrorum, sed ne regnet, ne prævaleat mihi, ideò dicit *viam*, idest da, quod non ambulem in hac viâ carnalis fomitis (quæ tàm trita est peccatoribus) sed potiùs ambulem viam spiritus. Hinc Apostolus: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, & ideò subjungit, *& de lege tuâ miserere mei*, idest fac mecum hanc misericordiam, ut hoc grande, & vetus vulnus habitualis, & congenitæ concupiscentiæ juxtà decreta legis tuæ curetur, ejus vinculis ligetur, ac cohibeatur; Nolo falsam misericordiam, qua aliquos dimittis in suis desideriis, imò duris legibus felicis medicinæ tuæ, scilicet ustione, sectione, idest variis tribulationibus constringe carnem meam, ut virus ejus in dies deficcetur, & mortificetur, nè interiùs serpat, & omnia vastet.

VIAM VERITATIS ELEGIT &c. Non potest (ait Ambrosius) hoc dicere Arianus, ut Sabellianus, necnon Lutheranus, neque etiam potest hoc dicere avarus, aut concubinarius, aut ambitiosus, qui eligunt sibi vias falsitatis, seu *insanias falsas* psal.39. Ille solus viam veritatis sibi elegit, qui firmiter statuit, se ambulaturum per viam Catholicæ fidei, quæ per dilectionem operatur. Via veritatis est via æternitatis, idest ad æternitatem ducens. Quod autem verè, & non fictè (ut faciunt falsi Christiani) elegerit viam veritatis, ac legem Dei, ostendit ex duobus; primò, quod habet jugem memoriam mandatorum Dei, & nihil aliud magis cogitat; ideò dicit: *Judicia tua non sum oblitus*: secundò, quòd non solùm in memoriâ, sed etiam in corde, & voluntate ea gerit præcordialiter, illa diligendo, & adimplere desiderando. Imò dicit

ADHÆSI TESTIMONIIS TUIS &c. Adhæsio enim per amorem fit, juxtà illud *mihi autem adhærere Deo bonum est*; Ideò subjungit, *noli me confundere*, non sinas, me pudefieri; confundar autem, & pudefiam, si repulsam à te passus fuero, non mihi præstando, quod postulo, scilicet veniam peccatorum, dulcedinem tuæ familiaritatis, vitam æternam; unde in alio psalmo dicebat; *Non confundas me ab expectatione meâ*.

VIAM MANDATORUM TUORUM CURRAM, *cum dilataveris cor meum.* Sic hebr. Dilatatur cor (ait Augustinus) amore, & delectatione justitiæ; coarctatur autem timore pœnæ. *Cor nostrum dilatatum est*, dicebat Paulus; & de Salomone dicitur 3. Reg.4. quod *latitudo cordis ejus, sicut arena maris*, certè latum debet esse cor (ait Ambrosius) qui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti debet sustinere mansionem, ne veniat verbum Dei, & pulset, & videns cordis angustias dedignetur habitare; Nàm sapientia dat vocem suam in latis plateis: Proverb.1

LEGEM PONE. Hebr. *doce me iter justitiarum tuarum, o Domine* (Ambrosius) Ostende mihi rationem viandi ad te, & post te. Exercitus sequens suum Imperatorem usque dum veniat ad urbem quietis, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram, & alioquin non inveniet parata hospitia, & annonam. Sic nos committamus iter nostrum ductui Domini Jesu, alioquin esto recesserimus ab Ægypto, non perveniemus ad terram promissionis, quia solus ipse columnâ ignis (sapientiâ affectivâ) illuminat, & inflammat, & nube refrigerat viatores ab æstu concupiscentiæ, ut Exod. 13. Quam legem petit sibi poni, nisi charitatis? Nam.

ple-

plenitudo legis est charitas. Ubi? *in medio cordis mei*, vel ut hebr. *In medio viscerum meorum*, sic fixa, quod nullo seculo convellatur; quoniam hæc est via justificationum tuarum: quia (ut dicit Paulus) adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, id est charitatem, & tunc ostendit, quod nullus potest justificari sine charitate, esto habeat omnia alia dona.

O felix lex charitatis, quoniam non est illa, quæ memoriâ tenetur, & vitâ negligitur, sed quæ illuminat intellectum ad intelligendum, inflammat voluntatem ad amandum, urget ad operandum, non in timoris angustiis (ut dicit Augustinus) sed in amoris latitudine: nam qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profectò invitus facit: quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi; ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potiùs inimicus, nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione, & voluntate. Hoc Augustinus.

David literam legis jam sciebat, sed desiderabat vivacem illam flammam scriptam à Deo in cordibus nostris. Hæc est lex, de quâ Hierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam &c.* Augustinus non loquitur de illâ, quæ scripta fuit in tabulis lapideis, quoniam hæc quasi lapis onerat, & premit suo pondere.

Quia ergo David non satiabatur profectu charitatis, quam etsi haberet, desiderabat tamen in eâ magis, ac magis proficere, ideò clamat: *legem pone mihi*: Et quia, ut dixerat, charitas dilatans cor urget ad currendum viam mandatorum Dei non aliquo certo tempore, sed usque dùm comprehendat, & perveniat ad palmam, ideò addit; *& exquiram eam semper*.

DA MIHI INTELLECTUM illuminatum, ut possim scrutari dictam legem, quod est *diliges Dominum ex toto corde, ex totâ mente, fortitudine &c.* scrutabatur etiam, quomodo in præceptis Decalogi prohibebantur non solùm actus exteriores, sed etiam interiores, ut Dominus explicavit dicens; *ego autem dico vobis &c.*

DEDUC ME IN SEMITAM &c. Non est contentus, quod Dominus ponat in corde ejus charitatem ferventem, sed etiam petit, quod Dominus ipse sit ductor ejus, & ad manum illum ducat per periculosas vias hujus seculi in omnibus particularibus agendis, ostendens ei, ubi debet figere pedem juxtà illud; *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: & *justum deduxit Dominus per vias rectas*: occurrunt enim tot agenda, & cavenda quotidiè, ut nisi ipse specialibus auxiliis, & illustrationibus continuè nos visitet, non poterimus non errare: Ideò dixit B. Thomas, *quod nullum opus meritorium potest fieri sine auxilio speciali Dei*. O Domine ego sum cæcus, nudus, tenebrosus, & foveis plenus, laqueis, insidiis: tu solus potes illuminare lucernam meam; *Deus meus illumina tenebras meas, quoniam ipsam volui*, id est jam dono tuo elegi amantissimè hanc semitam, cupioque vehementer ambulare in eâ, quod non possum, nisi te ducente. Ideò *deduc me in semitam* (ut dicit Augustinus) quia est angusta via, quæ ducit ad vitam, & ideò non nisi dilatato corde curritur, ac Deo manuducente, quia non est volentis velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei, ut dicit Augustinus exponens verba Apostoli.

INCLINA COR MEUM. Maximum impedimentum fervoris charitatis est amor pecuniæ, aut divitiarum: sunt enim hæc, ut stercora cùm Apostolo reputanda, si volumus thesaurum hujus fervoris lucrifacere; Implet quippe amor pecuniæ mentem variis sollicitudinibus, timoribus, & perplexitatibus; Imò val-

dè inhabilitat eam ad quietem contemplationis, & amoris unitivi: *radix enim omnium malorum est cupiditas* (idest amor pecuniæ), & ideò, *qui volunt divites fieri incidunt in laqueum Diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva &c.* prima ad Timot. 6.

Putabat Satan (ait Augustinus) quòd Job, cum esset dives, habebat cor inclinatum in divitias suas; & quòd propter hoc cavebat peccata, & timebat Deum; scilicet ne Deus auferret divitias; ideò dicebat, *numquid Job gratis colit Deum?* Idest non facit hoc, quia habebat cor te diligens, ac propensum in tuum obsequium; imò in suas divitias, quas ne tollas, colit te. Ideò Dominus voluit eum probatum ostendere ipsi Satanæ, & toti orbi, quod non habebat cor inclitum in pecuniam, sed in mandata Dei. Augustinus psal. 128. Jubet avaritia, quod transeas mare, committas te procellis, & ventis; jubeo ego, quòd ex eo, quod habes des pauperi &c. piger es ad faciendum, quod jubeo, & strenuus ad transeundum mare &c.

AVERTE OCULOS NE VIDEANT VANITATEM; Idest ne capiantur amore, aut concupiscentiâ rerum vanarum. Non sunt dati tibi oculi ad videnda spectacula vana, ad videnda venenosa, videlicet virus peccati per oculos bibas, quod interiora tua corrumpat. Respice, quæ in te excitent amorem creatoris, cœlum, solem, & nocte stellarum monilia (ut dicit Ambrosius) & reliquam creaturarum pulchritudinem, quæ in te non turpes concupiscentias, sed sanctos amores concitare possint: vide, quia intrat mors per fenestras nostras, ut dicitur Hierem. 9. ideò claude fenestram oculi tui pulchritudini mulieris, ne videas vana, ne fias vanus, & perdas substantiam, & medullas spiritus tui: noli curvare cervicem ejus mundi premendam pondere, & non solùm externos, sed etiam internos oculos cohibe ab inspectione vanorum phantasmatum. Nonne (ait Ambrosius) si in navigio fluctuante sis constitutus, avertis oculos à sentinâ, ne vomitum provocet tibi, & ambulans in civitate avertis oculos à fœtidis? Sic ergo cum fluctues in mari hujus seculi in navigio corporis tui, averte utrosque oculos à sentinâ libidinum, à stercoribus seculi hujus, ne fœtore concepto evomas omnia dona Spiritus Sancti. At quia nullus potest horrere fœtores voluptatum, & vanitatum hujus mundi, nisi aliquo (vel levi sapore) vel odore percipiat veras, & spirituales delicias: Ideò subjungit, *In viâ tuâ vivifica me*. Æger, & fastidio laborans aliquando percepto aliquo bono odore confortatur, *e se lhe aviventão os sentidos*; & incipit comedere, & vires recuperare, sicut Augustinus in principio suæ conversionis divina charismata quasi olfacta desiderabat, quæ comedere nondùm poterat, idest jam illa nonnullo odore percipiebat, *Ja lhe cheiravão bem, mas a inda as não podiabem gostar*.

Dicit ergo David, ò Domine in viâ spiritus, seù spiritualis perfectionis *aviventaime, confortaime, bù chei rinbo delle ao menos*. Et quia via Christus est: Joan. 14. Ideò in eo petimus hac vivificationem. Augustinus exponit hunc versum de vanitate inanis gloriæ, quasi dicat: averte oculos mentis meæ, ne in bonis operibus intendant gloriam apud homines, quasi David hìc petat, quod Dominus præcepit Matth. 6. *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*.

STATUE SERVO TUO &c. Appeto quidem sapienttiam eloquiorum, ac arcanorum tuorum, at non nisi illam, quæ timori tuo innititur: nolo sapientiam eloquiorum tuorum non fundatam in timore tuo, nolo theologiam aridam, aut seculari amori conjunctam; *initium sapientiæ timor Domini*; Et quid est (ait Am-

Ambrosius) *initium sapientiæ*, nisi renunciare seculo? Nam sapere secularia stultitia est, quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Igitur, ait idem, sicut statua, cum in basi suâ fuerit collocata, majorem habet gratiam, standique accipit firmitatem; itá scientia verbi Dei in pectore timente Deum optimè radicatur *e fa*ꝫ *bcm assento, factusque est in pace locus ejus*: hic est basis aurea, in quâ fundatur columna marmorea, ut dicitur Cantic. 5. (columnæ hæ sunt Apostoli, & apostolici viri secundùm Ambrosium) Quanti autem valoris sit timor Domini, non intelliges, nisi adeptâ sapientiâ Dei: ut habetur Proverb. 2. *cum sapientiam vocaveris: & quasi pecuniam quæsieris eam &c.* tunc intelliges timorem Domini.

Augustinus exponit, fac Domine, quod sim firmus, & immobilis in mandatis tuis, & hoc mediante dono timoris non servilis, sed casti, & filialis.

(Vatabl. vertit) Præsta servo tuo quod eloquium tuum pollicetur habentibus timorem tui.

AMPUTA OPPROBRIUM, QUOD SUSPICATUS SUM, vel *formido &c.* Quidam dicunt, quod David formidabat opprobrium ob peccatum cum uxore Uriæ, & ideò petit á Domino, quod auferat ab eo hoc opprobrium, quia (inquit) in judiciis tuis soles esse clemens. Ambrosius exponit de formidine, quam habent sancti, ne fortè habeant peccata occulta, aut ne fortè condignam habeant contritionem peccatorum sibi cognitorum, & itá semper timent confusionem coram oculis Dei; ideò Apostolus dicebat, *nihil mihi conscius sum, tamen non in hoc justificatus sum*. Et juxtá hunc sensum optimè subjungit, *quia judicia tua jucunda*, aut *dulcia*, idest non severa, aut rigorosa sunt, condonans etiam occulta pœnitentibus, neque exigis summam pœnitentiam, & esto ego non perfectè impleverim mandata tua, tamen vehementer ea concupisco, ac diligo (non concupisco voluptates carnis, non vanitates seculi) ideò non rigorosâ justitiâ, sed æquitate age mecum: *vivifica*, recrea, refice, ut dicit Vatablus. Augustinus exponit de judiciis, aut suspicionibus temerariis erga proximos, idest ò Domine fac, nè sinistrè de factis proximi suspicer, quod mala intentione fiunt, quæ bona sunt: opprobrium enim meum est ex me ipso alios judicare, quia sum vanus, reputo alios tales.

ET VENIAT SUPER ME MISERICORDIA TUA &c. Certè maxima misericordia Domini est, quod non solùm condonet peccatori peccata, quæ ipse cognoscit, & plangit, sed etiam occulta, quæ non novit, sed dumtaxat suspicatur, & formidat; Ideò postquàm dixerat *amputa opprobrium &c.* subjungit, *& veniat &c.* Ambrosius dicit, prophetam petere adventum Christi, itá quod hic versus est idem, qui habetur psalm. 84. ubi *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*; qui indubitanter intelligitur de Christo salutari, sive Salvatore nostro, qui etiam dicitur, misericordia Patris juxtà illud, *suscepimus Deus misericordiam tuam &c.* Idem Augustinus *juxtà eloquium tuum*, juxtá promissum tuum; Hebr. habet, *salus tua juxtà promissa tua*: & significatur, ut ipse dicit, quòd tota nostra salus innititur gratiæ divinæ promissionis, sive gratiæ á Deo promissæ suis fidelibus: promisit enim hoc etiam antequam nasceremur, & hæc est tota nostra consolatio, & fiducia, unde Ecclesia fatetur, *gratiâ Dei sum, id quod sum*. O Domine (innuit Ambrosius) veniat misericordia tua, qui est Christus in animam meam; *Ecce ille venit saliens in montibus &c.*, quia non visitat valles carnales, nisi tantùm excelsa corda re-

bus

bus excelsis, & æternis intendentia. Dicit etiam Augustinus, quod quiâ Propheta dixerat, se concupiscere mandata Dei petit misericordiam ad implendum concupita.

ET RESPONDEBO &c. Hebr. habet, *ut habeam verba, quibus respondeam opprobrantibus mihi*; videlicet quod fido in verbis, sive promissionibus tuis. Manifestum est, infideles, & carnales semper multis opprobriis, maledictionibus, & contumeliis persequi pios, contra quos unica consolatio est recordatin eorum, quæ Deus promittit piis, propter ipsum tribulatis, & contemptis. Derides me, aut maledicis mihi, quia Christianus, aut quia rebus spiritualibus me mancipo; ego autem respondebo tibi, vel saltem intra me cogitabo illud, quod scriptum est psal.108. *Maledicent illi, & tu benedices*, & illud, *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & exprobaverint &c. sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos:* Et *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. His, & aliis infinitis sermonibus me muniam, ut habeam, quò me intùs roborem, & consoler, & quod extrà respondeam despectoribus meis. Habent autem hoc omnes, quos divina misericordia nnn deserit, & ideò postquàm dixit, *veniat super me misericordia tua*, subjunxit, *& respondebo &c.*

ET NE AUFERAS DE ORE MEO &c. Hebr. (sic Campensis) & nnn recedat omninò de ore meo verbum veritatis, quando in judicia tua spero, quia dixerat, se utique lacessitum ab obtrectatoribus, & derisoribus, petit à Domino, ne permittat eum retaliare reddendo maledictum pro maledicto; quia ego Domine tuo judicio remitto meos exprobratores. *De vultu tuo judicium meum prodeat*, tu vindica, egn nolo vindicare, neque manu, neque verbo duro, ac imprudenti: Fac ergo Domine, quod omnia verba, quæ respondero derisoribus meis sint vera, ideſt discreta, & examinata, non præcipitata, sed ex sapientiâ, & sanctâ prudentiâ procedentia; Et in primis petit (ut dicit Augustinus) quod non prævaleant adeò contrà eum hostes, & exprnbratores, quòd compellant ad negandam fidei veritatem, sicut à Martyribus nullis cruciatibus potuerunt Tyranni auferre verbum veritatis.

ET CUSTODIAM &c. Ideſt tuâ miseticordiâ veniente super me, custodiam perpetuò legem charitatis. Hæc enim in futuro seculo perfectiùs observabitur, ubi perfectè diligemus Deum ex toto corde, nihil agentes contra eum, neque præter eum, quod hîc non est possibile.

ET AMBULABAM IN LATITUDINE. Et quia custodiens legem charitatis ambulat in latitudine cordis, juxtà illud Apostoli, *cor nostrum dilatatum est*, ideò subjungit; *ambulabo in latitudine* (seù ut Vatabl:) *spatiabor in latitudine*; seù ut Campensis, *in securitate*, incedam viâ latâ, & regiâ neminem timendo, sicut ambulans in viâ latâ, ubi habet multa effugia. Via enim charitatis, quæ est via Evangelii, etsi sit arcta carni, quia reprimit ejus concupiscentias, & tribulationes adducit, tamen est latissima cordi; Ideò dictum est: *In tribulatione dilatasti mihi cor;* Et iterùm: *in tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine*. Carnales autem habent cor coangustatum; Quid coarctatius corde avari, quod neque ipsa terra capit? Et ideò addit agrum agro, *abaffa de apertado, e por isso busca mais terra primaver se pode alargar ò curacaò, & desabaffar*, & in dies constringitur magis, & (ut ait Ambrosius) malitiæ suæ laqueis strangulatur; coarctata, & angusta est malitia, innocentia autem latissima: ideò scriptum est, *Perambulabam in innocentiâ cordis mei*. Cor innocens, cor charitate fervens, adeò latum est, quod non solùm latè spatiatur in eo ipse cujus est; sed omnes

omnes proximi habent ibi larum locum manendi; Ideò dicebat Apostolus; *Non angustiamini in nobis, angustiamini in visceribus vestris*; Item *tribulationem patimur, sed non angustiamur*. Et meritò (ait Ambrosius) quia tale cor non concluditur inter corporalia bona, quæ arcta sunt, sed conversatur in cœlestibus, quæ immensa sunt, *nostra* (inquit Apostolus) *conversatio in cælis est*.

Igitur quia toto corde quæsivit mandata charitatis petendo, pulsando, ideò invenit ea, quibus inventis ambulavit in latitudine cordis. Hoc est, quod dicitur Luc. 11. *Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se*.) Tantam dat fiduciam, & libertatem latitudo charitatis, ut coràm Regibus etiam Tyrannis loquatur homo intrepidè de mysteriis fidei, ut fecerunt Martyres; Absit quod erubescamus coràm aliquibus exaltare vitam spiritualem, & vituperare vitam carnalem, & vanitates mundi.

ET MEDITABAR &c. His ultimis duobus versibus describit duo, ad quæ præcipuè urgebat eum fervor charitatis. Primò ad continuam meditationem divinorum mandatorum, secundò ad eorum executionem. Ideò dicit: *& levabo manus meas*, seu juxtà Hebr.: *admovebo*, non solùm corde meditor, sed opere compleo. Et quia tàm ad meditandum, quàm ad implendum divina mandata non timore servili, non ex tristitiâ, & necessitate ducebatur, sed amore, & gaudio; Ideò in utroque addit, *quæ dilexi*, ut dicunt Ambrosius, & Augustinus.

MEMOR ESTO. Memor esto promissionum tuarum ad servum tuum, in quibus mihi spem dedisti. Hæc spes me consolata est in afflictionibus, sive oppressionibus meis (sive miseriis, ut Vatabl:) *quia eloquium tuum*, idest promissum tuum *me avivenia e es forca em meus trabalhos*: unde Vatabl: habet *eloquium tuum recreat me*, 2. Reg. 7. habes quanta Dominus promisit David, sed tu versum hunc principaliter ad Messiam promissum refer.

Nos etiam requiescamus, & consolemur dulci spe divini verbi, quo (ut ait Ambrosius) Deus nos invitavit, & spopondit dicens *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos &c.* qui credit in me habet vitam æternam: *non vos relinquam orphanos, petite & accipietis*; cum ipso sum in tribulatione: *fidelis Deus, qui non permittet vos tentari suprà id, quod potestis &c.*

SUPERBI INIQUE AGEBANT &c. usquequaque. Ambrosius legit: *nimis*, Augustinus *usque valdè*. Vatablus: *suprà modum me irrident &c*, idest quamvis superbi me persequantur magnis afflictionibus, & derisionibus, ad hoc me inducentes, & impellentes, ut recedam à lege tuâ, tamen non declinavi ab eâ, fortiter perstiti, neque ob magnitudinem persecutionum lapsus sum, vel in odium erga eos, vel in impatientiam erga judicia tua; Sed recolens judicia tua contra peccatores, quoniam nunquam finis, eos impunes abire (quia, esto, aliquando non puniantur in hoc seculo, hæc tamen est maxima illorum punitio, quod reserventur æternæ punitioni) *consolatus sum*. Vatabl: vertit; *memor fui judiciorum tuorum à condito mundo*.

DEFECTIO (*desmajo*) TENUIT ME &c. Augustinus legit, *tædium*, Vatabl: *horror*. Considera hîc (ait Ambrosius) perfectionem David, magis horrebat, magis eum affligebat culpa suorum persecutorum, ac offensa Dei, quàm sua propria pœna. Urebatur, ut Paulus, videns offensas Dei; unde infrà dicit, quod *exitus aquarum deducebant oculi ejus, quia homines non custodiebant legem Dei*; Sicut & Paulus 2. ad Corinth. 2. *ex multâ angustiâ cordis, & per multas lacrymas scripsi vobis &c.* Sic David, ait Ambrosius, dolebat, non quia ipse

con-

contemnebatur, sed quia lex Dei relinquebatur: sicut bonus pater, quando maledicitur, vel percutitur à filio phrenesi laborante, non suam, sed ægroti, furiosi, ac ignorantis quid agat, deflet ærumnam, & tamquàm pius medicus omni studio sanare contendit: dolet etiam, quod factus sit ei materia peccati: esto, citrà culpam propriam.

CANTABILES MIHI ERANT &c. Describit, unde levabat animum, & solabatur in turbine suarum persecutionum, & dolorum pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei, ut dicit, quod nullo alio recreabatur, nisi meditatione, & cantu decretorum, & mysteriorum Dei: unde Vatabl: decreta tua carmina mea erant, etiam quando peregrinabar à Saüle profugus, vel Absalone; non habebat tunc codicem, & tamen cantabat magnalia Dei: etenim cantamus (ait Ambrosius) quæ corde fixa tenemus. O dulces cantilenæ, quæ non corpus effeminant, sed mentem, animumque confirmant, & quæ dulciora ad cantandum, quia pertinentia ad veniam peccatorum.

IN LOCO PEREGRINATIONIS MEÆ. Qui non se reputat advenam, & peregrinum in terrâ hac, qui non se exuit terrenis sollicitudinibus, non est habilis ad divina carmina: soli enim (ait Ambrosius) *cives sanctorum, & domestici Dei, quorum conversatio in cœlis est*, sunt peregrini in mundo; non enim solet cantare (etiam seculariter) nisi vacuus curis. Quomodo cantabit cor, quod sollicitat avaritia?

MEMOR FUI NOCTE. Ostendit, quando cantabat, scilicet omni tempore, non solùm die, sed etiam nocte: & hoc faciebam, ut custodirem legem tuam, quæ docet die, noctuque meditandum in lege tuâ; vel quia (ut Ambrosius dicit) caligo noctis carnalibus est occasio multorum peccatorum, quandò nemo eos videt; ideò dicit David: non sic ego faciebam, imò etiam nocte recordabar tui, & custodiebam legem, quia solum te timebam, solùm verebar tuum oculum semper lucentem, & in tenebris videntem. Non est data tibi nox in opertorium peccati, sed ad excitamentum devotionis, & gustum internarum deliciarum, quoniam quies, & secretum noctis ad interiora vocat. Ideò David per singulas noctes lavabat lectum suum, & mediâ nocte surgebat. Mirum est (ait Ambrosius) quod studentes doctrinis secularibus perparùm somno indulgent; & tu, qui studio cognoscendi Deum vacare debes, multùm dormis? Non dormiamus ergo (ait) totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni, & orationibus deputemus.

Intelligitur etiam secundùm Augustinum, & Ambrosium per noctem tribulatio, & adversitas, qua David Domini recordabatur gratias agens, & patientiam servans.

HÆC FACTA. Hebr. *hoc factum est mihi &c.* Dat causam suæ devotionis: unde est, quod tanta dulcedine, ac fervore devotionis abundes, quod & in peregrinatione, & in noctibus vacas sacris meditationibus, & canticis: unde tibi hæc copia spiritualium delectationum? Respondet, quod hoc sibi obvenit ex sollicitudine custodiendi legem Dei: hinc enim procedit, quod pauci perveniunt ad quietem, & dulcedinem contemplationis, quia pauci viriliter laborant in vitandis peccatis, & mortificandis passionibus. Vitiosi, & immortificati volumus experiri delicias internas, quas Bernardus, & Franciscus, non nisi magnâ vitæ puritate adepti sunt. *Lectulus* (ait Bernardus) *sponsi floridus esse debet*: idest anima variis virtutibus ornata: tu autem habens lectulum plenum urticis, & maculis, ac sordibus ad eum audes vocare sponsum cœlestem ad amplexus contemplationis.

POR.

PORTIO MEA DOMINE &c. (Pondera fervorem). Nihil cum seculo volebat habere commune, omnia terrena desiderabilia refutabat, solùm Dominum, & suæ legis custodiam volebat habere io sortem, & portionem: Qui Deum possidet (ait Ambrosius) totam natoram possidet: nàm Deus est sibi ager fructifer, habitatio &c. Undè benè dicebat Petrus claudo: ego non habeo aurum neque argentum, habeo tamen Christum, quem habeodo habeo omnia, & ideò possum tibi dare sanitatem ejus virtute. O prudens Petre optimè commutasti, reliquisti omnia, ut dicebas (O magna omnia, *quatro redes velbas?*) & datus est tibi omoium Dominus, ut jàm in manu tuâ sit naturas innovare: sic Paulus ad Philip. 3. ut astutus mercator dicebat, quod omoia sua dederat pro lucrando Christo. Veh qui (Sapient. 2. dicebant: *coronemus nos rosis &c.* quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra.

Quia tameo habere Deum in portiooem, néque consequi, neque conservare quis potest sine speciali Dei gratiâ continuis orationibos impetraodâ: ideò subjungit, *deprecatus sum faciem tuam &c. Miserere mei juxtà promissum tuum*: promittis eoim auxilium, & misericordiam instanter, ac fiducialiter petentibus. (Hìc tractat Ambrosius, quod Prælati noo exhibeant iodiscretas misericordias delinqueotibus; & hinc colligitur illa regula: facilitas veniæ præbet inceotivum delinquendi.)

COGITAVI VIAS MEAS &c. Dignus sum misericordiâ, quia non obliviscor erratorum meorum: ante oculos cordis fero delicta mea, *& recolo meas antiquas vias tortas*, quando ambulavi post concupiscentias meas, & hæc recogitans reduco me ad vias tuorom mandatorum.

Exponit etiam Ambrosius de agendis, quasi dicat quaodo aliquid mihi ageodom, vel diceodum est, semper priùs cogito, ao liceat, & expediat, & quomodo agendum, vel dicendum omnibus circumstautiis servatis. Denique, ut omnia regulem juxtá normam mandatorum tuorum, nihil præcipitaoter ago, ne me pœoiteat facti, vel dicti: si enim (ait Ambrosius) cùm venis ad compitum (idest ad concursum plurium viarom) & nescis, quà debes ingredi, priùs stas, & deliberas quam illarum eligere debeas, neque putas priùs adorieodum iter, quàm animo definieris, quæ illarom ducit ad civitatem, vel locom, quò tendis. Quantò magis debes animo deliberare, quæ viarum rectiùs ducit ad cœlum, qoando variâ occurrunt agenda, vel dicenda, præsertìm, cùm dicat Sapiens Proverb. 14. *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem illius ducunt ad mortem*. Priùs ergo diligenter coram Deo libra agenda, vel loqueoda, ne fortè capiaris affectu, & non ratiooe io eo, qood agis, vel dicis. (Hìc docet Ambrosius, quod, *quem naõ sabebem o caminho, naõ se meta por atalhos senaõ por à estrada real, q ella o levara, onde quer hir*.

PARATUS SUM ET NON SUM TURBATUS. Qui utràmque sollicitudinem cogitandi tam acta, quàm quæ agenda habet, ut dictum est, verè potest dicere versum istum: oam dictis cogitationibus munitus oon timet laqueos, & retia Diaboli. Dicet enim cum Apostolo: *quis nos separabit?* & gerit in pectore adversus procellas tentationum verbum Christi: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*; Et quamvis in navigium meotis irruant fluctus, & procellæ affectuum, sivè in prosperis, sivè in adversis, non turbatur, quia audit Christum sibi dicentem: *ego sum, nolite timere*. Marc. 6. Igitor in medio teotationum, & præliorum memento istius verbi: *paratus sum, & non sum turbatus &c.*

FUNES PECCATORUM &c. Dupliciter exponitur. Primò: peccatores co-

conabantur implicare vestigia mea funibus suis, ut caderem peccando, vel imitando eos, aut consentiendo eis, aut odiendo eos, aut per impatientiam coram Deo ruendo &c.

Tamen recolens legem Domini in nullum crimen incidi; per dictos peccatores non solùm intelliges homines ad malum trahentes, sed multò magis Diabolos, juxtà illud Luc.13. *Hanc filiam Abrahæ quam ligavit Satanas* decem & octo annis; ligat enim nos Satanas vinculis concupiscentiæ, avaritiæ, superbiæ, invidiæ &c. Denique omnes hi venatores vitandi sunt; Et attende (ait Ambrosius) quod in totâ serie sanctarum scripturarùm, non invenimus aliquem venatorem justum. Et dictus sensus est ad literam; quia, ut ex græco affert Augustinus *Peccatorum* est genitivus pluralis de *Peccator*, *non de Peccatum*; Unde Vatabl: vertit: *funes impiorum conati sunt me abstrabere*.

Si placet, intellige etiam de vinculis delictorum, de quibus dicitur Proverb.5. *vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur*.

Unde Isaias; *solve vincula colli filia Syon*: Et comparat Ambrosius peccatorem vitulæ indomitæ, quæ loro, aut fune longo trahitur: sicut enim, esto, sit vinculata, non vult tamen se subjicere jugo, sed plus se jactat, & excutit putans se liberam, á quo non potest se explicare, & absolvere; Ità miser peccator putans se liberum vult se excutere vel à doloribus, & remorsibus conscientiæ, & sine flagellis conscientiæ vivere liberè peccando, tamen non potest, *sempre anda preso*, non potest fugere manum Dei, & suæ conscientiæ, neque tamen vult illis cedere, & parere. Ligatus est, & tamen adhuc saltat, & recalcitrat, quasi vitula indomita Ephraim. Noli (ait Ambrosius) altâ ambulare cervice, sicut filiæ Judæ, quia altis cervicibus citò laqueus innodatur.

MEDIA NOCTE &c. Non solam ob quietem à negotiis mundi est tempus aptum ad laudandum Deum, & contemplandum ejus magnalia; sed etiam (ut dicit Ambrosius) illo tempore Satanas magis assistit, tunc retia jacit, ut turbare possit mentem improvidam; Tunc suadet omne nefas, quando nullus assistit arbiter culpæ. Igitur surge ad deprecandum (ait) eâ horâ, quâ tentator nocere consuevit, & nequitia consuevit irruere, & quia eâ horâ sponsus venit, cave, ne te dormientem inveniat, cave ne facem tuam non possis somnolentus accendere.

Super hunc versum hortatur Ambrosius Christianos frequenter communicare, & diebus jejunii in fine diei comedere. Et dicit hæc verba; & si fames quotidiè cogit ad prandium, tamen cœlesti magis te serva convivio; non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus sacramentis; differ aliquantulùm, non longè finis est diei; imò plerique sunt hujusmodi dies, ut statìm meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio; tunc utique paratus assiste, ut edas corpus Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æternæ: Nàm cum adversarius viderit occupatum hospitium tuum fulgore cœlestis præsentiæ, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet atque recedet: Et sic tu mediam noctem sine ullâ offensione transibis. Hæc ille. Augustinus non putat, hunc versum intelligendum de mediâ nocte ad literam, sed per mediam noctem intelligit gravem tribulationem, in qua se surgere dicit David, quia non eum sic affligebat, ut dejiceret, sed exercebat, ut surgeret, ut eâ ipsâ tribulatione ad fortiùs confitendum proficeret.

PARTICEPS. (Seu *Socius* juxtá hebr.) quodlibet membrum vivum in corpore particeps est totius corporis, seu reliquorum membrorum; quia omnia alia

alia illud pro suo modo juvant, & fovent: sic cum omnes pii sint unum corpus mysticum, ac invicem membra, ut dicit Apostolus, quilibet est particeps omnium. Omnes enim mutuò se juvant, & favent orationibus, & subsidiis temporalibus, mutuò se exemplis, & verbis excitant, & ædificant; Undè est articulus fidei, quod in Ecclesiâ est communio sanctorum.

Absit, quod dicamus alicui membro, quid mihi, & tibi? Imò (ut dicit Apostolus) infirmiora membra (idest pauperes, ægri corpore, vel animâ, desolati, afflicti &c.) abundantiùs curamus.

Ambrosius, & Augustinus exponunt, quasi dicta ex personâ Christi, qui fuit particeps mortalitatis nostræ, & nos sumus participes suæ divinitatis, ac gratiarum, ut patet psal. 44., & ad Hebr 3. Diligentes in operibus misericordiæ spiritualibus, & corporalibus possunt meritò hunc versum dicere, ut dicit Ambrosius.

MISERICORDIA TUA DOMINE &c. O Domine omnia quæcunqué videntur in terrâ non sunt aliud, quám misericordia tua; sicut sol omnia illustrat, ita omnes creaturæ sunt plenæ tuâ misericordiâ in omnibus donis naturalibus, vel supernaturalibus, spiritualibus, vel corporalibus; & ideò da mihi etiam meam portionem misericordiæ, & nolo aliud, quàm gratiam ad implendas justificationes tuas, & ostende mihi perfectionis semitam.

BONITATEM. Vatabl: Benignè egisti cum servo tuo Domine juxtà promissa tua. Et significatur, quòd in multis ostenderet Dominus erga David suam benignitatem, & bonitatem ab ejus adolescentiâ, undè in alio Psal. cantabat *Domine spes mea; de ventre matris meæ tu es meus protector. In te cantatio mea: Tanquam prodigium factus sum multis*: Nam in adolescentiâ ursos, & leones occidebat: & cum esset minimus fratrum suorum omnibus a Deo prælatus est. Augustinus exponit, quod David gratias agebat, quia Dominus dederat ei delectationem boni; non ut serviliter operaretur bonum, sed ex amore, & delectabiliter. Item, ut dicit Ambrosius, bonitatem cum eo faciebat, quia pro peccatis mox eum tamquam filium castigabat. Chrysostomus exponit de bonitate, quam Dominus exhibuit in mysterio incarnationis, & passionis.

Hic dicit Ambrosius hæc verba: quis est, qui singulariter sedet, nisi qui voluptatibus abdicatis, molestiarum exclusit tumultum?

BONITATEM, ET DISCIPLINAM &c. Hæc tria hoc ordine petenda sunt a Deo. Primò, *Bonitatem*, idest purificationem à malitiâ, & peccatis, quod est petere gratiam Dei. Secundò *disciplinam*, idest coercitionem morum, & passionum: nisi enim homo sub disciplinâ contineat corpus suum mortificando ejus impetus non poterit conservare bonitatem, & gratiam Dei. Bonus erat Paulus, & tamen castigabat corpus suum (sub dictâ disciplinâ continebat) ne fieret reprobus. Demùm tertio loco postulanda est *scientia*, quia hæc sine dictis nihil valet, imò inflat, & hominem damnat. Et quamvis jam dixisset, Dominum fecisse bonitatem cum eo, petit tamen argumentum ejus, ut dicit Augustinus qui etiam per disciplinam intelligit tribulationem emendatoriam. Ideò cum petit; *Doce me disciplinam*, idem est, ac si peteret: dona mihi patientiam in flagellis tuis.

PRIUSQUAM HUMILIARER &c. Hebr. *Priusquàm affligerer* (idest à te) *ego deliqui:* nunc autem eloquium tuum custodio. Juxtà illud; *Bonum mihi quia humiliasti, vel afflixisti me &c.*

Et ut ostendat, quod tunc Deus summoperè bonitatem suam erga aliquem ostendit, quando eum errantem flagellat, subjungit; *Bonus es tu, & in bonitate tuâ &c.* idest: scio te in omnibus tuis operibus bonum, & præsertìm quando si-

filium delinquentem flagellas; ideo Domine non desistas à flagellis, quoties deliquero, quia sic disco justificationes tuas. In hac ergo bonitate paternorum flagellorum: *doce me justificationes*, quia sic erudior ad eas servandas.

MULTIPLICATA &c. Ideſt quia ego novi, quod ſuperbi inimici mei tàm viſibiles quàm inviſibiles in ſuis tentationibus, & perſecutionibus ſunt lictores tui, ſunt virgæ quibus me flagellas; ideò licet multiplicentur, tamen ego non recedo á mandatis tuis: non adeò prævaluerunt contrà me ut ſuccumberem, & laberer in aliquod crimen.

COAGULATUM &c. Ideſt, cor inimicorum meorum induratum eſt, ſicut lac incaſeatum: cor enim ſanctorum (ait Ambroſius) eſt ſubtile, purum, ſincerum, dulce, nitidum, ſicut lac, facilè cedit Deo inſpiranti. Cor autem carnalium acidum eſt, & induratum: malitia enim facit eum recedere á proprietatibus lactis.

Juxta hebr. habetur: *Craſſum eſt ſicut adeps*, quo ſignificatur cor carnalium eſſe inhabile ad ſpirituales meditationes legis Dei, quia non niſi carnalia cogitare poſſunt: undè homines rudes ad ſubtilia capienda dicimus *groſſos*, *ſicut petaſo*. Imò aptè ſubjungit; *Ego verò legem tuam meditatus ſum*.

BONUM MIHI DOMINE &c. Vatabl. utiliſſimum mihi fuit, quod in miſeriam dejectùs ſum, ut diſcerem decreta tua. Explicat magis, quod dixit ſuperiori verſu, ideſt, *priuſquàm humiliarer &c.* Et intendit, quod flagella Dei non ſolùm non ceſſerunt ſibi ad caſum, & culpam, imò ad maximam utilitatem ſpiritualem.

BONUM MIHI LEX ORIS TUI. (Auguſtinus) plus diligo legem tuam, quàm diligat cupidus millia auri, & argenti.

MANUS TUÆ &c. O Domine, naturale eſt unumquemque affici, & favere operibus à ſe fabricatis: ſuum cuique pulchrum. Igitur ego factura tua te auctore convenio, non deſeras opus tuum; perfice, quod inchoaſti; præſidia aliena non quæro, formaſti me ad imaginem tuam, ut poſſem te cognoſcere, & amare; Ideò nihil aliud peto, quám lumen intellectuale ad ſcrutanda, & implenda mandata tua: & loquitur de mandatis charitatis, quæ cupit implere, ut viri perfecti implent.

QUI TIMENT TE &c. O Domine, ſi me feceris virum perfectum in tuo amore, & ſapientiâ, non ſolùm me lætificabis, ſed & omnes, qui timent te. Quid tibi videtur, quantùm ſuis temporibus mundum exhilararunt Benedictus, Bernardus, Dominicus. Franciſcus &c., & ipſe David uſque hodiè, & uſque ad finem mundi quantâ lætitiâ mundum afficit? quomodo jubilant admirantes ejus fervorem, & cantica. Et ultrá hoc maximo gaudio fuerunt affecti timentes Deum, quandò Dominus liberavit David de manu inimicorum ſuorum, Saülis, & Abſalonis. O Domine ſaltèm, ut des lætitiam diligentibus te, fac quæ rogo, da, quæ ſummoperè ſpero; Eſt inſitum bonis (dicit hic Ambroſius) bonos amare, & pleriſque juſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus verò lætitia eſt. De Paulo legimus, quod aſcendit Hieroſolimam ad videndum juſtos, & ipſe cum proficiſcebatur, cum lacrymis deducebatur, poſtquam precibus non poterat impetrare ne deſcenderent. Si ſunt (ait Ambroſius) quædam bruta animalia, quæ conſpecta ab hominibus habentibus quoſdam morbos, vel paſſiones, exiguo momento eos ſanant, quantò magis ſanabit homo juſtus, ſi conſpiciatur ab alio cum fide, & deſiderio capiendi ab eo utilitatem?

Nàm vel ipſi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fide-

fideliter eum videre desiderant. Sed sicut justus lætificat cor innocentium cùm videtur, ità improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet incontinentiam castitas, & avaritiam liberalitas.

COGNOVI DOMINE &c. Optimè novi, quod omnia flagella, quibus me punis, summa æquitate sunt librata: non sunt rigorosa, aut severa, sed summâ pietate temperata, & in veritate tuâ (idest jure, & meritò humiliasti) *afflixisti me*.

FIAT MISERICORDIA TUA &c. Quia ergo patienter tolero flagella tua, & in eis gratias ago, & approbo sententiam Domini mei, da mihi consolationem spiritualem in ipsis flagellis; *fiat misericordia tua, ut consoletur me secundùm eloquium tuum servo tuo*, ideſt ut pollicitus es mihi servo tuo. Duo enim promittit Deus, & consolationem parentibus, juxtà illud; *In mundo pressuram habebitis, in me autem gaudium*; &, *cum ipso sum in tribulatione*: & etiam promittit flagellorum cessationem juxtà illud: *Percutiam, & ego sanabo*: &, *confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me*; & utramque consolationem petit David.

VENIANT MIHI MISERATIONES TUÆ. Quæ? De quibus huc usque dixerat, lumen scilicet intelligentiæ, fervor charitatis, abundantia cœlestium consolationum. Et quia, qui hæc in præsenti vitâ non gustat, non vivit: ideò dicit, ut vivam, qui enim delicias bonæ conscientiæ non gustat, amaram vitam velit, nolit, ducit: & addit, *quia lex tua meditatio mea est*: quasi dicat, da mihi cœlestes consolationes, quia ego dispono me ad eas, faciendo, quod in me est, & vacando diligenter meditationi legis tuæ.

CONFUNDANTUR (sive pudefiant, & erubescant) *superbi &c.* Ambrosius exponit de erubescentiâ ad pœnitentiam, quia tanquam bonus, & Apostolicus medicus desiderabat, inimicos suos erubescere de sceleribus suis, & converti ad Dominum; potest etiam intelligi *confundantur*: ideſt frustrentur à suâ spe, qui satagunt, ut me à regno deiiciant, & occidant. Isti ergo pudefiant, & ego interim *exercebor in mandatis tuis*.

CONVERTANTUR (*redeant*) mihi, ideſt ad me &c., frequenter mecum conversentur, ut differamus, & tractemus de lege tuâ, ac beneficiis &c. Et ut in uno corpore, & uno spiritu cantemus laudes tuas.

FIAT COR MEUM &c. Ideſt inimici mei pudefient frustrati intento suo; *Ego autem exercebor in mandatis tuis*, & sic assequar puritatem cordis, & habendo cor sine maculis non confundar, aut pudefiam coram te, aut ad speculum conscientiæ me intuens.

DEFECIT IN SALUTARE TUUM. Tam ardenti desiderio suspiravit anima mea ad opem tuam salutiferam, quòd penè defecit: & hoc desiderium non fuit mixtum diffidentiæ tui auxilii, imò in verbis, & promissis tuis firmissimè speravi. Et comparat hìc Ambrosius hanc vehementiam desiderii desiderio hominis depereuntis amore alicujus mulieris: nàm talis solet tabescere, & deficere, quando non potest attingere concupitum, aut quando differtur; Et talis defectio (inquit non est finis amoris, sed incrementum, ità ut videatur ipsam deponere animam, quoniam tota migrat in rem dilectam; nihil aliud cogitare valet, de nullo alio libet loqui, illi tota adhæret: et ponit exemplum in uxore Tobiæ desiderantis adventum filii. Tobiæ 5. Sic ergo anima verè amans habet se ad salutare, ideſt Christum. Sic in alio Psal. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*, & Hie-

& Hierem.20. dicebat, se non posse ferre flammam amoris, quæ in ejus pectore ardebat.

Augustinus exponit de ardentissimo illo desiderio, quo Patres antiqui præstolabantur adventum Salvatoris desiderati cunctis gentibus, ut patet in Simeone sene, & de desiderio, quod habent omnes veri Christiani ad secundum adventum Christi, quando regnum suum plenè manifestandum est.

DEFECERUNT OCULI MEI &c. Vera contemplatio continet intimam, & claram considerationem divinorum (quantum fert status viæ) & fervorem affectus. Et ideò postquàm expressit vehementiam secundi actus (quia potior, & dignior est in viâ, cum sit actus charitatis) ideſt amoris; nunc exprimit, quàm assiduus, & intentus erat in consideratione divinarum perfectionum, & promissionum: & ideò comparat se personæ *q esta cò os albos lengos esperando à vinda de outra*, à quâ tota pendet. Sic oculi (ait) mei interni continuè ad te suspiciunt, ità ut plenè deficiant, ideſt fatigentur, caligent dicentes, quandò veniet consolatio quæ tamdiù differtur.

QUIA FACTUS SUM SICUT UTER IN PRUINA. Hebr. habet *in fumo*. Et juxtà hoc significatur, quod sicut uter suspensus in fumario arescit, & contrahitur, ità animus diutinâ expectatione tuæ consolationis (modo dicto) arescit, & deficit. Juxtà nostram literam significatur (apud Augustinum, & Ambrosium) quod ardentibus desideriis divinorum, & æternorum quæ significantur per pruinam; tùm quia de cœlo descendunt, tùm quia infrigidant ardores concupiscentiarum) frigescunt carnalia desideria, & mortificatur caro, fitque similis pelli animalis mortui, ideſt non ardent in eâ affectus carnales, sicut non ardent in carne, vel pelle animalis mortui. Potest etiam aliter exponi, ut per pruinam intelligamus multitudinem affectuum carnalium, qui nituntur infrigidare, ac relaxare vigorem, fervoremque spiritus, sicut pellis posita sub pruinâ relaxatur, ac dissipatur.

QUOT SUNT DIES SERVI TUI? Quasi dicat, pauci, ideſt paucis diebus in hac vitâ manere debeo, ideò Domine non differas opem tuam, quandò jàm ad nihilum rediges persecutores meos? Quando non solùm hostes corporis, sed potiùs hostes animæ, & salutis meæ perfectè superabo? Si vita mea *brevis* est, cur tu in longum differs auxilium tuum? Augustinus exponit in personâ Ecclesiæ Electorum, quæ dicit, quamdiù durabo, quandò veniet dies judicii, ut plenè evadam adversarios meos ipsis depressis?

NARRAVERUNT MIHI &c. Quamvis Ambrosius, & Augustinus per iniquos intelligant Philosophos gentiles, erroneos, & hæreticos, quorum documenta non sunt aliud, quàm fabulæ ab eis confictæ: qui (ut refert Ambrosius ex Aristotele) sunt sicut hirundines: quoniam disputationis suavitatem loquacitatis continuatione corrumpunt. Tamen etiam intelligitur de filiis hujus seculi, quorum opiniones, & judicia sunt meræ fabulæ, & insaniæ falsæ, videlicet judicia de honoribus, dignitatibus, divitiis, ac pompis quærendis, & sectandis, injuriis vindicandis, voluptatibus fruendis &c.

OMNIA MANDATA TUA VERITAS: ideſt summâ rectitudine præcepta sunt, sicut omnia, quæ credenda proponis, *credibilia facta sunt nimis*: quapropter egò in campo expositus sum in medio inimicorum, qui contrà ea loquuntur suas fabulas narrantes. Adjuva tu me, quia ego non refugio bella contra eos subire, quantumcunque gravia pro defensione veritatis tuorum dogmatum, & rectitudinis tuorum præceptorum. Hìc plangit Ambrosius quot mala attulerit Eccle-

siæ

ſtæ otium á perſecutoribus. Nam Chriſtianos quos bella non fregerant, otia tentarunt; & plures in pace perſecutiones eſſe cœperunt. Non vacabat Chriſtianis tempore perſecutorum cogitare de delectationibus, de honoribus, de congregandis divitiis. Sed ille (inquit) ſe præferri putabat, qui eſſet pluribus verberibus flagellatus.

PAULOMINUS CONSUMMAVERUNT &c. Hebr. Parùm abfuit, quin me perderent in terrâ. Oſtendit David ſuorum inimicorum potentiam, & crudelitatem, tamen auxilio Dei munitus non potuerunt efficere ſuis perſecutionibus, quod in aliquam Dei offenſam laberetur. Auguſtinus gloſſat tamquàm dicta ex perſonâ Eccleſiæ tempore Martyrum, quandò ſæviente perſecutione Tyrannorum videbatur Eccleſia propè extingnenda, niſi Deus occurreret dans Martyribus mirabilem fortitudinem, qua viſâ non ſolùm Eccleſia non minuebatur, imò augebatur numero converſorum. Ambroſius exponit de domeſticis hoſtibus pravorum affectuum, qui parùm abeſt, quod nos exurant, & perdant etiam timentes Deum: at ſervus Dei ejus auxilio confortatus dicit: *ego autem non dereliqui mandata tua.*

Et ideò ſubjungit, o Domine ego deſidero perſeverantiam in reſiſtendo inimicis meis: qua propter *ſecundùm miſericordiam tuam vivifica (aviventa me)* ſive recrea; juxtá Vatabl: *excita fervorem &c., & cuſtodiam teſtimonia*; ideſt quæ obſervanda juſſiſti. Quotidiè (ait Ambroſius) vivificatur juſtus, ut Deo vivat, & peccato moriatur.

IN ÆTERNUM DOMINE &c. Ideſt corpora cœleſtia in omnibus ſuis motibus, & influentiis infallibiliter implent juſſa Domini, neque in puncto deviant á legibus ſibi datis. O quare terreſtres homines non imitantur corpora cœleſtia? Unde Auguſtinus hîc dicit, quod Propheta prorupit in hæc verba, tamquám tæderet mutabilitatis hóminum in hoc mundo. Mutantur enim ſæpe ad ſtatum effectum, vel tentationum, neque permanent in divinis decretis. Auguſtinus per cœlum intelligit Angelos, qui æternam malitiam ſine deſertione cuſtodiunt.

IN GENERATIONE &c. Veracitas tua in promiſſis ſtabilis erit in æternum, ſicut ſtabilis eſt terra, quam fundaſti, ut perpetuò in ſuâ ſtabilitate permaneret. Hîc dicit Ambroſius, quod ſancti non curant ſpeculari ſecreta aſtrologiæ, quia ſolùm ea volunt cognoſcere, & docere, quæ conducunt ad æternam ſalutem.

ORDINATIONE TUA PERSEVERAT DIES: ideſt hæc dies, & quælibet alia dies ideò ſtat, quia tu jubes. Juxtá hebr. nihil dicitur de permanentiâ diei, ſed de permanentiâ cœli, & terræ, de quibus dictum eſt: unde ſic vertitur, *eaque perſiſtunt uſque in hodiernum diem juxtà tuam ordinationem, quoniam omnia ſerviunt tibi.*

NISI QUOD LEX TUA. Vatabl: ſic: *niſi lex tua deliciæ meæ eſſent, periiſſem in afflictione meâ*; quo docemur unicum remedium ſervandi patientiam in tribulationibus, ac vincendi quaſcunque tentationes eſſe meditationem divinorum aſſiduam. Ideò Job (ait Ambroſius) in ſuis tentationibus ſic perſtitit, & ſic ſapientiſſimè reſpondit, quia plenus erat ſacris meditationibus á multo tempore.

Et ideò ſubjungit, quia experientia comprobavi, quod *ob meditationem tuarum juſtificationum*, ideſt tuorum mandatorum, tuorum myſteriorum, tuorum magnalium ſæpe in vitâ ſpirituali me promoviſti, inflammaſti me in bono, recreaſti me in afflictionibus: ideò nunquam earum obliviſcar; imò ferventiùs in dies eis vacabo.

TUUS

TUUS SUM EGO &c. Facilis, & communis vox ista vidètur; ait paucorum est eam verè dicere. Ille dumtaxat dicere potest, qui totis sensibus Deo adhæret, qui aliud cogitare non novit.

Non potest (ait Ambrosius) uti hac voce avidus pecuniæ, vel honoris &c. Vox Apostolorum est, tibi me totum trado: *ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ille autem dives, cui dictum est Matth. 19. *si vis perfectus esse &c. recessit contristatus*, videbatur illi exiguus, & angustus Deus, quasi plus esset, quod relinquere jubebatur, quám Deus qui sibi eligendus proponebatur præ divitiis. Non potest (ait idem) dicere secularis: *tuus ego sum*, quoniam cùm venit libido, dicit: meus es, quia pretio voluptatis te mihi vendidisti. Idem dicit avaritia: pretio auri, & argenti te emi in servum &c. Felix Paulus, qui verè dicebat: *Paulus Jesu Christi servus*. Veh mihi, qui si aliquandò sum Dei, etiam aliquandò sum iræ, vel tristitiæ, vel vanæ gloriæ? Quamvis dicam: *Domine, Domine*, non tamen possum veraciter dicere: Domine Jesu tuus sum?

Augustinus dicit, quòd cùm peccator peccat, suum esse vult; nam per inobedientiam noluit esse Dei, ut esset suus; & quia ob hoc perditum se invenit, recurrit ad Deum dicens: Domine, quia volui esse meus, perdidi me? Ideò tuus esse volo, & solum justificationes tuas exquirere.

ME EXPECTAVERUNT PECCATORES, Ut *perderent* trahendo ad peccatum, vel ut consentirem cum eis in peccato: at ego recolens, & intelligens mandata tua, constanter restiti. Ideo Ambrosius, & Augustinus applicat hunc versum ad Martyres Christi.

OMNIS CONSUMMATIONIS VIDI FINEM &c. Campensis vertit: *omnia, quæ facta sunt, finem habitura video, sed præceptum tuum omnem finem excedet.* Vatablus sic: video finem habere omnia etiam perfectissima, tuum autem præceptum latissimè patet, idest cuncta temporalia transibunt, mandatum autem divini amoris in æternum manebit. Omnia quantumcumque consummata, & absoluta finientur, non autem finietur amor Dei; Ambrosius exponit de Christo, qui est finis legis, & omnium, quem vidit spiritu Propheta esse finem omnium virtutum, & sapientiæ, etiam perfectarum, & consummatarum, sicut etiam est finis peccatorum, & consummatarum malitiarum, quia omnia suo adventu destruxit.

Latum mandatum tuum, (utèrque de charitate exponit, *quæ diffusa est ab Spiritu Sancto in cordibus nostris*) In hac diffusione (ait Augustinus) latitudo est, in qua sine angustiis via quoque ambulatur angusta. Ideò dictum est, *dilatasti gressus meos subtus me &c.* Quid autem latius, quám ubi pendet universa lex, & Prophetæ? Quapropter latum (ait Ambrosius) mandatum charitatis: *diligite inimicos vestros*, etiam ad illos extenditur. Quis enim videatur exceptus, cùm recipiatur inimicus? O homo quàm latus es, si ad amplitudinem mandatorum cœlestium sinum mentis tuæ expandas? Audi quám latum *Benedicite persequentibus vos &c.* Ambrosius.

Expone etiam, *omnis consummationis*, idest omnium virtutum consummatarum, seu omnis perfectionis vidi finem, qui finis est charitas, *quæ est vinculum perfectionis*.

QUOMODO (ò quántum?) DILEXI? &c. Manifesta namque probatio dilectionis est, jugis meditatio in rebus dilecti. Quia enim (ait Ambrosius) virgo mater diligebat filium, ideò *conservabat omnia verba ejus conferens in corde suo*. Hac enim jugi meditatione (ait Augustinus) expugnatur concupiscentia car-

carnis adversùs spiritum, qui semper ei contradicit. Et per legem tàm Ambrosius, quàm Augustinus intelligunt legem charitatis, de qua dixerat: *latum mandatum tuum*.

SUPER INIMICOS MEOS. Hebr. *Tu me sapientiorem reddidisti inimicis meis* per tuum præceptum. Nàm id perpetuò meum est. Ostendit (ait Ambrosius) diuturnæ meditationis effectum; & per inimicos intelligit hostes divinæ veritatis, idest Judæos, Hæreticos &c. quos, quia hostes Dei, sicut hostes suos reputat. Tamen ad literam videtur David intendere, quòd meditatione assiduâ, & exercitio mandatorum Dei assecutus est veram sapientiam suprà omnes inimicos suos, qui erant carnales, & de lege Dei non curabant: Et ob hanc etiam causam subjungit, quòd excessit in sapientiâ spirituali suos præceptores, quia diligentior fuerat in meditandis, & exequendis mandatis Dei, quám ipsi. Et ob hoc etiam se proponit senioribus; non (ait Ambrosius) antiquioribus Patribus, scilicet Abrahæ, Moysi &c., sed senioribus carnalibus, & in peccato inveteratis. Unde non dicit, super omnes senes, sicut dixerat, *super omnes docentes* (qui eum voce docuerant) sed *super senes*, quasi non omnibus, sed aliquibus se præponens. Patet enim, quod excessit Patres tribuum: poterat etiam asserere, quod in cognoscendis mysteriis Christi excessit omnes priores Prophetas, & Patres, ut dicit B. Thomas. (Augustinus exponit omnia hæc dicta in personâ Christi.

AB OMNI VIA &c. Concludit quantam habet sollicitudinem in custodiendo legem Dei ob dictum fructum ex ejus custodiâ perceptum. Et etiam addit, *a judiciis* (idest legibus, & edictis) *non declinavi, quia tu normam vivendi præscripsisti mibi*. Sic Vatablus.

QUAM DULCIA &c. Pondera, quò eum perduxerat assiduitas meditandi in lege Dei adhibita executione: jam enim omnia in dulcedinem sibi versa erant juvante gratiâ, & consuetudine. Ambrosius exponit de eloquiis Dei, quibus annunciantur remissio peccatorum, vita æterna, resurrectio &c. ideò hæc annuncianti dicitur *favus distillans labia tua* Cant.4.

A MANDATIS TUIS INTELLEXI &c. assiduâ meditatione, & exercitio mandatorum tuorum consecutus sum claram intelligentiam rationis vivendi; Ideò reputo *vanitates*, & *insanias falsas* quæcunque filii hujus seculi adorant, & propterea odio habeo non solùm iniquitates, sed quascunque vias, illecebras, occasiones, & quæcumque ad iniquitatem perducere possunt; consecutus sum etiam intelligentiam tuorum mysteriorum ex innocentiâ vitæ. Ideò dicitur Ecclesiastici 1.: *fili concupiscens sapientiam conserva justitiam*, & *Dominus præbebit illam tibi*.

LUCERNA PEDIBUS MEIS &c. Quid esset de nobis in nocte hujus mundi, si non præiret nos lucerna divini verbi? Quàm incertis titubaremus vestigiis, quantùm aberraremus a tramite cœli, in quantas foveas incideremus?

JURAVI, ET STATUI &c. Dicit Augustinus quod David non juravit custodire mandata Dei: sed firmam determinationem vocat juramentum. Unde verbum; *statui* explicat verbum *juravi*; ita enim debet esse mens fixa in custodiendis judiciis justitiæ Dei, ut sit omninò pro juratione, quod statuit.

HUMILIATUS SUM. Hebr. *Afflictus sum vehementissimè Domine*, *recrea me secundùm verbum tuum*: undique affligor ab hostibus visibilibus; & nisi tu me interiùs confortaveris, ut promisisti quærentibus te, deficiam: vel nisi dulci meditatione verborum, ac mysteriorum tuorum recreaveris me, non potero resistere, ac in constantiâ, & patientiâ perseverare.

VOLUNTARIA. (*sacrificia*) ORIS MEI *placeant tibi Domine*. Loquitur (secundùm Augustinum) de sacrificiis laudis, quæ offerebat, suos psalmos cantando, juxtà illud *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et *immola Deo sacrificium laudis*, & *judicia tua doce me:* doce me semitas, quibus perveniendum ad charitatis perfectionem. Sunt enim (ait Augustinus) verba cupientis proficere in mandatis Dei.

ANIMA MEA &c. Vatablus. In discrimine vitæ semper versor, non tamen obliviscor legis tuæ, ideſt nullis periculis, nullis minis, aut terroribus hostium meorum recedo à lege tuâ. Sicut Apostolus dicebat, *quotidiè morior propter gloriam vestram*: ideſt, quotidiè periclitor. Hic sensus expresſè colligitur ex 12. Cap. Judicum. Et illum etiam approbat Ambrosius: ea enim, quæ manibus gestamus in magno periculo casûs sunt: Nihilominùs Ambrosius, & Augustinus exponunt etiam aliam literam, ideſt: *anima mea in manibus meis semper*, juxtà illud; *Justorum animæ in manu Dei sunt*.

POSUERUNT PECCATORES LAQUEOS MIHI &c. Omnia sunt plena laqueis, & retibus nisi vigilemus. Ad Martyres applicat Ambrosius, quibus Tyranni ponebant laqueos minarum; & promiſſionum, & tamen non errabant à mandatis Dei. Sic dicit David, nullis laqueis suorum inimicorum incidiſſe in offensam Dei. Et tamen qui laqueis persecutorum non fuit captus, laqueo pulchritudinis Bersabee captus fuit: Ideò nulli laquei magis fugiendi, quàm quos nostra caro extendit.

HÆREDITATE ACQUISIVI: ideſt poſſedi &c. Mandata tua sunt mihi fundus hæreditarius, & *sunt exultatio cordis mei*; esto sint (ait Augustinus) afflictio carnis.

INCLINAVI COR MEUM. Qui supra (ait Augustinus) dixerat; *Inclina cor meum*, nunc dicit, *Inclinavi cor meum*, ut intelligas impletionem mandatorum Dei simul eſſe, & divini muneris, & propriæ voluntatis. *Propter retributionem*, non aliam scilicet, quàm tumet Deus meus. Juxtà hebr. non habetur; *propter retributionem:* sed *in æternum, & usque ad finem*, vitæ meæ. Campensis vertit: *Non sine causa*. At juxtà nostram literam videtur hic versus intelligendus in personâ incohantium viam Dei (qualis etiam aliquando fuerat David) Hi enim non ex puro amore divinæ bonitatis dumtaxat incitantur ad rectè vivendum; sed etiam intuitu mercedis. Nam (ut Augustinus, vel Bernardus dicit) amor sincerus dicit, *Confitemini Domino, quoniam bonus*; amor mercenarius dicit, *Confitemini Domino, quoniam bonus mihi*; sicut servilis dicit *quoniam potens*.

INIQUOS ODIO HABUI. Vatablus vertit, odi cogitationes alienas, seu quibus distrahitur animus &c Quis eſt iste, qui fatetur se iniquos odiſſe, & tamen non lædit eos cum poſſet; noluit enim lædere iniquum Saülem, & Semei, indoluit pro occisione Abſalonis &c.? In hoc clare ostendit, quod diligebat eos animâ, & corpore, & sola scelera, solas divinas offensas, odio sancto prosequebatur: & ideò (ait Ambrosius) aptè subjunxit; *legem autem tuam dilexi*: quia si legem amamus, neceſſe eſt odiſſe adversarios legis, qui suis operibus præcepta legis impugnant. Sic Ambrosius, & Augustinus.

ADJUTOR ET SUSCEPTOR MEUS ES TU. *Adjutor* (ait Augustinus) ad bona facienda, *susceptor* ad mala evadenda. Brachiis enim suscipere solemus titubantes, vel cespitantes, ne cadant. Hebr. habet; *Tu es meum confugium, & scutum*.

DE-

DECLINATE A ME MALIGNI, ET SCRUTABOR. Quamvis, ait Augustinus, maligni exerceant nos ad mandata Dei implenda, impediunt tamen nos ab eis scrutandis: quapropter variis modis perturbant quietem contemplationis: persecutionibus scilicet, adulationibus, litigationibus superfluis, & importunis negotiis, & variis aliis modis nostra tempora sibi usurpant. Vatabl. tamen, & Campensis non habent, *scrutabor*, sed *custodiam*, quia pravi sæpe impediunt nos à viâ Dei. Et si hujusmodi negotiosis hominibus (ait Augustinus) dicimus, ut cessent à suis cupiditatibus, & dimittant, adducentes illis illud Luc.12. *stulte hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ parasti, cujus erunt?* Nihil prodest. Nihilominùs instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potiùs ad ista, quæ diligunt, quàm scrutandis Dei mandatis, quæ diligimus occupemur, ò quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto desiderio divinorum eloquiorum dictum est, *declinate à me maligni &c.* Hæc Augustinus, & subjungit; Ignoscant mihi obedientes fideles, qui pro suis secularibus causis rarò nos quærunt, & judiciis nostris facillimè acquiescunt, nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potiùs consolantur. (Quasi dicat, non propter vos dico) certè propter eos dico, qui & inter se pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, nostra judicata contemnunt, faciuntque nobis perire tempora rebus eroganda divinis: certè propter istos etiam nobis liceat exclamare: *declinate à me maligni, & scrutabor &c* Hæc ille.

Si hoc dicebat Augustinus cui tamen vocabat scribere tot, quid diceret de nostra Ecclesia Bracharensi!

Et ideò aptissimè subjungit; O DOMINE SUSCIPE ME ab istis molestiis dictis, da mihi quiete posse meditari eloquia tua, ut vivam. Qui enim non vacat his meditationibus, non vivit: quia reliqua omnia (ait Augustinus) sunt somnia. Et adhoc est apta versio Vatabl:, & Campen., qui legunt; *suffulci me eloquio tuo, ut vivam.*

Et non confundas, aut pudefacias frustratum expectatione meâ, qua expecto aliquandò totus in te quiescere. Alius sensus est, libera à laqueis malignorum juxtà promissum tuum, & non frustres me spe meâ.

ADJUVA ME. Et tanquam (ait Augustinus) fuerit ipsi David responsum in silentio, si non vis confundi ab expectatione tuâ, non intermittas meditari justificationes meas, sentiens istam meditationem languoribus plerumque animæ impediri, subjungit; *Adjuva tu me, & salvus ero, & meditabor &c.* Vatabl: Ex contemplatione decretorum tuorum voluptatem capiam &c.

SPREVISTI OMNES &c. Conculcabis omnes quicumque aberrant a decretis tuis. Quid horribilius, quàm sperni, & conculcari à Deo? *Quàm es magado ficarà, quam nada*, qui à Deo spernitur. Et quia fons, & radix omnium malorum est prava cogitatio; cogitationes enim sunt, quæ accusant, aut defendunt, ut dicitur ad Rom.2.; Ideò (ait Augustinus) scriptum est, *cogitatio sancta servabit te;* Ubi est felix, qui in cogitatione sua miser est?

PRÆVARICANTES, vel *prævaricatores reputavi* (Hebr. *ut scoriam reputo*) *omnes peccatores:* aut, ut Vatabl: *ut scoriam tollis* (abjicis) *omnes impios in terrâ*. Significatur secundùm Augustinum in nostrâ literâ, quod omnes peccatores prævaricant, & transgrediuntur aliquam legem saltem naturalem. Unde ad Rom.2. ubi non est lex, neque prævaricatio ideò ne sim prævaricator diligo magis testimonia tua:

CONFIGE (Textus Augustini, & Ambrosii addit *clavis*) *timore tuo* (casto, & filiali, ut dicit Augustinus) *carnes meas* pronas in omnia mala desideria, seu carnales concupiscentias; quia *à judiciis tuis* futuris super peccatores *timui*

R 2 (mor-

(mortem, & gehennam) ideft da mihi timorem castum, ad quem hic timor judiciorum, tamquam pædagogus me ducit. Hebr. habet *horret præ timore tuo caro mea, & judicia tua formido*.

Ambrosius dicit, quod sicut sunt aculei timoris, quibus compungimur, ità sunt clavi timoris, quibus configimur cruci Dominicæ.

FECI JUDICIUM, ET JUSTITIAM; Servavi leges tuas justas, & æquas, ideò non tradas me oppressoribus meis. Ambrosius exponit, quasi David dicat: ò domine, in judicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam divitis non recepi; denique in omnibus rectitudinem justitiæ servavi, ne quispiam innocens opprimeretur. Ideò Domine non permittas calumniatores meos scilicet Dæmones, vel homines me opprimere.

SUSCIPE SERVUM TUUM IN BONUM &c. Adversarii mei, & calumniatores mei (ut ait Augustinus) me impellunt, ut cadam, *tu suscipe me in bonum*. Vatablus oblecta servum tuum rebus bonis, & ne sinas, ut me opprimant superbi; per quos apud Ambrosium, & Augustinum intelliguntur Dæmones, & Hæretici, & etiam carnales persecutores bonorum.

OCULI MEI DEFECERUNT &c. Summo desiderio suspicio ad opem salutarem, quam mihi promisisti. Item est sensus, sicut duorum primorum versuum octonarii XI. *defecit in salutare tuum &c.* Ambrosius, & Augustinus applicant ad desiderium, quo ardebat Propheta de adventu Christi.

FAC CUM SERVO TUO &c. Quia igitur totus pendeo ab ope tua; *Estou cò os olhos longos aguardando por ella*; Ideò *fac mecum secundùm misericordiam tuam, & doce me viam perfectionis*. Et meritò hoc mihi debes præstare: *quia ego sum servus tuus*, & nihil aliud desidero, quàm perfectè nosse, quomodo, & in quibus debeo tibi servire, ac placere; Ideo *da mihi intellectum, ut sciam testimonia*, seù *decreta tua*.

TEMPUS FACIENDI DOMINE &c. O Domine tempus est oportunum, ut sumas supplicium de impiis, *quoniam dissipaverunt legem tuam*. Ambrosius, & Augustinus dicunt, quòd Propheta postulat adventum Christi dicens, tempus esse implendi promissiones de mittendo Salvatore; & dat rationem, quia omnia sunt dissipata, dedisti legem Judæis, & illa non profuit: imò ex eâ acceperunt occasionem gravius peccandi nitentes in vetitum. Quia ergo (ait Ambrosius) vidit Propheta mundum plenum sceleribus, ideò urget Salvatorem, ut adventum acceleret.

IDEO DILEXI MANDATA TUA: Quia considero turpitudinem peccati, & quia video maximas pœnas esse peccatoribus paratas, ideò *diligo mandata tua super aurum, & topazion*, lapidem pretiosissimum; unde cum in alio Psalmo dicitur, quod *mandata Dei sunt desiderabiliora super aurum, & lapidem multùm*; intellige, *multùm* valde, quia topazius est valdè pretiosus, de quo miranda hîc dicit Ambrosius. Et ob hanc etiam causam non ad aliqua mandata, sed ad omnia tua mandata dirigo vitam meam &c.

MIRABILIA TESTIMONIA &c. Vatabl. Mirabilia arcana tua: non solùm præcepta Dei, sed etiam omnia alia ejus opera maximè testantur divinam bonitatem, & omnia sunt recondita, & plena mysteriis, ac proindè provocantia ad sui contemplationem; & quamvis Abacuch dixerit; *consideravi opera tua, & expavi*; non tamen destitit ab scrutando cum debitâ reverentiâ, & humilitate. Obstupemus enim (ait Augustinus) si omnia simul sub unius contemplationis aspectu intueri velimus. Incitatur tamen animus ad aliqua specialiter scrutandum.

DE-

DECLARATIO (seu *manifestatio*: ut legit Ambrosius, & Augustinus. Vatabl. ostium, sive *ingressus*, quo significantur prima rudimenta fidei, quæ catechumenis, vel rudibus proponuntur. Alia expositio est, quod præcepta Domini sunt lucida, illuminantia oculos parvulorum, idest humilium, ut habet Psal. 18. superbus enim, qui auditis præceptis Dei non flectit cervicem ad obediendum, sed potiùs vult vivere secundùm judicium, & beneplacitum suum, non illuminatur ejus intellectus, sed potiùs caligat.

OS MEUM APERUI. Declarat pulchro schemate ardorem sui desiderii erga divina præcepta, quasi dicat, tanto desiderio proficiendi in mandatis tuis ardeo, ut ore aperto ad illa aspirem; seu tanto ardore ab hoc flagrat pectus, & cor meum, ut subinde cogar haurire aerem. Augustinus exponit de apertione oris, & corporis ad postulandum Spiritum Sanctum, seu gratiam Spiritus Sancti, sine qua non possumus divina præcepta observare.

RESPICE IN ME, ET MESERERE MEI. Ut assoles facere erga amatores tui nominis, sic Vatabl. *Respexit in orationem humilium &c.* & *respexit Dominus Petrum*, non sicut *respexit super castra Ægyptiorum*, & sicut *respicit terram, & facit eam tremere*.

GRESSUS MEOS DIRIGE SECUNDUM ELOQUIUM. (Secundum præcepta charitatis, ut dicit Augustinus) *ut non dominetur mei ulla vanitas*: ut Vatablus, quantò enim magis (ut inquit Augustinus) in nobis regnat charitas, tanto minùs dominatur iniquitas, cupiditas, aut vanitas. Et per *gressus* intelligit Ambrosius internos affectus..

REDIME *à calumniis* (sive *oppressione* ut Vatabl.) Inter tentationes (ait Ambrosius) gravis valde est tentatio calumniæ, quia non solum falsa componit, sed etiam quæ pie gesta sunt decolorat, sicut Joseph qui non solum à Dominâ invitatus est ad adulterium, sed etiam sibi impositum est, quod ipse invitaverat &c. Hoc ipsum accidit Susannæ.

FACIEM TUAM ILLUMINA &c. Vatabl. *vultum serenum ostende servo tuo*, fave nimirùm ut in viâ perfectionis ardenter proficiam. Ob hoc (ait Ambrosius) fulget anima Sanctorum, quia Dominus splendorem sui vultus super eam vertit; sicut radiant gemmæ ad præsentiam solis, sic coram gratiâ infinita animæ Christi radiant opera meritoria Sanctorum; nam absque meritis Christi nullius valoris, & splendoris essent merita Sanctorum.

EXITUS AQUARUM &c. *Quia non custodivi legem tuam*. Sic legit Ambrosius, & Augustinus etiam de fletu propriis peccatis intelligendum putat. Huic sensui consonat versio Campensis, quæ sic habet. *Rivi aquarum effluxerunt ex oculis meis, propterea quod aliò me abduxerint, & non servaverint legem tuam*; quando impudicis oculis respexit Bersabeam se lavantem. At Vatabl: sic vertit; *Rivi aquarum descenderunt ab oculis meis propter illos, qui non custodiunt legem tuam*. Ubi ostendit, se tantâ charitate ardere, quod aliena peccàta uberrimè flebat.

JUSTUS ES DOMINE. Justissimo judicio me afflixisti ob peccata mea; probo sententiam tuam. Alii per *judicium* intelligunt præceptum Dei pollens summa æquitate. Sed primus sensus, qui est Ambrosii conformior est præcedenti, & sequenti versui, quo testatur David, Deum *mandasse testimonia, ac præcepta sua* (quæ sunt veritas, & justitia, idest justa, & vera, atque æqua) *custodiri nimis*; Et ideo qnandn peccatores, ac transgressores legum tuarum à te puniuntur, justissimè puniuntur. 2. Reg. 15. habes quomodo David approbavit sententiam

tiam Dei de sui punitione, & Danielis 3. (Hîc dicit Ambrosius) quod Plato multa mutuavit in suis libris ex veteris Testamenti libris.

TABESCERE ME FECIT &c. Tantâ vi amoris afficior ad verba, & præcepta tua, quod pene tabesco, & consumor videns hostes meos transgredi leges tuas, quasi dicat; non itá doleo, quia affligunt me, sed quia contemnunt mandata, & offendunt bonitatem tuam. Hoc zelo (ait Ambrosius) exarsit Phinees filius Eleazari &c. Hîc differit idem, quanto zelo debet ardere Episcopus contrá perfidiam hæreticam, quam vocat feralem meretricem totum Dei populum occidentem, & tumulantem. Invadat te zelus ille (ait) de quo scriptum est, *zelus domus tuæ devoravit me*. Conserva incorruptam castitatem Ecclesiæ, idest puritatem fidei. Et claré dicit occidendos hæreticos. Meliùs (inquit) est, ut unius, vel duorum damnatione plurimi liberentur, quám duorum absolutione plures periclitentur. Propter zelum (ait) raptus est Helias ad cœlum; qui zelum Dei habet omnes eos sibi reputat hostes, qui sunt inimici Dei, sive sit mater, sive pater, sive fratres &c. Ob defectum hujus zeli dictum est in Apocal: cuidam Episcopo; *utinam esses frigidus, aut calidus; sed quoniam tepidus es &c.* O gratia zeli, quæ facit, quòd Christus nos in suo ore constituat, & retineat, & quaidam meritorum nostrorum epuletur dapes, & deinde devoret nos nostrorum ciborum suavitatibus delectatus. Beatus, quem sapientia devoraverit &c. quem justitia intrò receperit &c.

IGNITUM ELOQUIUM TUUM. Campensis *eloquium tuum vehementer inflammat &c.* Vatabl. *purgatum est eloquium tuum vehementer*: utrumque enim habet verbum Dei; Nam inflammat, ut testatus est ille, qui dicebat: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis &c.*, Et Hierem.20. *Factus est sermo Domini, ut ignis in ossibus meis &c.* Et ideò sponsa dicebat; *sicùt vitta coccinea labia tua:* coccus enim habet colorem ignis; Et ideò quia labia sponsi loquendo inflammabant, dicunt habere colorem cocci. Purgat etiam, seu mundat sermo Dei juxtà illud Joan.15. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

ADOLESCENTULUS SUM EGO &c. David erat junior fratrum suorum, & a Patre, & fratribus despectus; Ideò (ut dicit Ambrosius) vili ablegatus obsequio pascendarum ovium, unde neque est oblatus cum fratribus Samueli, quasi indignus, qui ungeretur in Regnum. Etiam á Saüle post contemptus est, quasi vilis adolescentulus. Tamen in omnibus his non est oblitus mandati Dei.

JUSTITIA TUA &c. O Domine est justitia in æternum duratura, qua æterna bona bonis, & æterna mala malis reddentur; Et lex ipsa est sincerissima veritas nullâ falsitatis nebulâ respersa.

TRIBULATIO, ET ANGUSTIA INVENERUNT ME. Tribulationes (ait Ambrosius) quærunt justum, & inveniunt eum, quia non fugit ab eis, imo quasi dilectas amplectitur, & gloriatur in eis. Non sic peccator, quem tribulatio non potest invenire, quia, esto, peccator corpore invitus succumbat ei, animo tamen fugit, murmurat, renititur, non complectitur, imò repellit quantùm potest; & hoc, quia non meditatur mandata Dei.

ÆQUITAS TESTIMONIA TUA &c. Æquissima sunt mandata tua, nihil in eis impossibile, aut rigorosum: coaptata sunt fragilitati naturæ humanæ tuâ gratiâ adjutæ. Vatabl: vertit. *Æquitas, seù justitia testimoniorum est æterna. Da mihi intellectum ad ea præstandum, & opere complendum*, ut hìc possim spiritualitèr vivere (quæ sola vita dici debet), & consequar vitam æternam.

Campensis vertit, *contestationes tuas æternas fac me intelligere, ut vivam.*

CLA-

CLAMAVI &c. Ut justificationes tuas requiram. Clamor cordis (ait Augustinus) est magna cordis intentio, ideſt magna cogitationis attentio, quæ cum est in oratione magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, ut non desperet effectum. Et tunc porrò toto corde clamatur, quando aliundè non cogitatur. Et adhùc clamabat, ut in charitate proficeret. Clamabat (ait Ambrosius) populus Judæorum, & non audiebatur, quia sola voce clamabat. Tacet Moyses, & audit, & dicitur ei, *quid clamas ad me?* Exod.14. Hîc dicit Ambrosius, quòd Phœnix nescit coitum, sed ex suis cineribus gignit prolem; Et quod aquila ad intuitum solis probat pullos, si sunt sui.

PRÆVENI IN MATURITATE &c. Vatabl: *In crepusculo antevertens clamo*. Augustinus legit. *Præveni intempestâ nocte, & clamavi*, ideſt horâ noctis intempestivâ, & importunâ, qua homines non solent vigilare ad agendum aliquid, sed dormire, quam horam dicit esse mediam noctem. Campensis *Præveni maturrimè*. Alii (ut dicit Augustinus) legunt, *immaturitate*, ut sit unum vocabulum, cujus nominativus est, *immaturitas*, quasi dicat, *præveni tempore immaturo*, valdè citò. Alii (ait) legunt, *in immaturitate*. Nos primo modo debemus legere, ideſt *immaturitate*; Et credo, quod vitio scriptorum habemus, *in maturitate*, quasi sint duæ dictiones. Et tamen possumus salvare hanc literam, quam legit Ambrosius innuens idem esse *prævenire in maturitate*, ac si dicatur; *præveni maturitatem*, ideſt tempus maturum, ideſt vigiliæ ante tempus maturum, quasi dicat valdè citò. Undè Hieronymus vertit: *surgebam adhuc in tenebris*.

PRÆVENERUNT OCULI MEI &c. Dicit Ambrosius, quod quando radii orientis solis inveniunt aliquem adhuc dormientem, inverecundo pudore ipsum conveniunt, quia tanti temporis spatium pertransivit sine munere devotionis, & sacrificii spiritualis oblatione. Heù tibi, quod longè ab affectu illius, qui dicebat: *in cubiculo meo quæsivi per noctes, quem diligit anima mea*, Cant.3. Ideò sponsum meruit invenire, & gratiam ejus promereri (ait Ambrosius) quia etiam in lecto ipsum quæsivit. O quam jucundum hymnis prævenire diem, ut sic securus procedas ad tua negocia, & seculares necessitates, dicens, etsi negotia terrena tracto, tamen jam *prævenerunt oculi mei ad te*. Ambrosius, quia igitur Domine ego curo prævenire ad te, ideò audi vocem meam, & recrea me, ac conforta in viâ perfectionis &c. Et dicit *judicium tuum*, quia decretum Dei est, *qui vigilaverint ad me, invenient me*.

APPROPINQUAVERUNT (ideſt alligaverunt, & agglutinaverunt se) PERSEQUENTES *me iniquitati &c.* Juxtà hebr. *Appropinquaverunt mihi sectantes scelus* (scilicet ad perdendum me) ideſt adjuva me, quia qui propius mihi accedunt, a te longè recedunt, ideſt quantò magis abominantur legem tuam, tanto vehementiùs persequuntur me.

Et ut ostendat, quod Dominus est paratus omnibus appropinquare, & agglutinari, sicut sol expositus est ad omnes domos illuminandas, non claudas tu fenestras; sed homines sunt, qui ab eo fugiunt, ideò subjungit: *propè es tu Domine*. Homines sunt, qui solem justitiæ fugiunt, & tenebras amant: Et omnes viæ Dei, ideſt tam præcepta, quàm punitiones peccatorum, splendent summâ rectitudine.

INITIO (adverbium est, ut dicit Augustinus, unde Vatabl: vertit, jampridem) cognovi, ac certissimè intellexi præcepta charitatis, ac promissiones tuas de regno Christi, de æterna felicitate, de impiorum damnatione esse in æternum duratura. VI-

VIDE HUMILITATEM MEAM. Vatabl. *respice miseriam meam*.

JUDICA JUDICIUM MEUM. Vatabl. age causam meam, & vindica me de hostibus meis præsertim Dæmonibus; *& vivifica me*, recrea, ut promisisti. Campensis *suscipe patrocinium causæ meæ*.

Clarè video, quod ideò *longè a peccatoribus salus*, ideft gratia tua, quia obstinato animo tibi resistunt. Certè scio, quod non ob defectum misericordiæ tuæ *longe est a peccatoribus salus: quia misericordiæ tuæ multæ Domine*; *Ideo pro more tuo* (sic Campensis) *vivifica me*, ideft recrea interiùs, & inflamma. Et quapropter judicium Dei non est sine misericordiâ erga timentes eum; ideò dicit *secundùm judicium tuum*. Augustinus, & Ambrosius. Unde de calice iræ Dei, quo punit peccatores in hoc seculo dicitur: *Inclinavit ex hoc in hunc*, ideft modò isti, modò illi dat potum. Inclinat (ait Ambrosius) non evacuat. *Stillavit* (ait Propheta) *super nos maledictio*; quasi stilla est omnis pœna temporalis.

MULTI, QUI PERSEQUUNTUR ME. Hoc verè dicit Ecclesia Sanctorum. Et non tam dolebam ob meas persecutiones, quàm ob prævaricationes legum tuarum, Ideò addit, *Vidi prævaricantes &c.*, Vatabl: *Videns prævaricatores me ipsum excrucio &c.*

VIDE QUONIAM MANDATA TUA DILEXI. Majus quid (ait Ambrosius) est diligere Dei mandata, quàm servare, quia servare quis potest ex necessitate, vel timore.

PRINCIPIUM VERBORUM TUORUM. Campensis: *Caput & summa verborum tuorum veritas*, *aut stabilitas perpetuò durabunt judicia justitiæ tuæ*, ideft sententia tam bonorum, quam impiorum perpetuo stabit. Vel secundum August *Principium*, ideft a veritate tamquam á principio, & fundamento procedunt omnia verba tua.

PRINCIPES &c. Campensis, Tyranni persecuti sunt me insontem: at ego non timeo eos sed solum te; Quasi dicat, si ego custodiero sermones tuos non est, quod formidem eos. Etiam de principibus tenebrarum exponunt aliqui. August. exponit in personâ Ecclesiæ primitivæ persecutæ sine causâ a Regibus, & Imperatoribus, cum tamen Christiani in civilibus super omnes homines parerent principibus ethnicis. Christiani tamen persecuti non formidabant principes, sed illum verbum, *qui negaverit me coram hominibus &c.* Et illud, *timete illum*, *qui potest mittere in gehennam*.

LÆTABOR EGO &c. Ideò persisto constans in persecutionē principum, quia summâ voluptate capior in meditatione eloquiorum tuorum, & majori, quàm habeat, qui invenit maximum thesaurum. Ambrosius exponit de eloquiis scripturæ sacræ, quæ non fecimus, sed invenimus, tamquam thesaurum summè nos consolantem, & ditantem. Hànc tuam diligo, & odio habeo iniquitatem, quantumcumque ob hoc me persequantur magnates.

Judæus (ait Ambrosius) timet contaminari amore tuo, si tetigerit ipsum, cum tamen ipse suâ vitâ contaminet alios:

SEPTIES IN DIE (ideft frequenter, vél semper ut dicit Augustinus) laudo ob tua æquissima mandata, & etiam ob judicia tuæ misericordiæ, & justitiæ. Est autem (ait August.) septies, numerus universitatis, quia per septem dies currunt, & recurrunt universa tempora. Hìc August. exponit illud, *septies in die cadit justus*, *& resurgit*; ideft septies cadit in tribulationem. Cadit autem (ait) quia in conspectu hominum deiicitur. Quia tamen ex omnibus illis casibus coram Deo profugit dicitur,

citur, *resurget:* impii autem corruunt in malum, quia per impatientiam omninò ruunt.

PAX MULTA &c. Ideſt ſumma pax conſcientiæ, & tranquillitas cordis, ac requies animi in Deo eſt illis, qui diligunt legem tuam, & non eſt illis perturbatio in parte ſuperiori ſuæ animæ; ſeù non eſt illis offendiculum, quia nullo accidenti caſu a lege tuâ deſciſcunt. Quamvis enim (ait Auguſtinus) videat multos in peccatum cadere, qui magni reputabantur, non ob hoc ipſe ſcandalizatur, ut etiam cadat. Et propter hanc confirmatæ mentis tranquillitatem (ait Ambroſius) ſcriptum eſt Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non obruent illam.* Et Apoſtolus dicebat, *quis nos ſeparabit a charitate Dei?* Et Iſaiæ 4. *Cum tranſieris per aquam, tecum ero &c.*, ſummus namque (ait) ſapientiæ finis eſt, ut ſimus mente tranquillâ.

Vatabl. magna felicitas parata eſt amantibus legem tuam &c.

EXPECTABAM, ſive *expectavi ſalutare tuum*, ſive *ſalutem tuam*, ideſt totam ſpem meæ ſalutis in te conſtitui, & conſtituo, non ſicut inaniter præſumentes de tuâ miſericordiâ a peccatis tamen non recedentes: ſed diligo præcepta tua: & non ſolum diligo, ſed & vehementer diligo, & cuſtodio: nam probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Sequitur *ſervavi mandata &c.*, ne videretur ſuis viribus, & diligentiæ tribuere cuſtodiam mandatorum divinorum, ſubjungit, quod ideò obſervat ea, quia omnes viæ ejus in conſpectu Domini, ideſt quia Dominus dirigit greſſus ejus. Et ſic exponit Auguſtinus, quaſi dicat: Ideò ſervo, quia tu ponis oculos tuæ miſericordiæ ſuper vias meas ad dirigendum eos, & aſſiſtendum illis.

Alii exponunt *ſervavi mandata tua*, quia ſcio, nihil te latere, ſed omnia fieri corám oculis tuis, qui univerſorum es judex.

APPROPINQUET DEPRECATIO &c. ideſt admittatur oratio mea in conſpectum tuum, ut impetrare poſſim a te donum intellectus, quo intelligam voluntatem tuam, & viam rectam ſalutis meæ. Sic enim promiſiſti dicens: *intellectum tibi dabo, & inſtruam te &c.* Meritò poſtulat (ait Ambroſius) quod admittatur in ſuperna ſua oratio, quia alata erat, cujus alæ erant opera bona: nam peccato graveſcit oratio, & tantò plus gravatur, quantò improbior eſt vita precantis. Eleva actus tuos, & elevaſti orationem tuam: pete a Deo veram intelligentiam, ſeù ſapientiam, quia ſapientia Philoſophorum magis phalerata eſt, quám vera; & ſapientia mundi ſtultitia eſt. Hic dicit Ambroſius, quod Ariani ruerunt in perfidiam, quia reliquerunt Apoſtolum, & ſequuti ſunt Ariſtotelem.

INTRET POSTULATIO. Repetit, ut dicit Auguſtinus, eripe me a deceptionibus dando mihi intellectum.

ERUCTABUNT LABIA MEA HYMNUM &c. Bonus hymnus eructatur poſt deguſtata ſuavia Domini præcepta, ut dicit Ambroſius: dulce, & ardens canticum ex ſtomacho animæ charitatis pleno benè eructatur. Talis erat David, cùm dixit: *Eructavit cor meum verbum bonum.*

PRONUNCIABIT &c. Non ſolùm cum te laudavero promam hymnos, ſed etiam cum hominibus colloquendo, non niſi tua eloqnia tractabo. Juxta illud, *ut non loquatur os meum opera hominum:* & monſtrabo hominibus quantâ æquitate ſunt ſtabilita omnia tua mandata.

Ideò Domine FIAT MANUS TUA UT SALVET ME, quoniam præ omnibus rebus elegi mandata tua.

Et cùm homines varia concupiſcant, ego nihil aliud concupiſco, quám ſa-

 lutem

lutem tuam, ideft falutem animæ meæ, quam tu folus præftare potes. Auguftinus per *falutare* intelligit Chriftum, cujus adventum fummè defiderabat Propheta: *Et lex tua delitiæ meæ funt*. Sic vertunt Vatabl.; & Campenfis.

VIVET ANIMA MEA &c. (Intellige de vitâ fpirituali) per gratiam tuam, & judicia tua, quibus hîc flagellas filios, & electos tuos, quos recipis, adjuvabunt me ad fpiritualem profectum, & falutem æternam.

ERRAVI SICUT OVIS PERDITA declinando a rectâ viâ mandatorum tuorum. Ideo, quia ego per me ipfum non poffum redire ad viam falutis, ficut neque ovis perdita redire poteft ad gregem; Ideo quære me, quia ego non oblivifcor mandatorum tuorum, efto ad tempus neglexerim.

Auguftinus, & Ambrofius exponunt hunc verfum, quafi fit oratio Patrum poftulantium adventum Chrifti ad quærendam ovem naturæ humanæ, quæ perierat. Veni bone Paftor, quære lapfam ovem aberrantem, dimitte nonaginta novem, veni quærere hanc unam miferam, quia illas lupi rapaces incurfare non poffunt: hanc luporum gravium vexat incurfus, quære me, inveni me, fufcipe me, porta me: non mittas fervos, vel mercenarios, fed tu ipfe veni. Venit ergo. At (ait Auguftinus) quærendo judaicis laceratus eft vepribus.

Adverte, quod in Hebræo finguli verfus cujuslibet octonarii ab eâdem literâ incipiunt.

Annot. in Pfalm. 119.

AD DOMINUM CUM TRIBULARER. Nihil certi habetur, quare fequentes quindecim pfalmi dicantur *canticum graduum*, five *afcenfionum*. Quidam dicunt, quia cantati funt populo afcendente ab exilio Babylonico. Alii referunt has afcenfiones ad tonos, ac certos numeros muficæ, quando cantabantur. Auguftinus fpiritualitèr exponit de afcenfionibus animæ ad perfectionem ab ftatu culpæ ad montem, qui Chriftus eft. Et quia (incipit) cum homo Chriftianus cœperit cogitare proficere, incipit pati linguas adverfantium: quicumque illas nondùm paffus eft, nondùm proficit; quicumque illas non patitur non conatur proficere: imò incipit a querelâ linguarum contradicentium. Igitur fi vis afcendere, contemnere felicitatem feculi, folùm Deum cogitare, lucris non gaudere, damnis non contabefcere, tua pauperibus tribuere, ftatim patieris linguas detrahentium, & in multis contradicentium, & quod gravius eft (quafi confulendo) à falute avertentium. Afcenfurus ergò contra ipfas linguas primò Deum deprecatur. Hæc Auguftinus, & addit, quod hæ linguæ dolofæ folent dicere volentibus Deo fervire, non poteris implere hoc, multum eft, quod aggrederis &c. Alii adulantur, alii irrident. Omnia ifta XV. Cantica funt amantium, & amore divino flagrantium, ut dicit Auguftinus tit. Pfal. 126.

Chryfoftomus omnes trahit ad afcenfum Judæorum de captivitate Babylonicâ, & ea, quæ illis contigerunt, quandò reædificabant Hierufalem, ut habes in Nehemiâ.

§. 3. QUID DETUR TIBI &c. (Juxtà Hebr. *quid dabitur tibi, aut quid apponetur tibi, ò lingua dolofa?* Quem fructum capies ex tuâ maledicentiâ, & dolofis verbis? Sunt (ait Auguftinus) verba Dei ad illum, qui vult converti. Quod remedium habebis, quo te munias adverfum linguam dolofam? Chryfoftomus exponit, quod Propheta quærit, quid lucratur lingua dolofa? Et refpondet, quod gravia fupplicia defignata in fagittis, & carbonibus &c.

SA-

SAGITTÆ POTENTIS ACUTÆ &c. Comparat verba maledici, & detractoris sagittis emissis à manu viri fortis, & carbonibus ignitis, quia ità nocent. Cajetanus applicat ad Saülem, quasi dicat David, quem fructum accipies ex dolis, & persecutione meâ, nisi quod sagittis Philistæorum concides, & tandem post mortem corpus tuum comburetur, ut de facto evenit. Secundùm Augustinum dat Deus duo remedia illi, qui vult converti, ut se muniat contra linguas. Primum sagittæ verborum Dei; secundum carbones igniti, ideft exempla peccatorum, qui cum essent ante nigri, & frigidi, igniti facti sunt. §. 4.

HABITAVI CUM HABITANTIBUS CEDAR. Campensis vertit: *habitavi inter tabernacula tristium:* vel intelligitur, quasi David conqueratur, quod vivebat inter Judæos, sicut inter barbaros, *e alarves*, qui habitant tentoria, quæ quotidiè mutant. Quasi dicat, non possum tolerare barbaros eorum mores. Vel loquitur eo tempore, quo ambulabat in desertis profugus a Saüle, ubi assimilabatur *cedar*, ideft Nomadibus, qui nullas habent fixas sedes. Juxtà Augustinum loquitur cœtus Sanctorum in hac vitâ, clamat a finibus terræ, quia anxiatur in hac peregrinatione, & suspirat ad patriam. Et dicitur *a finibus terræ*, quia Sancti dispersi sunt per totum orbem. §. 5.

Cedar filius Ismael, ut patet Gen.25., significat populum carnalem, & tenebrosum: nam Cedar interpretatur tenebræ. Apostolus ad Galat.4. per progeniem Ismaelis intelligit carnales, & filios istius mundi.

CUM LOQUEBAR ILLIS levia, & pacifica, ipsi sine causâ bellum contra me parabant. O (inquit Augustinus) non potest hoc sentire, nisi qui spiritualiter vivit. Dicimus nos hæreticis: pacem amate: justos vos esse dicitis; sed si justi essetis, inter paleam grana gemeritis: nam, quæ sunt vera grana in Ecclesiâ Catholicâ tolerant paleam, donec ventiletur area; quia inter paleam clamant, *Heu me, quia incolatus meus &c.* Habitavi cum paleis, cum tenebrosis. Qui sunt qui oderunt pacem? Qui concidunt unitatem: si enim pacem non odissent in unitate mansissent. Igitur ferendi sunt mali ad tempus. In areâ possunt esse nobiscum mali, in horreo non possunt. O hæretici, *Christus fecit utraque unum*, ideft ex duobus unum, quare vos facitis de uno duo? §. 6.

Quàm laboriosum sit inter malos versari deducit hîc Chrysostomus ex illo Matth.17. *o generatio perversa, quousque ero vobiscum, quousque patiar vos?* Et dicit hæc verba: si vis ad supernas mansiones pervenire, oportet, quod fugias voluptates, & externam vitæ pompam, & speciem conculces, paupertatem, & vitæ contritionem teneas.

Annot. in Psalm.120.

LEVAVI OCULOS MEOS &c. ideft in cœlos, quia scriptum est, *Deus autem noster in cœlis*. Augustinus intelligit Apostolos, & viros Apostolicos, quorum doctrinâ, & exemplis proficimus, & etiam patrocinantur nobis apud Deum. Sed quia principaliter fidendum est Deo, a quo omne bonum, ideò statim subjungit auxilium meum a Domino.

NON DET IN COMMOTIONEM. Alloquitur Propheta animam in Domino confidentem; & orat, quòd Dominus non sinat eam cadere in peccatum. Vatabl. Non sinet pedem tuum vacillare, neque dormiscet custos tuus. §. 3.

DOMINUS PROTECTIO SUPER MANUM DEXTERAM. Dextera est vita æterna promissa servis Dei. De qua Proverb.3. *longitudo dierum in dexterâ illius,* §. 5.

illius, & in finistrâ illius divitiæ, & gloria. Significatur, quod Dominus custodit suos in his, quæ pertinent ad vitæ æternæ consecutionem, quamvis in temporalibus permittat eos tribulari (Vatabl: *Dominus umbra tua astans tibi ad dexteram*) Chrysostomus dicit, quod a metaphorâ eorum, qui stant in acie, stabit ad manum dexteram tuam, ut sis inexpugnabilis, ut dexterâ tuâ potenter vincas, & tropheum erigas.

§. 6. PER DIEM SOL NON URET TE calore, nec Luna frigore, sicut accidit, quando ambulaverunt Judæi per desertum, ut dicit Chrysostomus. Hieronymus exponit: neque prospera, neque adversa te scandalizabunt, ut uraris, & ruas. Augustinus glossat, neque hæresi recedes a Deo, neque schismate ab Ecclesiâ.

Annot. in Psalm. 121.

LÆTATUS SUM IN HIS. Hebr. *lætor, cum mihi dicunt, eamus in domum Domini* (si hoc vis sentire, tolle viscum terreni amoris, quem habes in pennis, munda te ab affectibus sordidis seculi, ut extensis pennis, & resolutis alis possis sine impedimento volare. Augustinus) O (inquit Augustinus) si ferventes, ac nos commonentes imus ad locum sanctum ad celebrandum festum Martyris, quanto magis ad domum Dei cœlestem?

§. 2. STANTES ERANT. Hebr. erunt. Loquitur de Hierusalem terrestri, quatenus est typus Ecclesiæ hîc, vel in cœlo: unde Vatabl: vertit: *Hierusalem, quæ ædificata est ut civitas, in qua simul consociantur homines*: Christiani enim uniti sunt in unâ fide, spe, charitate &c. O (ait Augustinus) jam ibi stamus quicumque fide, spe, & charitate in cœlestem Hierusalem tendimus: jam fruimur eâ, si non fruimur nobis. Hæc est, de quâ loquitur, quia ista est, quæ ex lapidibus vivis jugiter ædificatur. Illa enim, quæ occidit Prophetas, jam ædificata erat, & modò diruta est. O Fratres versus cœlum debemus ædificari, quia fundamentum nostri ædificii, quod est Christus, non est in terrâ, sed in cœlo. Illuc ergo curramus, ut super illud ædificemur. Cives hujus civitatis omnes sunt participes illius, qui est is ipse, idest qui semper eodem modo est, idest Dei immutabilis, & æterni. O felices, qui in hac vita incipiunt participare Dei immutabilitatem, & impassibilitatem; De quo dicitur *confirmatum est cor ejus*.

§.3. Ideò non vocavit eam civitatem, sed similem civitati, sicut non ædificatur ex veris lapidibus, sed secundùm similitudinem. At Chrysostomus exponens hoc de terrenâ Hierusalem dicit, quod quando Judæi redierunt a captivitate Babylonicâ, civitas erat diruta, & ædificabatur de novo, & ideò dicitur ædificari ut civitas: & ideò redeuntes de captivitate imprecantur ei omnia bona, quod fortificetur, & prosperetur in omnibus, ut redeat ad pristinum fulgorem, quando ante captivitatem Tribus ascendebant ad eam, & erat in eâ regia, & solium, ac tribunal David; Sed ut dictum est, omnia erant figura veræ Hierusalem.

§.4. ILLUC ASCENDERUNT, idest in Hierusalem ascenderunt Tribus juxtà testimonium, idest præceptum datum Israeli, quod laudet nomen Domini Exod. 23. O ascendamus, ascendamus: quia qui descendit (ait Augustinus) incidit in latrones. Ascendamus in cœlestem civitatem non pauci, sed turmæ.

§. 5. QUIA ILLIC SEDERUNT SEDES. Et etiam in Hierusalem constitutæ sunt sedes ad judicandum, nempè sedes domus Davidicæ, idest ibi est solium regale, ac tribunal David. Augustinus: animæ sanctæ sedes Dei sunt, quia anima justi sedes sapientiæ: & quia principales Sancti debent assidere, & simul judicare,

cum

cum Christo in die judicii, ideò dicit hoc, & dicit *super domum David*, quia sunt de familiâ Christi.

ROGATE etiam felicia, & prospera, omnium rerum abundantiam, tàm ipsi Hierusalem, quam his, qui diligunt eam. Dicite sic, seu precamini hoc modo; O Hierusalem: *fiat pax in virtute tuâ* (Vatabl:) *in propugnaculis tuis*, idest nemo audeat impugnare muros, aç castella tua: & sic abundantia omnium, ac prosperitas in omnibus rebus, vel palatiis tuis. Faciliter hæc applicantur ad divitias, & delicias Hierusalem militantis, & triumphantis. Turres Ecclesiæ sunt Martyres, Doctores, viri Apostolici. §.6. §.7.

PROPTER FRATRES MEOS. Sunt verba ipsius David. O Hierusalem, propter fratres meos (idest fideles iu Deum) omnia prospera tibi cupio, & postulo, & etiam propter domum Domini, seu templum, quod est in te, omnia tibi utilia desidero. O (ait Augustinus) ago gratias Deo nou prædico propter honorem meum. §.8.

Annot. in Psalm. 122.

AD TE LEVAVI OCULOS. Ecce quemadmodum oculi servorum intenti sunt ad manum (*opem*, ut Chrysostomus) *dominorum suorum*: *& sicut oculi ancillæ intenti sunt ad manus dominæ suæ, sic oculi nostri conversi stant ad Dominum nostrum, donec misereatur nostri*. Quis clamat hic (dicit Augustinus) nisi ille, de quo scriptum est in alio psalmo: *a finibus terræ ad te clamavi*? Quis est hic unus homo diffusus usque ad fiues terræ, cum uuusquisque homo nou nisi in suâ regione possit clamare? Hic est populus Christiauus toto orbe diffusus.

Augustinus expouit, sicut oculi servi, quandò punitur, aut verberatur a Domino, respiciunt ad manus Domini, & dicit: parce, cessa: sic nos continuè in hoc mundo variis tribulationibus flagellati: vel quia hi servi toti pendeut a Domino suo iu victu, & vestitu &c. Et vide (ait Chrysostomus, quàm utilis sit tribulatio: nam Judæi cum essent liberi, obliti erant Dei, ac afflicti in captivitate Babylonicâ dicuut: *Ad te levavi &c.*, qui ante ad idola currebant. §.2.

MULTUM REPLETI SUMUS ignominiâ, multùm repleta (hebr. *saturata*) est anima nostra irrisione opulentorum, & contemptu superborum. Quod exponit Augustinus de insultatione, & derisione carnalium erga spiritualiter viventes; unde in die judicii dicent: *hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii &c.* Juxtà literam nostram supple: anima nostra facta est opprobium abundantibus. §. 4.

Annot. in Psalm. 123.

NISI QUIA DOMINUS. Vatabl: Nisi Dominus, qui præsto nobis est juvisset nos &c.

CUM IRASCERETUR FUROR EORUM IN NOS, jam ut aquæ nos inundassent, & torrens caput nostrum superasset: jam aquæ tumidæ (magno impetu fluentes) superassent animam nostram. Sic (Vatabl., & Campensis) loquitur Ecclesia in suis persecutionibus, aut quævis fidelis, & constans anima. §. 3.

Quid tibi videtur (ait hic Chrysostomus) quod faceret illa bellua insatiabilis, idest Diabolus contra nos, uisi Dominus protegeret nos. Pondera, quod dictum est Petro; *Ego rogavi pro te &c.* Fuit necessaria etiam oratio Domini ad evadendum

dum furorem Satanæ. Juxtà nostram literam Sancti pertraoſierunt populum perſecutorem, aut tolerabiles perſecutiooes, & oiſi Dominus juvaſſet, eſſent iotolerabiles. Torrens dicuntur, quia (ut ait Auguſtinus) repentinis imbribus creſcunt, ſed citò deficiunt: ſic ſunt perſecutiones hujus mundi; & niſi Dominus ſubveniſſet omnino eſſemus obruti.

Annot. in Pſalm. 124.

QUI CONFIDUNT IN DOMINO &c. Materia Pſalmi, quód Deus non relinquit ſibi fideotes &c. Moos Syon, & Hieruſalem Eccleſia eſt. Sicut enim Hieruſalem erat munita, & cincta montibus, ità Eccleſia Angelis, Prophetis, Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, ut dicit Auguſtious. Quomodo enim (ait) poteſt intelligi de terrenâ Hieruſalem, quod non commovebitur in æternum qui habitat in eâ, cum Judæi ejus incolæ ounc profugi ſint in toto orbe terrarum.

§.3. QUIA NON RELINQUET DOMINUS. Eſto ad tempus juſti ferant ſuper ſe dominium iniquorum, tandem liberabuotur, & mali punieotur. Ad literam (ut dicit Chryſoſtomus) ſignificatur, quod non permittet Deus, quod Reges geotiles multo tempore dominentur Judæis, ſed ad tempus breve, ad correctiooem. Sic non permittet, quod plus affligamur ab hoſtibus animæ, quam poſſimus ferre.

§.5. DECLINANTES &c. Vatabl. eos autem, qui deflectunt ad ſuas pravitates, adducet Dominus (damnatos) cum facinoroſis, ut incolumitas ſit Iſraëli.

§.6. PAX SUPER ISRAEL, quia non frui poſſuot pace internâ, niſi videntes Deum, ideſt vacaotes meditationi divinorum: nam *Iſrael* interpretatur *videns Deum*.

Pravitates dicuntur ligationes, aut vincula, qnia conſtringunt ſpiritum, ne poſſit reſpirare, & quieſcere; Unde David ſolutus a vinculis peccatorum dicebat; *ambulabam in latitudine*. Et *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*; Uode ſapiens, *funibus peccatorum conſtringitur peccator*.

Hic dicit Auguſtinus, quod recti corde illi dicuotur, qui voluntatem ſuam ad voluntatem Dei dirigunt; noo voluotatem Dei ad voluntatem ſuam curvare conantur. Chryſoſtomus dicit, quod recti corde dicuntur ſimplices non ficti.

Annot. in Pſalm. 125.

IN CONVERTENDO &c. (Agitur de liberatione a captivitate Babylonica, Diaboli, peccati, & mortis, unde ſumma lætitia) Hebr. *cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti ſumus quaſi ſomniantes*, ideſt cum reduceremur in patriam è Babylooe, tantâ teoebamur lætitiâ, ut videremur oobis ſomoiare reditum noſtrum verius quam illum revera fieri putaremus (quaſi ſimile contigit Petro, quando eductus eſt de carcere; Actuum 12.)

§. 1 FACTI SUMUS SICUT CONSOLATI. Quia conſolatio præſentis ſeculi poſt liberatiooem à Babylone, ideſt confuſione peccatorum, & conſcientiæ diſſipatæ non eſt plena, ſed multis gemitibus mixta, quia non eſt in re, ſed dumtaxat in ſpe: ideò dicit, *ſicut &c.* Auguſtinus.

§. 3. TUNC DICENT INTER GENTES. Omnes gentes converſæ admirantur, quàm magnificè dominus fecit cum omoibus ad fidem, & pœnitentiam vocatis, & car-

carnales etiam Christiani fatentur, quòd magnificè egit Dominus cum omnibus Sanctis, specialiter cum his, quos ex mortuis fecerat vivos, tamquam carbones vastatores.

§. 5. CONVERTE DOMINE (Hebr. *Reduc.*) Chrysostomus ad literam: o Domine fac, quod veniamus de Babylone in Hierusalem cum magno impetu, & vehementiâ fervoris, sicut quando torrens flante austro impetuose currit. Vatabl., ut ita lætemur, sicut lætatur plaga australis, quæ est sicca, torrentibus, & imbribus. Augustinus exponit, quod sicut auster, qui est ventus calidus resolvit, seu liquefacit glacies, quibus liquefactis implentur torrentes, & velociter currunt repentinis aquis, sic Spiritus Sanctus, seu fervor Spiritus Sancti liquefacit glaciem frigidam, & duram peccati nostri, qua resolutâ currunt lacrymæ pœnitentiæ, & impetuosis desideriis currimus ad patriam, sicut torrentes austro flante.

O Domine captivus sum, & venundatus sub peccato, totusque intus rigeo glacie, nullus in me fervor spiritus, ideò mitte austrum tuum (ardentes inspirationes) qui resolvat hanc glaciem cordis mei, fluantque torrentes sanctarum lacrymarum, & gemituum ad te currentium cum impetu.

§. 7. EUNTES IBANT. Mittebant semina (bonam voluntatem, & bona opera, ut dicit Augustinus, præsertim opera misericordiæ) & flent tam ob pericula, & tribulationes mortalis vitæ, quám, quia principalia semina sunt lacrymæ compunctionis: sicut enim (ait hic Chrysostomus) semina jacta in terram habent opus imbribus, ita opera nostra egent lacrymis: & sicut terra opus habet, ut aretur, & proscindatur, ita nos egemus tentationibus, & afflictionibus.

§. 8. VENIENTES (post messem, quæ erit in die resurrectionis, & judicii) portabunt coronas meritorum.

Annot. in Psalm. 126.

NISI DOMINUS ÆDIFICAVERIT. Materia psalmi, quod sine Dei benevolentiâ, & auxilio frustra est omnis conatus. Ad literam intelligitur de familiâ: idest nisi Dominus aliquam familiam servaverit, dando procreationem filiorum &c. (Augustinus) In vanum laborant omnes prædicatores ad propagandam, & reformandam Ecclesiam, nisi Christus ejus sponsus juvet: quia ipse solus ædificat intus. Et quod invanum vigilant Episcopi super Ecclesiam: *nisi Dominus eam custodierit*. Et dicit, *quod vanum est surgere ante lucem*, quæ Christus est, ut faciunt superbi. *Surgite postquam sederitis*, ideft post humilitatem exaltabimini, sicut in alio psalmo: *tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam*. O vos qui manducatis panem lacrymarum, qui dicitis, *fuerunt lacrymæ meæ panes &c.*

§. 3. VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE (idest *muito madrugar*) Et *vanum est vobis* serò quietem capere, idest *lancarvos muito tarde: vobis*, inquam, *qui manducatis panem doloris*; Et quare dicis nos in vanum hæc facere? Respondet, quia Deus dat dilectis suis somnum, idest a Deo dilecti assequuntur absque dictis laboribus, quæ vos magnis laboribus assequi non potestis. Sic juxtà hebr. Vatablus.

Chrysostomus exponit, quod postquàm Judæi reversi fuerant de Babylone conabantur magnis laboribus reædificare civitatem, & templum (unde Joan. 2.) dicitur, quod *quadraginta sex annis fuit ædificatum*, & ideò dicunt se in vanum laborare, nisi Dominus subveniat: præsertim quia eo tempore ob impetum ho-

hostium unâ manu tenebant gladium, & aliâ faciebant opus, ut dicitur Nehemiæ 4. Dicebant ergo sancti viri laborantibus, non confidatis in vestris vigiliis, & laboribus, sed præcipuè confidite in Domino, quia cum ipsi placuerit *dabit dilectis suis somnum quietis*, *& dabit etiam hæreditatem*, idest perpetuitatem progeniei dando multos filios, qui sunt fructus ventris, ac merces in Deo sperantium: & sic ædificabitur familia, ut in primo versu. Et est hæc expositio Chrysostomi conformis hebræo, secundùm quod habetur: ecce filii sunt hæreditas Domini, & fructus ventris sunt præmium. Augustinus glossat, quòd Electi, qui sunt hæreditas Christi, sunt fructus ventris Ecclesiæ, quæ parturit ipsos, & parit, & sunt merces meritorum Christi quorum filiorum proles, idest Apostoli fuerunt similes sagittis excussis ab arcu potentis, idest Christi, qui eos tamquam sagittas per totum orbem jecit, potenter excussit usque ad fines terræ. Et dantur *etiam filii excussorum*, idest Prophetarum.

Aliter Bernardus: *cum dederit dilectis suis somnum* mortis, mox introibunt in hæreditatem Domini, quæ hæreditas sunt filii Dei, qui sunt merces Christi, qui est fructus ventris virginalis. Itaque legatur *fructus* in genitivo, nam Electi sunt merces Christi, quia meritis suis acquisiti.

§. 4.

SICUT SAGITTÆ, idest, juxtà Chrysostomum, non solùm dabit Dominus plures filios, sed etiam erunt fortes similes sagittis emissis ab homine potente, & valido, idest ità percutient (& dicuntur tales *filii excussorum*, idest exulum, qui scilicet in Babylone exulaverant excussi a propriâ patriâ) & erunt adeo egregii milites, quòd felix erit ille dux, qui impleverit pharetram, idest exercitum suum talibus militibus, seù sagittis, *porque terà a barba testa a seu imigos, quando lhe quiserem cometter asportas de citade* Vatabl:, & Campensis non vertunt *filii excussorum*, sed *filii adolescentes*, *aut juvenes*. Vocantur (ait Augustinus) Prophetæ excussi ad modum, quo excutitur granum a paleâ, vel medulla a cortice, quia locuti sunt obscurè, & involucris ænigmatum, & fuerunt excussi, & explicati ab Apostolis.

§. 5.

Annot. in Psalm. 127.

BEATI OMNES, QUI TIMENT. Hìc psalmus pertinet ad carnales benedictiones legis veteris, sed (ait Augustinus) cùm videamus sæpè Paganum, Idolatram &c. in proprio lecto decrepitum, circumdatum turbâ filiorum, & nepotum, ad spiritum oportet confugere. Populus ergò Christianus (qui est unum in Christo) est, cui dicitur; *Manducabis labores manuum tuarum* in æternâ beatitudine. Et Christo ipsi dicitur, quod uxor ejus, scilicet Ecclesia quotidiè parit ei filios spirituales, qui assimilantur *novellis* (seu *plantulis*, ut Vatabl.) *olivarum*: quia soli amatores pacis (qui designantur in olivâ, quam attulit columba ad pacem designandam) sunt veri filii Ecclesiæ, & Christi. Et, esto, fuerint hæretici ante baptizati extrà Ecclesiam, sicut oliva, quam attulit columba, fuit baptizata extra arcam; si tamen a columbâ, idest Spiritu Sancto trahuntur ad pacem Ecclesiæ, salvantur.

BENEDICAT tibi Dominus ex cœlesti Sion, & videas in æternum bona cœlestis Hierusalem, *& filios filiorum*, idest fructus, & præmia tuorum meritorum, ut dicit Augustinus. nam bona opera sunt filii, & pariunt alios filios, scilicet cœlestia præmia.

§. 6.

An-

Annot. in Pſalm. 128.

SÆPE EXPUGNAVERUNT ME &c. (Hebr. *oppugnaverunt*) Significatur perpetuum prælium inter Eccleſiam Sanctorum, & cœtum carnalium. Mox incœpit inter Abel, & Cain, inter Enocb, & ſuos contemporaneos, inter Noè, & peremptos in diluvio, inter Jacob, & Eſaù, qui etiam in utero materno luctabantur, & pugnabant, & cruciabant matrem. Videns ergò Eccleſia, ſe tot habere filios falſos, & carnales, qui eam impugnant, conſolatur ſe exemplis antiquorum temporum, dicens: o quomodo ſemper fui impugnata non ſolùm ab extraneis, ſed etiam a falſis filiis, tamen *non potuerunt*, ideſt non prævaluerunt mihi; non ſolùm, quia non potuerunt Eccleſiam exterminare de mundo, ſed etiam (ut ait Auguſtinus) non potuerunt agere, ut præberem conſenſum peccatis eorum; Quid ergo, ſi boni non poſſunt convertere ad ſe malos, neque etiam conſentiunt peccatis eorum? Oporteret quod tolleret eos ſuper dorſum ſuum uſque dùm vel convertantur, vel per mortem excutiantur a Deo de dorſo bonorum. Et ſi tu non ſuſtines malos, aut fortè non vides eos, ſignum eſt, quod non es bonus; quia zizania non apparet, niſi poſtquám creſcit triticum, ut dicit Matth. 13. ideſt Soli, qui in bónitate creverunt, diſtingunt, & cognoſcunt malos, & perſequuntur ab eis. Nulli quippe apparent mali in Eccleſiâ, niſi ei, qui fuerit bonus. Sunt duo in unâ Eccleſiâ, ſcilicet malus, & bonus; Quid tam propè, quàm duo homines in unâ Eccleſia? Quid tam longè, quàm iniquitas a juſtitiâ? Hæc Auguſtinus.

Chryſoſtomus dicit, quòd ſunt verba populi redeuntis de Babyloniâ, ac reædificantis Civitatem, & patientis perſecutiones illas a gentibus, de quibus habes Nehemiæ 4.

§. 3. Vatabl: & Campenſis vertunt; *In dorſo meo araverunt aratores, longos fecerunt ſulcos*. Significantur ſtigmata, ſeu veſtigia relicta ex perſecutionibus, & afflictionibus.

Sed tandem quid fiet? *Dominus gladio ſuo concidet cervices peccatorum*, ideſt cervicatos ſuperbos: ſi enim eſſent peccatores non cervicati, ſed cognoſcentes peccata ſua, non jugularentur. Hebr: habet *funes*, ideſt inſidias, ut exponit Chryſoſtomus.

§. 5. FIANT SICUT FŒNUM, quod naſcitur ſuper tecta, quod quia vile nullus dignatur evellere, ſed priùs exareſcit: nullus quippe meſſor dignabitur implere manum ſuam de eo, ac domum deferre: neque & pauper, qui vadit ad agrum ut colligat eos manipulos, qui fortè præterierunt manum meſſorum, curabit implere ſinum ſuæ paupertatis tali fœno, neque illi, qui præterierint juxtà locum; ubi eſt tale fœnum dicent unquam, quod ſolet dici meſſoribus tritici, ideſt proſperè veniat veſtra ſeges, dominus benedicat ſegetem veſtram. Hic eſt ſenſus juxtà Hebr.

Iſai. 40. dicit, quod omnis homo eſt fœnum, aut David dicit, quod eſt vilius omnibus fœnis, nam fœnum tectorum inter omnia viliſſimum eſt.

Optimè, (ut dicit Auguſtinus) comparantur peccatores ſuperbi fœno, quod naſcitur in tectis, quia in alto videtur, & tamen radicem non habet. O quantò meliùs humilis naſceretur, ut haberet radicem, & lætiùs vireſceret. Quid prodeſt illa altitudo, niſi ad celeriorem ariditatem? Nondùm venit meſſis, ideſt judicium Dei, & tamen fœnum jam non habet ſuccum viriditatis, jam exaruerunt opera eorum, venient meſſores Angeli (Matth. 13.) & non mittent fœnum in horreum, ſed colligent, ut mittant in ignem:

 Tran-

Transeuntes ergò per bujus mundi viam, tamquam peregrini, quales fuerunt omnes prophetæ, Apostoli, Sancti &c. nunquam benedixerunt fœno erecto in tectis, imò semper maledixerunt, & increpaverunt superbos, ut paret in totâ scripturâ; solis humilibus, & servis Dei, in quibus radicem charitatis viderunt, illis benedixerunt in nomine Domini. (Hoc Augustinus) carnalibus verò; *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis &c.*

Annot. in Psalm. 129.

DE PROFUNDIS CLAMAVI AD TE. Est Oratio hominis valdè oppressi, & afflicti; Undè moderni exponunt *de profundissimis malis*, seù *de profundo omnium adversitatum*; Quamvis Chrysostomus exponat *de profundissimo corde*, idest non solùm linguâ clamo, sed ex profundis cordis penetralibus. Qui orandi modus (ait ipse) potentissimus est coràm Deo, ut orabat Anna 1. Reg.1., & Helias 3. Reg.10., & 19. Unde (ait) quandò oscitavit Helias ad suscitandum puerum, non oscitabat sicut nos; sed significatur summa alacritas, & incensio in orando. Magno ergo calore orandum, ut caloris vi animi durities mollescat, & frigidiras incalescat. Veh illis, qui venientes in profundum peccatorum contemnunt clamare, ut dicit Proverb.18. (Felix Jonas, qui in profundo maris, & in profundo ventris ceti, etiam inde clamavit). Cajetanus exponit de adventu Messiæ:

§. 3. SI INIQUITATES OBSERVAVERIS; Si fueris severus Judex erga iniquitates.

§. 4. PROPTER LEGEM TUAM SUSTINUI TE. Quam? Chrysostomus dicit, quod illud, *Non secundùm peccata nostra fecit nobis &c.* per sex versus. Augustinus allegat verbum illud, *si dimiseritis peccata vestris debitoribus, & Pater vester dimittet vobis.*

§. 6. A CUSTODIA MATUTINA &c. Idest totis diebus, & totis noctibus. Sic Chrysostomus, Vatabl., & Campensis vertunt. Anima mea dominum expectat à vigiliis,seu excubiis matutinis usque ad vigilias matutinas, idest anima mea ardentius expectat Dominum, quam vigiles nocturni tempus matutinum. Vigiles, inquam, qui somno gravati matutinum tempus expectant, quo dormire liceat ipsis, quia totâ nocte non dormiunt.

Annot. in Psalm. 130.

DOMINE NON EST EXALTATUM. David suo exemplo docet unumquemque humilitèr de se sentire.

§. 2. NEQUE AMBULAVI IN MAGNIS. Vatabl: neque ostentavi res magnas, neque, quæ concessæ non fuerant, arrogavi mihi, idest non tentavi agere, quæ erant super vires meas, neque tentavi scrutari altiora secreta, quæ erant supra me.

§. 3. SI NON HUMILITER SENTIEBAM &c. Dicit Chrysostomus, quod est hyperbaton, & quod litera sic constituenda est: *si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus a matre suâ, sed potius exaltavi animam meam, talis retributio mibi fiat.* Idest si ego coram Domino non eram tàm humilis, & simplex, ac totus ei inhærens, sicut est quidam puer parvulus nunc primo a lacte semotus, sed fui superbus; ità mihi retribuatur, sicut Deus solet superbis retribuere. Et ut pulcherimè

rimè dicit Chryfoftomus comparavit fe non puero, quem mater adhuc admittit ad ubera, fed illi, cui de novo negat mammas: quia hic illis primis diebus ablactationis ægerrimè fert fubftractionem dulcis lactis, & ideò jugiter poft matrem currit, gemit, luget, ejulat, non dimittit eam, ut reftituat lac: fic ego in auguftiis, & accidiis meis me habeo ad Dominum. O Domine redde mihi lætitiam falutaris tui, reftitue mihi lac tuæ dulcedinis, & confolationis, quia non poffum fine illo vivere.

Auguftinus exponit, fi ego non fenfi de me humilitèr, eveniat mihi, vel retribuatur mihi, quod evenit parvulo ablactato fuper matre, ideft ablactatus ante tempus quando adhùc eget inniti matri, quando adhuc eft fuper matrem, quia nondùm poteft per fe fumere cibum, fed oportet, quod fumat per matrem: nam panis, quem edit mater, venit ad mammillas, ut fic poffit accipi a parvulo, quem non poterat in fe ipfo accipere; ficut enim hi parvuli intempeftivè ablactati, deficiunt, & moriuntur, fic evenit fuperbis, qui lacte divinæ gratiæ privantur, *nam Deus fuperbis refiftit, humilibus autem dat gratiam*.

Vel ut Vatabl., & Campenfis: lege fic, fi ego non fui humilis, fed exaltavi me: fi ego non fui erga te (o Domine) qualis eft infans nunc recenter depulfus ab uberibus, qui folus figere greffus non poteft, fed matris fubftentatur manu, & totus à matre pendet, cum ex fe nihil poteft; fi ego non fic me judicavi, & geffi erga te, malè mihi eveniat, aut fruftrer fpe meâ.

Annot. in Pfalm. 131.

MEMENTO DOMINE DAVID. In hoc Pfalmo primò continetur defiderium, quod habuit David ædificandi templum Domino: (tamen Deus ordinavit quod non ipfe, fed filius ædificaret, 2. Reg.7. II. de promiffione ei factâ de Meffia, & Syon, ideft Ecclefiâ. Quàm manfuetus fuerit David etiam adversùs hoftes patet 1. Reg.24. Hebr. habet *afflictionis*, ubi nos habemus *manfuetudinis*. Et (ut hic dicit Chryfoftomus) David, & Moyfes verè manfueti fuerunt, quia ferebant peccata, & injurias factas contra fuas perfonas, acriter tamen invehebantur contra injurias in alios commiffas.

SICUT JURAVIT DOMINO. Hebr. non habet *ficut*, fed *qui* (fcilicet David) *juravit Domino*; At legendo *afflictionis*, benè fequitur, *ficut*: quafi dicat, memento omnis afflictionis, quam pertulit, ut ædificaret tibi templum. §. 2.

Votum confiftit in hoc; *Mal me venha, fe eu entrar em minha cafa, e me lancar, em minha cama defeafadamente, tee que naõ cumpra meu voto edificando templo, em que efteja a arca do fenor*. Ita quod eft modus jurandi etiam apud nos ufitatus, *mal me venha fe eu comer bocado defcanfado, ou dormir fonno repoufado tee que faça tal coufa*.

ET REQUIEM TEMPORIBUS. Tempora (ait Auguftinus) circà oculos funt, & omnibus dormituris incipiunt gravari tempora: & cum fenferint fibi gravari tempora, jam imminet fomnus, & tunc datur requies temporibus apodiando ea; & fic venit fomnus. Sic cum aliquod delectabile incœperit te follicitare gravantur tibi tempora. Igitur quid agendum? Non des falfam requiem eis, excute gravedinem illam, confrica oculos internos aliquâ fanctâ cogitatione; & recedet gravedo, & fic paras locum Domino. Cave non folùm a dormiendo, fed etiam a dormitando: nam dormitant, qui aliquantulùm fe retrahunt ab amore rerum temporalium, & rurfum revolvuntur in eum, ficut dormitantes, qui caput crebrò §. 5.

inclinant. Igitur excute somnum, quia dormitando tandem casurus es. Hoc Augustinus.

§.6. ECCE AUDIVIMUS EAM IN EPHRETA. Dat rationem desiderii sui, quia arca Domini ab antiquo tempore errabat huc, & illuc non habens certum locum ad quiescendum. Et Chrysostomus dicit, quod *Ephreta*, *& campi* significat loca, ubi arca mansit post ingressum terræ promissionis. Vatabl: aliter exponit, dicit enim, quod David narrat hîc, quod cum adolescens esset in Bethlem (quæ est *Ephreta*) audiverat a senioribus de loco, ubi erat ædificandum templum Domino, scilicet in monte Moria in areâ Ornan, qui est campus silvosus; Et postea, cùm factus est Rex, invenit, & intellexit sic esse voluntatem Domini, quod ibi ædificaretur, utpote revelante hoc sibi Gad propheta. Vide 2. Reg.24. & primo Paral.21.

Augustinus convertit ad spiritum, & dicit, quod templum Domini, idest Ecclesia Christi primò audita est, ac prophetata a Prophetis (qui dicuntur *Ephreta*, idest speculum, quia continebant imaginem futurorum. Hieronymus autem dicit, quod Ecclesia incepit in *Ephreta*, quia ibi natus est Christus) deinde inventa est in silvâ gentilitatis, ubi erant infiniti vepres idolatriæ.

§. 7. INTROIBIMUS. Ideft ædificato templo adibimus ipsum ad adorandum Dominum, qui præsidet in propitiatorio habens arcam, quasi scabellum pedum suorum.

§. 8. SURGE DOMINE. Invitat Dominum, & arcam ut veniant ad templum ædificandum a Salomone (Augustinus applicat, quod sicut Christus surrexit gloriosus animâ, & corpore, sic Ecclesia ad eandem gloriam sequetur ipsum).

§. 9. SACERDOTES TUI &c. Loquitur de lætitiâ Sacerdotum, & Levitarum in cantandis divinis laudibus ædificato templo.

§.10. PROPTER DAVID SERVUM TUUM. Refertur ad prædicta: idest Domine concede prædicta propter David, & ne averseris faciem uncti tui.

§.11. JURAVIT DOMINUS DAVID VERITATEM, ET NON retractabit. *Aliquem ex filiis tuis ponam super solium tuum*. Quamvis hoc etiam impletum sit in Salomone, principalitèr tamèn dirigitur ad Christum, cujus Salomon est figura.

§.14. ELEGIT DOMINUS SYON. Idest Ecclesiam.

§.15. HÆC REQUIES MEA &c. O admiranda bonitas Dei! Quando non requiescimus in eo, dicit ipse se requiescere in nobis; vocat requiem nostram suam. Ad literam significatur, quod arca non erat habitura in mundo alium locum firmum præter Hierusalem.

§.16. VIDUAM EJUS. Vatabl., & Campensis: annonam ejus copiosissimam faciam, ita quod etiam pauperes saturentur. Tota Ecclesia (ait Augustinus) una vidua est deserta in hoc seculo, si novit viduitatem suam; abest enim sponsus visibilitèr. Quid igitur faciet? Quod monet Apostolus 1. ad Timoth:3. *speret in Domino, persistat in orationibus nocte, ac die. Nam quæ in delitiis vivit, vivens mortua est*. Interpellet importunè judicem æternum contra adversarium suum Diabolum, ut Luc. 18. Hæc vidua habet veros pauperes esurientes, & sitientes justitiam, & ideo saturantur a Domino, sicut dictum est: *edent pauperes, & saturabuntur*. Hi pauperes sunt vera membra Ecclesiæ. Et ut idem dicit, benè possunt esse aliquando divites rebus. Nam si quis habet divitias, tamen non præsumit ob illas, sed humiliat se Deo, contemnit eas sciens, quod nihil valent, imò impediunt

diunt pedes ejus, nisi benè eas regat, & subveniat egentibus &c.; Talis est pauper à Deo saturandus.

SACERDOTES EJUS INDUAM SALUTE. Hebr., ideſt *protegam*, & *servabo*; Vel, ut dicit Augustinus, induuntur salutari, ideſt Christo, qui implent illud, *induimini Dominum Jesum Christum*. §.17.

ILLUC (vel ibi, scilicet in Syon) PRODUCAM CORNU DAVID: ideſt augebo robur ejus, ac regiam dignitatem, sicut ad literam fuit aucta in Salomone; Et semper ex posteris David erit aliquis in solio ejus velut lucerna: quasi dicat, non extinguetur familia, ac Regia dignitas Davidis, ut manifestè impletum est in Rege Christo immortali, in quo non ad mensuram efflotuit sanctificatio Dei.

Annot. in Psalm. 132.

ECCE QUAM BONUM, ET QUAM JUCUNDUM. Commendatur unitas Populi in unâ fide, spe, & charitate: Et dicit, quod suavior est concordia fratrum unguento suavissimo, & odoratissimo, quod effundebant super caput summi Sacerdotis, quando ungebatur, & defluebat per barbam usque ad fimbrias vestimentorum. Nam sicut ros fœcundat montes, scilicet Hermon, & Syon (debes construere: sicut ros, qui cadit super montem Hermon, & etiam super montem Syon) ita fœcundantur concordes a Deo omnibus bonis spiritualibus, & corporalibus, & demum vitâ æternâ. (ut dicit hîc Chrysostomus) Quædam res sunt delectabiles, non tamen sunt honestæ: quædam sunt honestæ, non tamen delectabiles; tamen concordia, & charitas utrumque babet.

Hic primus versus (ait Augustinus) peperit monasteria, & agit hîc contra insultantes huic nomini *Monachi*, dicentes, quod non est in scripturis, & contra irridentes salutationem *Deo gratias*.

Per *unguentum* igitur gratiam Spiritus Sancti, quæ primò in capite nostro Christo: deinde descendit in barbatos, ideſt fortes milites, scilicet Apostolos, & viros Apostolicos usque ad fimbrias, ideſt minimos fideles.

Si Hermon (ait Augustinus) valde distat a monte Syon, cum ille sit trans Jordanem, quomodo dicitur, quod ros montis Hermon descendit ad montem Syon? Respondet, quod Hermon interpetratur lumen exaltatum, quod est Christus in Cruce, ex quo *ros*, ideſt gratia Dei descendit in Syon, ideſt in Ecclesiam. Attende tamen, quod Deut.4. dicitur, quod mons Syon, & mons Hermon idem mons sunt. Et fortè Hermon est in supremis collis in cacumine montis Syon, in quem primo descendit ros, & deinde in montem Syon. §.3.

Annot. in Psalm. 133.

ECCE NUNC BENEDICITE &c. Invitat omnes habitatores in domo Domini (nam ultra Levitas multi alii ibi morabantur in cellis, ut patet de Anna, Luc.2.) ad laudem Domini diebus, & noctibus. Atria (ait Augustinus) sunt ampliora spatia domus. In charitate latitudo est, in odio angustia; Qui in atriis stat non angustiatur, non premitur: quodammodo delectatur. Sic si habes latitudinem charitatis ad amicos, & inimicos; in atriis Domini manes, idoneus es ad benedicendum Dominum, & vacare illi præsertim noctibus. Nam est tempus aptius orationi. Unde Dominus nocte orabat, & etiam noctibus adversitatum.

An-

Annot. in Psalm. 134.

LAUDATE NOMEN DOMINI. Invitantur omnes ad laudem Dei ex consideratione bonitatis, & potentiæ ejus.

§. 3. LAUDATE DOMINUM QUIA BONUS DOMINUS. O (ait Augustinus) ineffabili dulcedine teneor cùm audio *Bonus Dominus*: bonus simpliciter & sine addito; De homine dicitur bonus homo, & sic de aliis rebus: de Deo dicitur bonus, scilicet, ex se.

§. 4. QUONIAM DOMINUS elegit sibi Jacobum, & Israelem in suum peculium.

§. 5. QUONIAM EGO COGNOVI, quod magnus est Dominus, magnam habet emphasim, sicut illud; *quia fecit mihi Dominus magna &c.*

§. 6. OMNIA QUÆCUMQUE VOLUIT FECIT &c. Non sic tu: nam neque uxor, neque filii, neque servi faciunt quæcumque vis, neque tù in te ipso facis quæcumque vis. Velles namque, quod te non molestaret titillatio cupiditatum, & tamen molestat, ut de se dicit Apostolus ad Rom. 7. Augustinus.

§. 7. EDUCENS NUBES AB EXTREMO TERRÆ &c. Idest, qui elevat vapores, & alias exhalationes ex superficie terræ: nam ex terrâ irrigatâ (vel etiam ex mari, quod cingit terram, & ideò dicitur extremitas terræ) elevat vapores, qui vertuntur in nubes, & nubes in pluvias, ut exhalationibus terræ siccæ fiunt venti, tonitrua &c.

Et facit aliud mirabile (dicit hîc Chrysostomus) quod nubes non pariunt imbres, ubi elevantur, sed præteritis pluribus civitatibus, & gentibus alibi emittunt.

FULGURA IN PLUVIA FECIT, idest miscet pluviam cum fulguribus; quod videtur contra naturam (ut dicit Chrysostomus), quia proprium est aquæ extinguere ignem. Augustinus dicit, quod exhilarat nos cum illâ mixtione; nam solis fulguribus turbaremur. Unde mysticè exponit, quod Dominus minas ad misericordiam flexit.

§. 8. ET EDUCIT VENTOS DE THESAURIS, seù reconditoriis tuis; sunt enim venti invisibiles, & nesciunt, undè veniant, aut quò vadant, ut dicit Joan. 3. secundùm unam expositionem (dicit hîc Chrysostomus, quod venti in mari choreas ducunt ad transportandum nautas).

Ventos, idest spirituales prædicatores: Augustinus: & dicit quód tunc occidunt primogenita hominum, & pecorum, quando tam docti, quam indocti perdunt fidem, quæ est prima virtus.

§. 14. JUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM &c. Vindicavit Dominus, & de servis suis solatium reportabit: vel ut Campensis: *Cum servis suis redibit in gratiam*, imò etiam cum hostibus conversis. O Judæe (ait Augustinus) jam crucifixisti, jam pendentem derisisti, jam agitasti caput &c. Veni bibe sanguinem, quem effudisti.

Hîc narrat Augustinus quomodò de remotissimis, & arduis montibus veniebant rustici ad fidem. Quærebamus illis: quid vultis? Dicebant videre gloriam Dei.

An-

Annot. in Psalm. 135.

CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS &c.
QUI FECIT CŒLOS IN INTELLECTU: ideſt ſummâ potentiâ, ſummo ingenio, & induſtriâ:

QUI FIRMAVIT TERRAM SUPER AQUAS. Quia ea pars terræ, quæ dicitur arida, in cujus littoribus finitur mare, ſuperior videtur eſſe mari, ſicut (inquit Auguſtinus) Dominus dicebatur eſſe ſuper fontem, quia erat ſuperior eo, quamvis non ſtaret ſuper aquas ejus. §. 6.

Annot. in Psalm. 136.

SUPER FLUMINA BABYLONIS &c. Oſtenditur ad literam lugubris ſtatus Iſraelitarum in exilio Babylonico. Vatabl:, & Campenſis, non habent *ſuper* ſed, *ad flumina*, ideſt Euphratem, qui currit per mediam Babylonem, & Tigrim. Et ſic ſalicibus Euphratis, qui erat inter Babylonem, ſuſpendebant cytharas ſuas. Chryſoſtomus tamen dicit, quod dicuntur ſedere ad flumina, quia extra urbes, & muros habitabant, tamquam captivi, & dicit, quod hinc videtur, quàm utiles ſunt tribulationes, *que farem ter lembranca das couſas do ceo ſpirituaes*.

Veri Dei filii (ait Auguſtinus) vivunt quaſi exules, & captivi in hac Babylone mundi hujus. Habet hæc Babylon multa flumina impetuoſè currentia, ſcilicet voluptates, honores, divitias &c., in quibus requieſcunt filii, & amatores Babylonis in eis natantes, imò ſe immergentes. Filii autem Hieruſalem cœleſtis non ſe mittunt in hæc flumina, ſed ſedent ſuper ea, in humilitate, & mortificatione, vacantes fletibus tùm ob proximos, qui a dictis fluviis rapiuntur, tùm recordatione, & deſiderio cœleſtis Syon, a qua peregrinantur, in cujus atriis jam habent ſtantes, ſeu collocatos affectus, juxtà illud *ſtantes erant pedes noſtri*, ideſt affectus, qui ſunt pedes animæ. Aliquando ſuſpendimus cytharas noſtras, (documenta ſcripturarum, ac divinas promiſſiones) ſuper ſalices, ideſt ſuper infructuoſa ligna rrigata aquis fluviorum Babylonicorum, ideſt ſuper carnales, docendo eos divina, ed ſine fructu. §. 2.

Quia illic in Babylone requirebant à nobis captivatores noſtri, ut cantaremus eis cantica Hieruſalem, quibus reſpondimus: *quomodo cantabimus &c.* Si o Hieruſalem ego oblivisſcar tui, & in gratias alterius, quàm Dei mei pulſavero cytharam meam, pereat dextera, qua pulſo, vel dextera oblivisſcatur artis muſicæ.

Dicit Chryſoſtomus, quod ipſi ex zelo, & reverentiâ legis nolebant propalare illa cantica gentilibus, ne inſultarent, & contemnerent: & dicit, quòd per dexteram fortitudo ſignificatur, ideſt amittam vires.

Auguſtinus dicit, quòd captivatores generis humani, ideſt Dæmones babitantes in civibus Babyloniæ ore eorum quærunt a civibus Hieruſalem: quid profuit Chriſtus mundo, cùm res humanæ ſint modo in pejori ſtatu, & infeliciori? Et hoc dicunt, quia vellent habere illas antiquas voluptates theatrorum, ciborum, meretricantium &c. ità ſecurè ſicut ante. Reſpondemus, quod oportet nunc eſſe majora flagella, & amaritudines temporales, ut æternæ voluptates deſiderentur, & plantetur in cordibus charitas Hieruſalem. *Veyo tempo de metter azeitona non logar*, *e fazer aze ite* a poder do *peſo do feixe e ſe expremeſſe a agoa ruſa* malarum cupiditatum. Quomodo cantabimus carnalibus cantica Syon? Irrident enim,

aut

aut non curant. Cantavit Dominus canticum Syon, quandò dixit adolescenti diviti, *si vis perfectus esse*. Matth. 19. Ille autem recessit tristis. Similiter Paulus cantabat divitibus, ut 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri &c.* Et tamen ipsi non curant. Ideò cogimur *suspendere organa*, idest ad tempus tacere usqoe dum salices incipiant esse ligna fructuosa, & habeant aures audiendi, tunc licebit utiliter cantare dicta cantica. Augustinus.

§. 6. Per *dexteram* Augustinus intelligit vitam æternam; Hæc enim debet esse dextera nostra, sicut prosperitas temporalis sinistra: quasi juret, ut nos solemus. *Hunca eu veja a face de Deos, se me eu esquecer de patria celestial*, & non præposuero eam omnibus.

§. 7. AFFIGATUR LINGUA MEA PALATO MEO, ita quod non possim loqui, si non posuero præcipuum gaudium meum in recordatione tui, o Hierusalem: vel si non prætulero luctum, & fletum ob tui memoriam omnibus lætitiis. (Augustinus) si ego non habuero linguam ad cantandum cantica spiritualia, obmutescam ad cantica barbara hujus Babylonis.

§. 9. MEMOR ESTO &c. O Domine recordare, qualiter se gesserint filii Edom, sive Idumæi, cum vastaretur Hierusalem: quomodo dixerunt, *evertite*, *evertite illam a fundamentis &c.* sic Hebr.. Sic (ait Augustinus) carnales semper conati sunt vastare Ecclesiam, ne sint Christiani, aut ne sint veri, & spirituales Christiani.

Edom, idest sanguinis, & significantur omnes sanguinei, idest carnales, & (ait Augustinus) omnes carnales spiritualibus inimici sunt, omnes concupiscentes præsentia persequuntur eos, quos vident meditari æterna.

§. 11. O FILIA BABYLONIS (dicitur *Filia*, ut dicit Augustinus, sicut *filia Syon* propter successionem ab antiquiori) sive, ò Babylon misera. Beatus ille erit, qui talionem tibi retribuet, & supplicium de tè sumet prò omnibus malis, quibus nos affecisti. Ille enim non solum viros occidet, sed etiam innocentes infantes, quibus hostes parcere solent, ab uberibus matris eripiet, & ad lapides allidet, sicut fortè Babylonii fecerunt in Hierusalem. Augustinus: o Babylon, quando eramus parvuli, docebas nos falsa, & turpia, ac vana (nàm infideles docent filios suos ab infantiâ errores: & carnales Christiani docent filios suos ab infantiâ superbiam, avaritiam, luxuriam, jurare &c. corruptis exemplis, & aliquando suasionibus) occidebas nos spiritualiter: sic fiat, ut reddamus tibi talionem, occidendo peccata consummata contritione, & confessione ad petram Christianam. Parvulos autem, idest malas concupiscentias, quando mox nascuntur ad petram eandem elidemus, non præstando consensum, sed resistendo.

Annot. in Psalm. 137.

CONFITEBOR TIBI DOMINE. Protestatur David, se laudaturum Deum ob beneficia recepta (*in toto corde*) Sic flamma tui amoris totum cor possideat, quod nihil sibi relinquatur (*quoniam audisti*) vel illis (ait Chrysostomus) qui postquam accipiunt postulata languescunt in gratiarum actione. Dicit hìc Augustinus, quod, esto, hic agatur de confessione laudis, non peccatorum, tamen est consuetudo omnium, quod cum audiunt *confitebor*, statim tundunt pectus, quia semper intelligunt de confessione peccatorum.

§. 2. IN CONSPECTU ANGELORUM. Quidam vertunt *judicum*. Alii *Magnatum*. Alii *invitis diis aliarum nationum*.

Si

Si homines non vident (ait Auguſtinus) gaudium, quo afficior laudando te, vident Angeli. *Adorabam ad templum*, ideſt coram Eccleſiâ triumphante, & cœtu Angelorum (ut dicit Auguſtinus) Chryſoſtomus: confitebor animi promptitudine contendere cum Angelis, & choreas deducere cum eis. Confitebor, inquam propter miſericordiam tuam, & veritatem, quoniam mirabilibus factis magnificè delectaſti magnitudinem, miſericordiam, & veracitatem tuam, ideſt promiſſa implendo. Unde Vatablus vertit, quia eloquium tuum excellentius feciſti omnibus, quæ prædicantur de te. Poteſt legi *quoniam magnificaſti ſuper omnia nomen ſanctum tuum*. Chryſoſtomus: Non ſolùm grarias ago ob beneficia tua, ſed etiam ob ipſam infinitam magnitudinem, & gloriam tuam.

MULTIPLICABIS IN ANIMA VIRTUTEM, ideſt fortitudinem, & ſpirituale robur ad ardua virtutum opera perficienda, ut Chryſoſtomus. vel virtutes omnes, juxta Auguſtinum. §. 4.

CONFITEBUNTUR TIBI DOMINE (ſi exaudiveris me, & impleveris promiſſa) Reges vicini gentiles cognoſcentes te veracem in reddendis promiſſis, & cantabunt vias tuas, ideſt opera; & admirabuntur, quod, eſto, ſis excelſus, & in excelſo habites, tamen non negligis ſervientes tibi in terrâ. Auguſtinus exponit de converſione Regum ad Chriſtum, poſtquam audierunt omnia verba divinæ Scripturæ, in quibus prophetabatur, & promittebatur Chriſtus. Et facti ſunt humiles. Nam Dominus non niſi humiles clementer reſpicit, & appropinquat eis; altos autem, & ſuperbos à longe cognoſcit: quia quantò tu elatior, tantò Deus te altior, & elongatior. Hebr. habet; *Et quod altum eſt, eminùs cognoſcit*, ut perdat illud. §. 5.

SI AMBULAVERO IN MEDIO TRIBULATIONIS. Si iſta vita non eſſet tribulatio, non eſſet peregrinatio. Et ideò, ſi tu non ſentis tribulationem, vel ex hoc ſolum, quod vivis in eâ ſignum eſt, quod non reputas eam peregrinatio nem, & quod non diligis patriam. Quis enim non tribuletur, non ſe eſſe cum eo, qnod deſiderat? Sed unde non videtur tibi iſta tribulatio? Quia non amas; Ama alteram vitam, & videbis, quod iſta vita quacumque proſperitate fulgeat, tribulatio eſt. Et non dicit, ſi evenerit mihi aliqua tribulatio, liberabis me. ſed ſi ego libentèr, vel patientèr perſeveravero in medio tribulationum, tunc dabis mihi vitam æternam, & contra iram inimicorum meorum extendes aut porriges mihi manum ipſis invitis, liberando me ab illorum furore. §. 8.

DOMINUS RETRIBUET PRO ME. Inimicis meis, ego nolo retribuere illis. Sic Auguſtinus: vel Chriſtus retribuet, ideſt ſolvet pœnas pro peccatis meis. Hebr. *Dominus perficiet, quod in me incboavit* (implebit quæcumqne promiſit mihi) Et opera manuum ne deſeras, ideſt adſis mihi poſt hac, ſicut hucuſque. Auguſtinus: O Domine non reſpicias in me opera tua, quæ ex me facio, quia non invenies, quod corones, ſed quod damnes, ſolùm reſpice opera, quæ gratia tua fecit in me. §. 9.

Annot. in Pſalm. 138.

DOMINE PROBASTI ME &c. Egregiè tractat de ſcientiâ, & providentiâ Dei circa ſingulos homines; & applicat ad ſe, oſtendens coram Deo, ſe non affectaſſe regnum Saül; & loquitur contra ipſum, & ejus complices. Vatabl: vertit: Domine tu me ſcrutatus es, & prænoviſti: tu noſti ſive ſedeam, ſive ſurgam, & procul intelligis omnes cogitationes meas, ideſt non ſolùm omnes actiones

 meas,

meas, sed etiam cogitationes optimè exploratas habes.

Augustinus exponit, quod sunt verba Christi ad Patrem: per sessionem intelligit passionem; & per resurrectionem, quando a mortuis resurrexit. Et etiam in personâ peccatoris, qui surgit a culpâ; & tractat de filio prodigo.

§. 2. SEMITAM MEAM &c. Hebr. *Incessum meum, & accubitum meum investigasti. Quia non est sermo in linguâ meâ*, quem non noveris Domine, etiam antequàm loquar, ut dicit Chrysostomus: *Per alevantar, & assentar*, significat totam vitam, quia in illis tota vita consistit. *Tudo be lançar na cama, e tornar alevantar &c.*

§. 4. TU FORMASTI ME, ut figulus, qui manibus suis vas testaceum fingit (Augustinus exponit de punitione illud, *posuisti super me manum tuam*.)

§. 5. MIRABILIS FACTA EST &c. Vatabl. Admirabilem in me formando exhibuisti scientiam, & sublimiorem, quàm, ut eam possim attingere: admiratur artificium divinum in formatione hominis. Chrysostomus exponit, quod *scientia tua*, ideft tui, excedit capacitatem meam, quia non possumus hîc scire, quid est Deus.

§. 8. SI SUMPSERO PENNAS AURORÆ. Sic Hebr. Alludit ad celerrimam excussionem radiorum solis, qui in momento ab Oriente in Occidentem perveniunt.

§. 10. ET DIXI FORSITAN, aut saltem tenebræ contegent me (abscondent cogitationes meas, & facta) & nox erit mihi tamquam lux, in quantum abscondit actus meos, & delitias meas a te.

Etiam si sic dixero, decipiar: quia tenebræ non sunt tenebræ coram te: imò nox tibi lucet sicut dies; & perinde sunt lux, & tenebræ.

Ille (ait Augustinus), qui sic agit gratias tempore adversitatis, sicut prosperitatis, tenebræ, & lux apud ipsum idem sunt.

§. 11. TU POSSEDISTI RENES MEOS, idest optime nostri omnes affectus, & passiones meas.

§. 13. CONFITEBOR TIBI QUIA TERRIBILITER &c. Tractat de mirabilibus Dei in opifico, seu creatione hominis, unde juxtà Hebr. habetur. *Tibi confiteor, quod miris, & stupendis modis formatus sum, quodque eximia sunt opera tua, quæ optimè novit anima mea.*

§. 14. NON EST OCCULTATUM OS MEUM (*ossum* dicit Augustinus) debeo dicere *ossum*, & non *os*, quia malo reprehendi a Grammaticis, quam non intelligi a populis (a te, idest nullum ex ossibus meis est tibi occultum. Augustinus per *os* intelligit firmam, & latam patientiam, quæ est abscondita in intimis sanctorum, quando tribulantur, esto, substantia eorum sit in carne, quæ est infima substantia terræ.

SUBSTANTIA MEA IN INFERIORIBUS TERRÆ; Ideft in medio ventre mentis meæ. Campensis sic vertit; Contextus sum ex neruis, & venis veluti tapetum in utero matris loco magis abdito, quam sit ullum antrum terræ.

§. 15. IMPERFECTUM MEUM. Fœtum, seu informem viderunt oculi tui, & in libro tuo universa membra mea descripta fuerunt, quæ deinceps multis diebus formarentur. Ex quibus membris nullum erat tibi ignotum, ideft cum adhuc essem tàmquam quædam massa informis in utero matris meæ, tamen omnia membra mea sic erant tibi nota, ac si descripta fuissent in libro posito ante oculos tuos; quæ tamen adhuc erant multis diebus formanda: & nec unum ex eis erat tibi ignotum. Campensis aliter vertit: videlicet errores meos inspiciunt oculi tui, & in

li

libro tuo cuncti scribuntur. Dies mei formati sunt, cum nondùm aliquis ex eis esset.

Chrysostomus de fœtu informi exponit, qui pòsteà per multos dies formatur, & nemo, sivè nullus in illis diebus deerit, quia Deus optimè novit, quot diebus embrio habebit omnia membra, & nullus ex eis deerit.

MIHI AUTEM NIMIS &c. exponit Chrysostomus quia tàm mirabilem me creasti, & mei curam geris, nescio in quo rependam tibi, domine, vicem, nisi honorando amicos tuos; & cognosco quàm potentes sunt tuâ gratiâ. Et etiam cognosco, quod non sunt pauci, imò *multiplicantur super arenam. Et ideò ego exurrexi, & adhuc sum tecum*, idest, (ut dicit Chrysostomus) non solùm in adversitatibus clamavi ad te, & non offendi te; sed etiam postquàm surrexi à malis, & assecutus sum prosperitatem; adhuc tecum persevero, idest felicitas non facit me cadere. §.16.

Diligo, & honoro illos qui vacant considerationi tuorum mirabilium.

Augustinus exponit illud *exurrexi* de resurrectione Christi. Campensis sic vertit duos præcedentes versus; *mihi verò quàm pretiosi sunt amici tui Deus! Quantus est capitum ipsorum numerus! Dinumerabo eos &c.*; Experge factus (seu cum vigilo) tecum sum. Significatur maxima instantia vacandi divinis meditationibus, idest *senor como acordo do sonno, logo sou con vosco*. Sic etiam exponit Vatablus. O Domine tu mirabilis es in naturali fabrica hominis, sed mirabilior in sanctis.

SI OCCIDERIS &c. *Si* pro *quia*. Quia tu Domine occidis peccatores, ideò meritò ego dico: O sanguinarii recedite a me. Alii legunt (ut dicit Vatabl.) optativè; *Domine, si occidisses peccatores*, idest illos sanguinarios, quibus ego semper dicam *recedite a me*. Chrysostomus dicit, quod non petit, quod personæ occidantur, sed quod mutentur de peccato in justitiam. §.18.

QUI DICITIS IN COGITATIONE &c. Vatabl. Qui hostes tui loquuntur audacissimè, & usurpant nomen tuum temere. Noster textus, *accipiant in vanitate civitates suas*. Chrysostomus *dissimulat*. Augustinus exponit mysticè de Hæresiarchis, qui separant vanè civitates, & populos ab unitate Ecclesiæ. Vel dic, quod impii derident labores piorum tamquam vanos, quia non permanebunt in suis civitatibus &c. vel quia non fruuntur bonis istius mundi. §.19.

NONNE EOS, QUI ODERUNT TE DOMINE ODERAM EGO? &c. Sicut suprà dixerat, quod honorabat amicos Dei, ita hic dicitur, quod odit inimicos Dei in quantum tales sunt. Et hoc vocatur (ut dicit Augustinus) perfectum, & sanctum odium, scilicet ut neque propter homines diligas. Vatabl. vertit *consummato odio*. Campensis *summo*. §.20.

PROBA ME DEUS &c. Jam dixerat in principio *Domine probasti me*: non petit ergo quòd Dominus cognoscat eum, sed ut agat, quomodo ipse se ipsum cognoscat: quod optimè fit flagellis, sicut in alio psalmo; *Proba me Domine, & tenta me &c.* §.22.

Hebr. *Scrutare me Deus, & cognoscito cor meum &c.* explora me, & cognoscito cogitationes meas, & videto, num machiner aliquid pravi: & si sic, occide me morte impiorum. Aut (ut Vatabl:) deduc me in viam ab universis calcandam, idest mortem.

Annot. in Psalm. 139.

ERIPE ME DOMINE &c. Oratio David in persecutione a Saüle, ubi petit Dominum ne agitatus persecutionibus tentet, aut dicat aliquid iniquum. Augustinus dicit quod cœtus spiritualium, aut quivis illorum gemens in cœtu malorum hoc dicit; & ostendit, quod omnis malus nocet proximo. Et si dicat quomodo ille, qui solâ luxuriâ cum meretricibus contaminatur, nocet? Respondet, quod nocet exemplo. fortè sollicitatur cor tuum ad idem faciendum. Et sic jam te impugnat. Voluptuosus, qui est blandus, & lenis in conversatione est sicut spina, quæ in radice est lenis, & non pungit, tamen inde surgunt spinæ pungentes. Sic illa affabilitas, & lenitas est radix multarum spinarum te pungentium. Igitur etiam pro tali dicat membrum Christi gemens. *Eripe me Domine ab homine malo &c.* & arguat illum; Quod si non emendatur, scias, quod illum habebis inimicum. Tacere potest, occultare inimicitiam potest, amare te non potest; Imò cogitabit contra te mala in corde suo, & totâ die in corde suo constituet bella contra te.

Dicit Chrysostomus, quod petit David liberari a conversatione impiorum, ne fortè fiat similis eis. Et intelligi potest de Diabolo (ut dicit Augustinus) qui vocatur *inimicus homo* Matth. 13.

(Dicit Chrysostomus, quod malus cum irruit in bonum virum, assimilatur bestiæ, quæ irruit in hastam, idest *ebuca*, quæ magis sibi nocet *atravessando em si o ferro*: & etiam ille, qui calcat stimulum: sic mali se ipsos confodiunt, cum bonos invadunt. Virtus enim est sicut gladius acutus, & stimulus.

Dicit etiam Augustinus, quod omnis falsus justus invidet gloriæ veri justi & nititur illum illâ spoliare. Cur invides gloriæ justi? Esto tu justus (quod in manu tuâ est situm, & habebis eandem gloriam. Si invideres diviti, aut Senatori non posses illud assequi, at si justo, idem potes esse. Quia si habes bonam voluntatem, jam es.

§.5. COGITANT SUPPLANTARE, idest impedire gressus tuos in viâ Dei, ut labaris, vel recedas de viâ; Et *juxtà iter*, idest præceptum Dei, ponunt tibi scandalum, seu rete.

§.8. DOMINUS VIRTUS SALUTIS MEÆ, idest fortitudo, qua solâ salvari possum.

OBUMBRASTI, idest loco galeæ mihi eris in die belli. Vel (ut dicit Augustinus) in æstu concupiscentiarum refrigerabis me, ne vincar a malo desiderio meo. Ideo subjungit *ne tradas &c.* idest nullus peccator, neque homo (persequens, neque Diabolus) tibi nocere in animâ poterit, si tu prius non fueris traditus, & victus a tuo malo desiderio. Et ideò persecutores Martyrum non nocuerunt eis. Vatabl. vertit. Ne facias Domine impium compotem desideriorum suorum, nevè conatus ejus provehas, ut superior sit. Et in hoc sensu constituit Chrysostomus, idest ne tradas me peccatori contra id, quod ego desidero, vel non tradas me illi juxtà desiderium meum, idest non tradas, sicut desidero.

§.10. CAPUT CIRCUMDANTIUM (undique prementium) me, *labor labiorum* (mala, quæ contra me ore sanxerunt) operiet eos.

Caput est accusativus, idest labor quem adversùm me statuerunt operiet tàm caput, quam complices. Dicunt aliqui, quod caput, & antisignanus Saülis contra David, erat Doeg. CA-

CADENT SUPER EOS CARBONES &c. Hebr. *cadant super eos carbones ignis*, vel igniti, & eiiciantur in foveam, undè resurgere non possint. Secundùm aliquos petit, quod aut ignis de cœlo eos consumat, aut terra absorbeat, sicut fuit in Dathan & Abyron, & Chore, & in his, qui circumdederunt fornacem Babylonicam. Hunc Chrysostomus sequitur. §. 11.

IN MISERIIS NON SUBSISTENT. Boni (ait Augustinus) subsistunt in miseriis, quia tunc illustriores fiunt, idest erecti per patientiam: *impii autem non subsistunt*, idest cadunt per impatientiam.

VIR LINGUAX, sive mordax, sicut canis non prosperabitur &c. §. 12.

Annot. in Psalm. 140.

DOMINE CLAMAVI &c. Dicunt doctores, quod eadem est materia, sicut præcedentis orationis. Augustinus applicat ad Christum. Aliqua tamen dicit in personâ membrorum.

(Hîc arguit Chrysostomus Clericos, qui à pueritiâ dicunt hos psalmos obscuros, & non curant intelligere)

Oratio mea valeat coram te, sicut illud suffimentum, de quo Exod. 30. *Et elevatio manum mearum* in oratione sit tibi adeò grata, sicut *sacrificium vespertinum*, vel loco illius accipe (Hic dicit Chrysostomus, quod solebat dici hic psalmus horâ vesperarum loco sacrificii vespertini, sicut ille *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, dicebatur quotidiè loco sacrificii matutini. §. 2.

Sacrificium vespertinum, sicut matutinum (ut dicit Chrysostomus semper erat purum, & acceptum, quia non offerebatur pro peccatis, sed dumtaxat in cultum, & laudem Dei, ex legis mandato; ideò petit, quod sua oratio assimiletur tali sacrificio.

PONE DOMINE CUSTODIAM ORI MEO, idest tale ostium pone in ore meo, quod non aperiatur nisi ad laudem tuam, & confessionem peccatorum meorum, non ad excusationem eorum, communicando in hoc cum hominibus operantibus iniquitatem. Attende valde (ait Chrysostomus) quid primùm petit in hac oratione, idest sapientiam verbi, & ostium prudentiæ, quod non claudatur, nec aperiatur, nisi quando oportet. Et tractat de vitio linguæ: ostium sit igneum scilicet gehennæ, idest verba scribe in ostio, Deo in verbo otioso &c. §. 3.

NON COMMUNICABO CUM ELECTIS, idest cum rebus, quas eligunt, idest non eligam, quæ impii eligunt. Unde *hebr.* habet; *non fruar delitiis eorum.* Augustinus exponit. Non communicabo cum defendentibus peccata sua: iniqui enim defendunt peccata, & approbant eos, qui hoc faciunt. Et ponit ibi Augustinus verba impiorum, quando peccant. Ideò feci hoc, quod Deus voluit, quia fortuna voluit aut fatum. Oh non dicas hoc; *sed sana animam meam, quia peccavi tibi* (Hic agit contra Mathematicos, & Manichæos). Nonne (dicit Chrysostomus habebat David excusationes si vellet dare, scilicet nudata est Bersabea coram me; Quare ibi lavabatur? Absit: frivolas reputabat; ideò simpliciter dixit, *peccavi*. §. 5.

CORRIPIET &c. (Hebr. *percutiat, sive verberet*) *oleum autem adulationis non impinguet*; ut dicit Augustinus oleum adulationis non faciat tumere, vel inflari caput meum, sed integrum maneat. Hic dicit Augustinus quod oleum ob nitorem significat gloriam, quæ est gerenda in vase propriæ conscientiæ, ut dicit Apostolus 2. ad Corinth 1. non in alienis, ut faciebant virgines fatuæ. §. 6.

QUO-

§. 7. QUONIAM ADHUC ORATIO &c. Prima pars iftius verfus juxtà hebr. jungitur cum prece, fic, *corripiat me juftus, & verberet me*, quia gratum mihi faciet, ac fi unguentum capiti meo infunderet, neque turbabit caput meum; Imò adhuc pro malis eorum orabo; vel orabo, quod Dominus talibus me increpantibus concedat beneplacita, feu optata. Chryfoftomus exponit. Non folùm adulationem impiorum non recipiam: imò faciam orationem contra eorum cupiditates, in quibus fibi beneplacent, ideft omninò me opponam illis.

Auguftinus exponit, quod adhuc veniet tempus, quando impiis, qui excufabant fua peccata, & adulabantur aliis, placebit oratio Chrifti, fcilicet: *dimitte nobis debita noftra &c.* fcilicet quando converfi fuerint.

§. 8. ABSORTI SUNT JUNCTI PETRÆ &c. Vatabl: *Demittentur judices eorum per loca faxofa*, ideft judices, & principes impiorum præcipitabuntur de rupibus, quia non caftigaverunt eos: & audient fermones meos, quoniam jucundi funt. Et cum fuerint fic puniti, compellentur approbare fermones meos, tamquam rectos (*decoros* vertit Hieronymus) Chryfoftomus idem fentit. Judices (ait) eorum funditus peribunt: quia erunt fimiles petræ quæ demergitur, & abforbetur in mari, & nunquam ampliùs apparet: fic abforbentur omnes eorum felicitates: & fic experientia comprobabunt, quam potentia, ac vera funt verba mea, ideft, quod melius eft increpari a jufto, quam laudari a peccatore.

Auguftinus, & Hieronymus intelligunt per *Iudices* principes Philofophorum mundi, ut Platonem, Ariftotelem &c. qui fi comparentur Chrifto, vel eorum fapientia Euangelio, abforbentur, & nullius funt momenti. *Et audient homines verba mea* (ideft Evangelii) *quoniam prævaluerunt ipforum verbis*. Auguftinus legit, *prævaluerunt*.

§. 9. SICUT CRASSITUDO TERRÆ *erupta eft fuper terram*: *diffipata funt offa noftra fecùs infernum*. Sic debes jungere has duas partes verfuum, ideft: quamvis veniamus ad extremas miferias) *que fejamos femelbantes a groffura, e podridam, que efta fobre a terra: E dado que noffos offos, que eftaò nos fepulcbros.*) non propter hoc approbabimus impios, aut eorum adulationes, fic Chryfoftomus. Auguftinus exponit de Apoftolis, & Martyribus, qui in vità, & morte fuerunt a gentibus reputati, ut ftercus terræ. Et erant ita mortificati a rebus mundi, ficut offa jam fepulta. (Hebr. habet: *offa noftra difperfa jacent, quafi foveæ proxima, & quafi ligna, quæ finduntur, & fparguntur*. Et fignificat omnimodam virium fractionem.)

Et fic (ait Auguftinus) qui reputati funt *craffitudo terræ, erupti*, ideft elevati funt fuper terram juxtà illud, *de ftercore elevat pauperem &c.* & Lazarus, quafi ftercus jacebat ad januam divitis, fed elevatus eft ab Angelis &c.

§. 10. QUIA AD TE DOMINE DOMINE OCULI MEI, ideft, ut dicit Chryfoftomus: Et fi innumeræ irruant calamitates, prælia, mortes &c. nunquam recedam a facrâ anchorâ, fed firmam tenebo tui auxilii fpem. Non auferas, vel non finas perire animam meam.

§. 11. CUSTODI ME. A laqueis, & infidiis occultis, & deprehenfu difficillimis, quæ fine fpeciali Dei auxilio vitari non poffunt.

§. 12. CADENT IN RETIACULO &c. Hebr. clare habet *cadent in retiacula fua peccatores* (quæ parabant juftis) donec ego interim evadam, aut prætercam. Chryfoftomus pulchrè exponit, textum noftrum, ideft *fingulariter fum ego*, ideft, efto, vivam in mediis urbibus, tamen fum quafi vir folitarius, quia totus intentus ftudio, & amori cœleftis philofophiæ, donec tranfeam, & evadam omnes hujus vitæ laqueos. Au-

Auguſtinus exponit quaſi dicta ex ſolâ perſonâ Chriſti, qui fuit ſingularis (ut ipſe legit) in paſſione, quia omnes eum reliquerunt: *donec tranſeam ex hoc mundo ad Patrem:* nam poſtea miſſo Spiritu Sancto confirmavit columnas Eccleſiæ, & multi pro illo paſſi ſunt: Et tractat quomodo nullus paſſus eſt pro Chriſto ante mortem Chriſti. Baptiſta enim non eſt occiſus pro confeſſione nominis Chriſti &c.

Multa de oratione dicit Chryſoſtomus. hic videlicet non eſt bonus ſuffitus, niſi poſtquam carbones ſunt accenſi, & ponitur thus, aut thymiama: ſic prius accende te, antequam ores, antequam ponas thus orationis: quia ſi non ardent prunæ, non eſt bonus ſuffitus.

Item oportet mundare thuribulum cordis, & oris a fimo verborum: thuribulum enim fimo ſordidum inficit ſuffitum: ſuper illud, *Elevatio manum mearum*, dicit, quod elevamus manus orando, tum deteſtando mala opera præterita, quæ manibus feceramus, tum dirigendo omnia agenda in Dominum.

Quando vis orare, accipe thuribulum cordis; & ſit aureum, vel argenteum, ac purum: pone ardentes prunas, ideſt vivacem, & ardentem memoriam beneficiorum Dei; tunc ſuperpone thus, ideſt petitiones; & erunt odoriferæ Deo. Ideo oratio, ſeu petitio ſine præviâ laude Dei, eſt thuribulum ſine prunis.

Annot. in Pſalm. 141.

VOCE MEA AD DOMINUM &c. David conſtitutus in magnis periculis, & tribulationibus recurrit ad Deum (Vatabl habet *periculum*, ubi nos *tribulationem*) *pronuncio*, ideſt expono.

Voce meâ (dicit) *ſpiritus* clamo, non ſolâ voce carnis meæ: qui enim (ait Chryſoſtomus & Auguſtinus) non clamat voce ſpiritus, ſed oris dumtaxat, clamat voce animalis bruti, non hominis.

§. 3. IN DEFICIENDO &c. Auguſtinus, & Vatabl: legunt cum deficit in me ſpiritus meus: alii cum ſpiritus meus ſummo mœrore eſſet confectus, ſeu, cum deſperationi proximus eſſet, ut Campenſis tunc *tu cognoviſti ſemitam meam*, ideſt innocentiam meam, quod hoſtes mei ſine cauſâ me inſontem perſequebantur: ſicut in Martyribus Chriſti deficiebat ſpiritus ſuus, ideſt humanus, & vigebat ſpiritus Chriſti. Hieronymus vertit, *cum anxiaretur in me ſpiritus meus*.

§. 4. IN VIA HAC (in Chriſto *quam ambulabam*, ſunt infiniti laquei a dexteris, & a ſiniſtris, in proſperis, & adverſis &c. Auguſtinus: & loquitur de ſigno Crucis contra blaſphemiam Lutheranorum.

CONSIDERABAM AD DEXTERAM, & etiam ad ſiniſtram (ut ſubintelligendum eſt ex Vatabl., & Campenſi) ideſt nunc vertebam me ad dexteram, nunc ad ſiniſtram: & non videbam, qui me agnoſceret, & occurret mihi.

§. 5. PERIIT FUGA A ME. Vatabl. præcluſum eſt mihi effugium (ideſt non habeo quò fugiam) neque quiſquam habet rationem animæ meæ.

Vatabl: frigide exponit quid intelligatur per *terram viventium*: ideſt regionem, ubi habitabant Judæi, ubi ſine morbis homines vivebant multo tempore propter temperiem aeris. Verum eſt, quod Chryſoſtomus intelligit per *terram viventium* urbem Hieruſalem, ſed dat aliam rationem, quia ibi ſolum Deus colebatur, & ei ſacrificabatur; quod extra eam non poterat fieri.

§. 9. QUONIAM CONFORTATI SUNT SUPER ME. Clamat Eccleſia Sancto-

cto-

ctorum, o Domine quàm multiplicati sunt, & roborati peccatores, & carnales in Ecclesiâ tuâ, sunt plures, quàm justi, omnia occupaverunt, tenent arcem Syon. Hoc tangit Augustinus.

EDUC DE CUSTODIA. Hebr. & Augustinus: *De carcere*, idest de his (Chrysostomus) magnis angustiis, quibus opprimor. Augustinus ultrà hanc exponit etiam de hoc mundo: idest educ me de laboribus, tentationibus, pressuris hujus seculi, seu de corruptione carnis hujus. Non petit mortem naturalem, sed perfectam mortificationem; sicut Apostolus cum dicebat, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Subjungit *gratia Dei*, non mors. Quia titulus psalmi istius dicit: *Oratio David*, *quando erat in speluncâ*; Ideò dicunt aliqui, quod per carcerem intelligitur illa spelunca 1. Reg.24.

ME EXPECTANT JUSTI. Hieronymus, & Vatabl: Justi imponent sibi coronas propter me cum benefeceris mihi, idest laudantes te, & exemplum capientes in me colendi te, & confidendi in te. Campensis si hoc mihi dones, Justi sociabunt se mihi, quasi dicat juxta nostram literam, expectant justi, quod benefacias mihi (idest liberando me de manu Saülis, & restituendo mihi regnum &c. *ut laudem te*: Hieronymus applicat ad Apostolos, qui expectabant resurrectionem Christi, donec pater restitueret illi claritatem. Expectant etiam animæ beatorum gloriam corporum: quod non fiet quoadusque compleatur numerus electorum, & tradatur regnum Christo.

Hic tractat Chrysostomus quàm proprium est justorum, *flere cum flentibus*, *& gaudere cum gaudentibus*.

Annot. in Psalm. 142.

DOMINE EXAUDI ORATIONEM MEAM. Ut constat ex titulo est oratio David, quando fugit a facie Absalon.

Obtestatur Deum, quod exaudiat illum per suam veritatem, & justitiam; idest ostende te veracem, fac juxta promissa tua, quibus promisisti, me servare in regno. Vel potest accipi Justitia pro bonitate Dei. Augustinus exponit hunc psalmum tanquam a Christo dictum, quamvis multa dicat ex parte corporis, quod est Ecclesia: quia (ut ait) cum sint duo in carne unâ, caput, & corpus: nihil mirum, quod sint duo in voce unâ. Et per justitiam Dei intelligit justitiam fidei, quâ salvamur, de quâ Apostolus ad Romanos, & ad Philippenses tertio, quam dicit esse gratiam Dei. Chrysostomus dicit, quod justitia hic accipitur pro clementiâ, & benignitate Dei, sicut in aliquibus aliis locis, quoniam justitia Dei semper est mixta misericordiæ.

§.7. NON INTRES IN JUDICIUM. Non agas mecum summo jure. Hebr. *Non justificabitur coram te omnis vivens*. Bene poterit (ait Augustinus) justificari coram se aliquis vivens, placens sibi, ut ille Pharisæus despector Publicani: non tamen *coram te*: quia quantumlibet rectus mibi videar, producis de thesauro tuo quandam regulam, coaptas me ad eam, & pravus invenior. Non intres, inquam, cum servo tuo, fugitivus redeo, misericordiâ indigeo, pacem quæro, si non cum servo, quanto magis cum amico? Nam dixisti dico vobis amicis meis, nam ex servis fecisti amicos. Non ergo intres cum istis qui ex corde dicunt *dimitte nobis debita nostra*.

(Chrysostomus dicit: non accedas ad Deum pro vilibus, scilicet pro temporalibus, sicut nemo accedit ad Imperatorem pro minimo, vel parvâ querelâ.

QUIA

QUIA PERSECUTUS EST INIMICUS. Abſalon, vel Diabolus. Et per *loca obſcura* intelligit, vel ſpeluncas, in quibus profugus habitabat, vel ſummas calamitates, ob quas reputabatur inter mortuos; ut dicit Chryſoſtomus qui etiam addit, quod in peccatis viventes, in tenebris ſedent; quia non vident mala, quæ eos circumſtant, & quæ inundant: non vident voragines, & foſſas: ſunt etiam in perpetuo metu, eſto, videantur lætè vivere: quia hæc eſt natura animi ſibi male conſcii ſemper timere futura mala; nulla illis tranquillitas, nulla ſecuritas. §. 3.

Auguſtinus exponit de morte, & ſepulturâ Domini.

ANXIATUS EST IN ME SPIRITUS MEUS &c. Hebr. *Defecit in me ſpiritus meus, & cor meum intra me ſtupuit*. (De agoniâ horti exponit Auguſtinus) hic dicit Chryſoſtomus, quod carnales ſemper anxiâ ſollicitudine lacerantur; nam non fruuntur poſſeſſis anxiè ſpectantes futura. De omnium negotiis ſolliciti ſunt, curioſè ſcrutantes aliena. §. 4.

EXPANDI MANUS MEAS. Expandi magis ſignificat, quàm extendere. Significat magnam cordis affectionem, quod propemodùm è corpore properat exilire, & ad Deum excurrere. §. 6.

ANIMA MEA SICUT TERRA SINE AQUA. Hebr. *ut terra ſiticula, ita ad te optat*: complue igitur eam (dicit Auguſtinus) ut det bonum fructum. Et ſimile illi; *ſitivit anima mea ad Deum fontem vivum*.

DEFECIT SPIRITUS MEUS. Significat ſummam anxietatem: aut dereliquit me fervor ſpiritus. Auguſtinus: O Domine jam defecit in me ſpiritus meus, ſpiritus ſuperbus, emitte in me ſpiritum tuum. §. 7.

SI AVERTERIS FACIEM TUAM A ME; actum enim de me, *ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, vel *ſepulchrum*. Auguſtinus exponit: ſimilis ero illis, de quibus ſcribitur; *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit*. Chryſoſtomus dicit (quod natura peccati eſt lacus tenebroſus, in quo ſunt ſævæ beſtiæ) extrahere rudentibus ſcripturarum; *nunquid qui cecidit non reſurget*? Igitur *hodie, ſi vocem ejus audieritis &c.* §. 8.

AUDITAM FAC MANE; Quia eſt tempus orationi aptum. Vel *mane* ideſt velociter, & citò. §. 9.

AD TE LEVAVI ANIMAM MEAM. Ad te traduxi, ad te tranſtuli, a te totus pendeo. Sic Chryſoſtomus. §. 10.

ERIPE DE INIMICIS. Auguſtinus de Dæmonibus. §. 11.

Annot. in Pſalm. 143.

BENEDICTUS DOMINUS &c. Titulus noſter habet. *Pſalmus David adverſus Goliath*. Alii dicunt (ut Cajetanus, & Vatabl.) quod eſt gratiarum actio Davidis pro felici ſtatu regni ſublato Saüle, & aliis hoſtibus domitis (Vatabl. *Benedictus Dominus rupis mea*.

Auguſtinus exponit de prælio inter ſpiritum, & carnem ad Gal. 5. *ſic pugna, ut pervenias ad victoriam*, ad pacem. Quam? Ut inferius ſubiiciatur ſuperiori, ideſt caro tibi, tu Deo. Quid juſtius? Quid pulchrius? Pugnant aliquando maritus, & uxor, ſi maritus vincatur, & uxor dominetur: pax perverſa. Si autem uxor marito dominanti ſubjiciatur; pax recta: ſic tu majori, minor tibi.

Cum dicit *manus*, *& digitos*, idem repetit apud Auguſtinum,

QUI SUBDIT POPULUM, ideſt (ut Chryſoſtomus) gratias ago, quoniam non ſolùm dediſti mihi victoriam in bellis, ſed etiam tempore pacis gratiam benè mo- §. 3.

moderandi populum, ac continendi. Et fecisti, quod populus acquiesceret mihi, non moveret seditiones, non insurgeret.

QUID EST HOMO QUIA INNOTUISTI EI &c. Hic tractat Chrysostomus, quòd Deus melius cognoscitur, quando cognoscimus nos non posse eum cognoscere; sicut benè cognoscit mare, qui scit eum non posse metiri, quàm qui dicit, se posse scire, quot habet *cyathos*.

§. 6. INCLINA COELOS, ET DESCENDE. (Est phrasis) ideſt opem mihi fer, de excelsis tange montes, ideſt hostes meos superbos, & in nihilum, ut fumus abibunt. (Vatabl:) Ut fulmine percussi abeant in fumum. Unde ubi nos habemus *fulgura*, vertit ipse *jaculare fulmen*, & dissipa eos: quæ fulgura, aut fulmina dicuntur sagittæ Dei. Chrysostomus exponit quæcumque supplicia Dei, ut fames, pestes &c. His enim immissis in fumum vertitur omnis hominum potentia. Et optimè subjungit; quia enim superbi non cognoscunt, se esse vanitatem; Ideò, Domine, tange eos potentiâ tuâ, & mox apparebit, quod sunt fumus, & vanitas, unâ febre mox hoc apparebit.

Augustinus per cœlos intelligit Apostolos, per quos montes, ideſt magni, & superbi fuerunt tacti ad pœnitentiam, & dederunt fumum humilis, & lacrymosæ confessionis. Per *fulgura* intelligit miracula, per *sagittas* verba Dei.

§. 8. LIBERA ME DE AQUIS, *& ab hominibus alienis*. Populos infideles, ut Philistæos &c. uocat aquas, & filios alienos, quia non colunt verum Deum; sic Augustinus. Tales etiam sunt hæretici.

§. 9. DEXTERA EORUM PATRAT iniquitatem. Sic Vatabl:, & quid gravius (ait Chrysostomus) quam dextera, quæ nobis data est ad auxilium ferendum proximis, hanc convertamus ad insidiandum, & nocendum?

Psalterium decachordum apud Augustinum est lex decem præceptorum.

§. 13. QUORUM FILII, sicut plantæ; filiæ ornatæ ad formam palatii &c. Exclamat Augustinus. O Filii lucis, videte quæ sit felicitas filiorum quos dixerat alienos; Videte, quod omnia, quæ hic subjunguntur pertinent non ad veram, sed ad falsam felicitatem. (Vatabl: tamen, & Campensis, & etiam Hieronymus aliter legunt omnes hos versus sequentes: legúnt enim per modum deprecationis, quasi petat David hanc terrenam felicitatem: videlicet ô *Domine fac, ut filii nostri sint, quasi novæ plantationes*, & sic reliqua: Et in fine: *Beatus populus, cui hæc contingunt*, ut promittit Levit.26., & Deut.28. At nos sequamur nostram literam spiritualem).

§. 17. NON EST RUINA &c. Non est ruptura murorum, non quispiam abiens in exilium. *Neque clamor in plateis*, ideſt non suscipiunt cladem ab hostibus. Hieronymus: *non est ululatus in plateis*. Campensis: *Querimonia*. Denique significatur, quod non est perturbatio, neqne tumultus in civitatibus eorum, sed pax, & tranquillitas, ut dicit Chrysostomus) qui etiam illud: *non est ruina maceriæ, neque transitus*, exponit, quod vineæ, & pomeria eorum sunt optimè munita maceriis, & sepibus non ruinosis, ità quod non est transitus per eas hominum, vel bestiarum, & describit divitias antiquorum, quæ in pecoribus, & fructibus consistebant.

Annot. in Psalm. 144.

EXALTABO TE DEUS MEUS REX &c. Materia est, quod solus Deus, est verus Rex cujus nitanda potentia omnia facit, gubernat, conservat; ut hic dicit Augustinus; Dominus implevit servos suos spiritu suo, ut eum laudarent; ac proinde ipse se laudat. Quod enim nos laudemus nos ipsos, arrogantia: quod autem Deus laudet se, magna misericordia est, quia laudando se, amabilem se facit, & ostendit: ac sic provocat, ut amemus ipsum in quo consistit totum bonum nostrum.

Prædicatio Evangelica, vel Joannis Baptistæ sumatur Isai.40. *in duobus*, idest omnis homo est fœnum, & solus Deus regnat. (Hic non oportet exponere literam, sed affectus tangere.)

PER SINGULOS DIES &c. O firmum gaudium de laude Dei! ait Augustinus) quis poterit a te amovere delectationem qnam habes in laudando Deum? Omne aliud gaudium transitorium est, & times amittere quando præsens est. Si autem gaudes de Deo, quid times? Ne forte tibi quisquam auferat Deum? Nemo auferet, si tu eum non dimiseris. In luce solari non potes delectari per singulos dies; nàm in hyeme quæris eam, in ætate fugis, & quæris umbram. Ar lux illa, quæ est Deus tuus semper delectat quærentes se. Non patieris æstum molestantem, imò in umbrâ alarum ejus requiesces. Etiam in die tristitiarum suarum Job laudavit Dominum dicens. *Sit nomen Domini benedictum*. Etiam illo die, mansit in luce. §. 2.

MAGNITUDINIS EJUS NON EST FINIS. Igitur (ait Augustinus) nec tuæ laudis sit finis. Er si dicas; Quomodo laudabo post hanc vitam, si scriptum est, *non mortui laudabunt te Domine. Et a mortuo, tamquam qui non est, perit confessio* Respondet Augustinus, quod hæc & similes authoritates intelliguntur de mortuis extra gratiam Dei; non de mortuis in gratiâ Dei: scriptum est Joan.11. *etiam si mortuus fuerit vivet*: & *non est Deus mortuorum, sed vivorum*: Et, *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*. §.3.

GENERATIO, ET GENERATIO, idest omnes generationes laudabunt opera Dei. Si sic est ergò possum me laudare. Primum possum, imò debeo laudare omnia opera Dei. Ego sum opus Dei; ergo possum laudare me; Respondet, non laudes te, sed Deum in te: non quia tu talis es, sed quia ille fecit te. Ecce inventum est, quomodo possis te laudare sine arrogantiâ, quia talem te fecit, quia talia donavit &c. §.4.

MEMORIAM ABUNDANTIÆ, *suavitatis tuæ eructabunt*. Incipit exclamare Augustinus: ò epulas felices! Quid manducabunt qui sic eructabunt? Manducabunt *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*. Quid est hoc? Scilicet, quod non es oblitus nostri, cum nos obliti te fueramns. Hanc memoriam priùs manducabimus, postea enarrabimus, & prædicabimus, quia valdè dulcis est. Nam cum audis, & discis, manducas: eructas autem, cum doces, & prædicas, sicut ille avidissimus epulator Joannes, cui neqne ipsa Domini mensa sufficiebat, nisi ètiam recumberet super pectus ejus, & de arcano pectore biberet divina secreta. Quid eructabit? *In principio erat Verbum* &c. Igitur si vis eructare divina, prius bibe. §.7.

JUSTITIA TUA EXULTABUNT; Non in suâ; Absit, quod Deo tribuas quod sis, tibi autem, quod sis justus. Nam si sic melius est, qnod tibi tribuis, quam

quam quod Deo: nam melius est esse justum, quam esse hominem.

§. 8. PATIENS ET MULTUM MISERICORS, Augustinus agit de longanimitate Dei ad expectandum peccatorem. & dicit. In peccatoribus unus desperat ad augenda peccata: & dicit jam sum damnandus; quare non facio, quod volo? Alius sperat ad augenda peccata, & dicit, misericordia Dei magna est, quandocumque me convertero, dimittet mihi omnia, quare non facio, quidquid volo?

Primo respondet Dominus: *nolo mortem peccatoris &c.*

Secundo: *ne tardes converti ad Dominum &c.* Ecc.5.

§. 9. SUAVIS DOMINUS UNIVERSIS. Non solum (ait Chrysostomus) Abeli, sed etiam Cajn, quem punivit longe tempore, ut peccatum expiaret, & etiam interfectis in diluvio, quos, quia incorrigibiles erant, levi morte hinc abstulit.

§. 10. CONFITEANTUR TIBI DOMINE OMNIA OPERA TUA. Dicuntur (ait Augustinus) omnes creaturæ irrationales laudare Dominum, quando tu eas considerans, & miranda Dei, in eis laudas Dominum. Ibi dicit quomodo mater terra quædam germinat concepto semine, quædam sive semine recepto &c.

§.15. ALLEVAT DOMINUS OMNES, QUI CORRUUNT. Quomodo ergò ait Chrysostomus) multi non resipiscunt à peccatis? Respondet, quia nolunt surgere; *Allevat Dominus omnes, qui volunt*. Etiam Judam voluit erigere, sed ille noluit surgere.

§.20. VOLUNTATEM TIMENTIUM SE FACIET. Vatabl: faciet quicquid volent timentes eum. Faciet, faciet (ait Augustinus) & si non faciet ad horam, tamen faciet; quomodo Medicus, si fortè aliquid imponat, vel oculo, vel visceribus, quod urendo sanet, si roget æger, ut tollatur, illi, Medicus expectat tempus; Non exaudit ad præsentem voluntatem, ut exaudiat ad futuram sanitatem: Et in hoc facit voluntatem tuam principalem. O mirabile? Tu times Deum, & facis ejus voluntatem: Et ipse etiam Deus qoodammodo ministrat tibi, & facit tuam.

Annot. in Psalm.145.

LAUDA ANIMA MEA DOMINUM &c. Docet in hoc psalmo, in solo Deo spem salutis figendam. Cum homo (ait Augustinus) sentit animam suam in oratione vagari, dicit ei, o anima mea, quid te occupat cura rerum terrenarum? Ita mecum lauda Dominum. Chrysost. exponit de laude, quæ fit factis juxta illud: *luceat lux vestra &c.*

§. 3. EXIBIT SPIRITUS, ET REVERTETUR, idest caro in terram suam.

§. 4. BEATUS, *Cujus Deus, adjutor ejus*. Si dicas, Deus potest adjuvare, sed non vult: subjungit, imo, *nam custodit veritatem &c.* idest sicut promisit subvenire in se confidentibus, ita implet.

§.5. QUI CUSTODIT. Quod Dominus sit verax ostendit B. Augustinus infra psalm.148. qnomodo non implevit promissum, qui plus dedit, quam promisit. Nam plus fuit, quod Deus æternus moreretur, quam quod homo viveret in æternum; & hoc promisit.

DAT ESCAM ESURIENTIBUS. Quomodo ergo non dabit esurientibus, & sitientibus justitiam? absit. (Augustinus)

§. 6. DOMINUS ILLUMINAT CÆCOS. Text. Aug. habet: Dominus sapientes facit cæcos. Loquitur de spirituali cæcitate. sicut & *advenas*, *pupillos*, *viduas* intelligit animas destitutas, & diffidentes omni humano auxilio, soli cœlesti patri, & sponso, & patriæ suspirantes.

An-

Annot. in Psalm. 146.

LAUDATE DOMINUM QUONIAM &c. Campen : *laudate Dominum quoniam bonus psalmus Deo nostro, decoraque laudatio:* vel *laudate Dominum, quia bonum est psallere ei. Deo nostro sit jucunda &c.*

§. 1. *Quoniam bonus psalmus.* (Augustinus) etiamsi nulla alia tibi daretur merces, ipsum laudare magna merces est. Et tractat quomodo vir bonus in omni opere laudat Deum, dum comedit, bibit, dormit cum debitâ mensurâ. Ipsummet opus bonum laudat Dominum, esto, tunc de Deo non cogites. Vis (ait) ut laudatio tua sit jucunda, ac decora, & speciosa? Adjunge voci bonam vitam; noli tuæ bonæ cantilenæ obstrepere moribus malis: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*: Ecc.15. quomodo quæris cum Deo pacem, si a te ipso dissonas. Aliud sonas linguâ, aliud turpi vitâ. Nescis, quod aures Dei non ad os, sed ad cor, non ad linguam, sed ad vitam patent.

§. 2. ÆDIFICANS HIERUSALEM &c. Dixit (ait Augustinus) Pater Filio, vade ad redimendos captivos, & congregandum dispersos, porta tecum saccum (idest carnem mortalem) & in eo pretium, idest sanguinem, ut ædificetur cœlestis Hierusalem, & congregentur visuri me; nam Israel dicitur, *videns Deum.* Et quomodo congregantur dispersi? subjungit, sanando contritos corde. Hîc incipimus, & non est perfecta sanitas quamdiu est fomes, tandem sanabimur in patriâ. *Alligat fracturas*, vel *contritiones eorum*. Quid facit Medicus (ait Augustinus) si crus, vel aliud membrum est tortum? *Forte de mal curado ficou torto*, frangit de novo. Tunc alligat, ut rectificetur. Sic si tu habes cor tortum, non rectificatum ad voluntatem & legem Dei, oportet quod frangas cor sanctâ contritione; & hanc contritionem significat tunsio pectoris. Significamus enim, nos velle frangere, & comminuere duritiam, & torturam cordis (*assi como quando trilhamos alguam cousa no almofaris, ou gral*) Frangis etiam confitendo. Tunc Deus alligat virtute sacramentorum, ut ipse dicit, & consolidat sanitatem. Tamen alligamenta sacramentorum non sunt amovenda hîc, sed consecutâ perfectâ sanitate in aliâ vitâ.

§. 3. QUI STELLAS IN NUMERATO HABET &c. Quid mirum, quod numeret stellas ille, *qui numerat capillos capitis nostri?* Matth. 10. Igitur (ait Augustinus) per stellas intelliguntur illæ, de quibus ad Philip. *Inter quos lucetis tamquam luminaria in mundo*. Et subjungit, nihil mirum quod numeret, quia sapientiæ ejus non est numerus. Chrysostomus exponit de Israelitis, quia Deus dixit Abrahæ, quod *erunt sicut stellæ cœli*. At Dominus principaliter loquebatur de filiis Abrahæ secundum fidem.

§. 6. SUSCIPIENS MANSUETOS. (Vatabl.) evehens, aut elevans; esto mansuetus (dicit Augustinus) noli recalcitrare adversus medicamenta Dei (adversa, quæ contingunt) nonne corrigit æger medicamenta medici, dicens, melius erit sic, vel sic facere, aut miscere? Crede medico. Ipse ea novit modificare, & attemperare, ac accommodare tibi; esto, tibi clausa sint. Attende, quod sequitur *Peccatores* (idest immites, ut dicit Augustinus) humiliat oratio. Chrysostomus dicit, quod *suscipiens* idem est, ac si dicat, ferens, recreans, bajulans.

§. 8. DEUS OPERIT CŒLUM &c. (idest scripturam figuris, & sacramentis, ut Augustinus, aut Ecclesiam prædicatoribus) *In montibus*, idest magnatibus *producit fœnum*, divitias, ut sustentent pauperes. *Jumentis*, idest rudibus etiam dat escam

escam verbi Dei. *Et pullis corvorum*, idest nobis, qui ex Gentilibus procedimus. Erant patres nostri corvi, idolatræ &c., nos autem suâ gratiâ invocamus eum. Sic Augustinus.

§. 11. NON IN FORTITUDINE EQUI &c. Idest non delectatur, neque suo favore prosequitur eos, qui spem suæ salutis ponunt in forti, & agili equo; neque etiam, qui confidunt in suis magnis cruribus, seu tibiis agilibus ad arripiendam fugam, & in quibuscumque aliis humanis auxiliis: sed solum delectatur in his, qui timent eum, & simul cum timore sperant in suâ misericordiâ: non sicut Judas (ait Augustinus) qui timuit, sed non speravit.

Annot. in Psalm. 147.

LAUDA HIERUSALEM (Hic, & præcedens est unus psalmus in hebræo) Agitur de laude Dei in Hierusalem ob specialia beneficia Dei in eâ. At sequemur Augustinum spiritualiter exponentem de cœlesti Hierusalem. Quid factura (inquit) es, o cœlestis Hierusalem libera a gemitibus, & sollicitudinibus? Nonne aratura, navigatura, negociatura? An in operibus misericordiæ exerceri te oportet? Non erit in te miser, qui egeat.

Summa nobilitas, quam habet terrena Hierusalem, est quod in eâ incæpta est prædicari potentia, & regnum Dei, ut dicitur Luc. 24.

§. 2. QUONIAM CONFORTAVIT SERAS &c. *ò como estas fechada?* Nunc etsi laudemus Deum, tamen inter scandala. Multi intrant ad nos, quos nollemus, alii exeunt nobis invitis, neque dijudicamus intrantes, neque tenere possumus exeuntes; quare? Quia mali permixti bonis in areâ sumus, non in horreo. Chrysostomus etiam applicat ad Ecclesiam militantem, cujus seræ sunt crux, propriæ voluntatis negatio.

§. 3. POSUIT FINES TUOS PACEM &c. Hoc pronunciante Augustino exclamavit totum auditorium: unde dicit: nihil dixeram, nihil exposueram, solum versum pronunciavi, & exclamastis. Quid de vobis clamavit? Dilectio pacis; quantâ pulchritudine intellectus pacis corda vestra percussit.

(Non solum in civitate est pax, sed etiam in finibus, seu circumquaque)

ADIPE FRUMENTI. Juxtà literam non solum significatur optimum triticum, sed etiam omnium rerum copia. Augustinus intelligit illum panem vitæ, qui de cœlo descendit.

§. 4. MITTIT ELOQUIUM SUUM TERRÆ &c. Ad literam intelliguntur jussa Domini, quæ celeriter implentur, metaphorâ sumptâ a cursoribus Regum: Et ponit aliqua exempla, idest, jubet quod fluat nix candida sicut lana, & pruina similis cineri, & proiicit glaciem suam, ut *laminas* (sic Vatablus) ubi nos habemus, *buccellas*.

Augustinus exponit de verbo Dei Ignito, quod ex cordibus frigidissimis, quasi nix, fecit sibi lanam, & vestimentum, idest Ecclesiam: nam Ecclesia tunica Christi est, & *nebulosos*, seu in caligine peccatorum, & errorum morantes fecit similes cineri: Nam per cinerem significatur professio pœnitentiæ, ut patet. Matth. 11. *In cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*.

§. 6. MITTIT CRYSTALLUM. Dicit Augustinus quod crystallum sic generatur; postquam multæ nives per annos multos super se invicem missæ fuerint, & copia sua violentiam æstatis evicerint, non unius æstatis tantum, sed multarum (præsertim in plagâ Aquilonari, ubi sol non est ferventissimus, ipsa diuturna, & annosa duritia

duritia nivium aut glaciei dat cryſtallum, quod difficillime poteſt diſſolvi a ſole, vel igne, & ſignificat peccatorem valde induratum, & congelatum. Et quia etiam multi tales converſi ſunt, & facti membra Eccleſiæ, ſeu bucellæ illius panis, & *unum corpus multi ſumus &c.* Ideò dicit, mittit cryſtallum &c.

Quis frigus, & duritiam talis cordis ſuſtinebit? O miſericordia Dei, quæ non ſolum ſuſtinet, & expectat ad pœnitentiam cor congelatum, & induratum ſicut cryſtallum, ſed etiam *emittit verbum ſuum*, ideſt ardentem inſpirationem (ſicut cum Saulo duriſſimo cryſtallo dictum eſt: *Saüle, Saüle quid me perſequeris &c.*) Et reſolvetur cryſtallum in aquas internarum lacrymarum ardentium, ut dictum eſt pſal. 125. ſuper illud, *converte Domine captivitatem meam &c.*

Annot. in Pſalm. 148.

LAUDATE DOMINUM DE CŒLIS &c. (Vatahl. *Cœlites*) O felices, qui aliud facere non poſſunt. Ideo dicitur infra *præceptum poſuit, & non præteribit*: Quod præceptum (ait Auguſtinus) niſi, quod laudent Dominum? nonne præcipiuntur eis opera miſericordiæ?

(Hic pſalmus pertinet ad tempus paſchale, de quo hîc dicit Auguſtinus, quod celebrantes tempus paſchale ſignificamus id, quod nondum tenemus; & celebrantes tempus ante Paſcha, celebramus id, quod agimus.

LAUDATE DOMINUM OMNES VIRTUTES EJUS. Vatahl. *omnes exercitus ejus*. §. 2.

LAUDATE EUM *omnes ſtellæ*, & *lumen*: laudate eum omnes ſtellæ claræ, & lucidæ. §. 3.

LAUDATE eum cœli ſupremi, ubi habemus *cœli cœlorum*. §. 4.

LAUDATE Dominum de terrâ, vel terreſtres, ut Vatablus. §. 7.

DRACONES, *& omnes abyſſi*. Campenſis vertit. Non Dracones, ſed Ceti. Sic etiam accipe pſalmum 103. Abyſſi dicuntur apud Auguſtinum profunditates aquarum, ſpeluncæ aquarum latentium, & etiam maria. Dicit Chryſoſtomus, quod etiam admiranda potentia Dei in ceto, non ſolum ob maximam corporis magnitudinem, ſed etiam quia attributa eſt ei a Deo quædam pars maris innavigabilis in quâ ageret. Et eſt mirandum, quod cum ſit ſævum non tranſilit proprios limites, ut veniat ad partem maris navigabilem, nec conſumit piſces minores. Et de utilitatibus aliorum animalium, quæ vocantur perniciosa, agit Chryſoſtomus.

IGNIS, GRANDO &c. *Spiritus procellarum*, vel *ventus procelloſus*, ut Vatablus. Hîc agit Auguſtinus de mirabilibus Dei in minutiſſimis vermiculis, ideſt pulice, & culice, quomodo habet fiſtulam, qua ſugat, vel ſorbeat ſanguinem, & contra ignorantiam hominum arguentium, quare Deus fecit hoc, vel illud? & aſſimilat eos ingredientibus in officinam fabri ferrarii, & reprehendentibus folles, incudes, tot malleos &c. quare hoc, quare illud? Artifex enim novit, ad quid illa conducant. §. 8.

Ubi habemus *Serpentes*, habét hebr. *Reptilia*. Ut uno verbo dicam, intellige David omnia hæc dixiſſe hoc affectu, ut optet omnes creaturas habere linguas ad laudandum Deum.

Pondera (ait hîc Chryſoſtomus) quod prætermiſſis utilibus animalibus, ideſt ovibus, bobus, equis &c. nominat ſpecialiter ea, quæ vocantur inutilia, ideſt dracones, ſerpentes, grandinem, montes, colles &c. ut conſideres, quod ſi debes

debes laudare Deum pro his, quæ videntur tibi molesta, & inutilia, quanto magis pro aliis.

§. 13. CONFESSIO. Vatabl *gloria ejus super cœlum, & terram*. EXALTAVIT CORNU, idest robur, & fortitudinem &c. & ideo *hymnus Sanctis ejus*, idest ideo laudabitur ab eis.

§. 14. Hymnus (ait Augustinus) tria habet, idest canticum, laudem, & Dei. Nam si laudas Deum, sed non cantas, non dicis hymnum: Item, esto cantes, & laudes, si tamen non dicis aliquid pertinens ad laudem Dei, non dicis hymnum. Dicant ergo omnes Sancti hic hymnum, ut perveniant ad hymnum sempiternum.

Nos sumus verius filii Israel, quia Judæi degeneraverunt a fide Abrahæ, in quâ nos stamus: Israel enim natus est post Esaù, & in ejus progenie mansit fides, non in progenie Esaù. Et ideo Judæi sunt veri Edom, quia procedunt ex Isaac secundum carnem tantum, ut Esaù, non secundum spiritum fidei, ut Israël. Nos sumus populus appropinquans Deo. Quid propinquius, quam membra capiti? Si non essent in nobis, (ait Augustinus) esurivi, dedistis mihi manducare.

Chrysostomus etiam ponit alium sensum, idest *laus*, vel *gloria omnibus Sanctis ejus*, idest magnam laudem, & gloriam consequentur illi, qui Deo appropinquant, & sunt sancti.

Annot. in Psalm. 149.

CANTATE DOMINO &c. Sancti antiqui cantabant cantica vetera pro terrenis beneficiis: Nos cantemus canticum novum pro æternis nobis promissis. (Augustinus) Et Chrysostomus dicit, quod ob novam vitam dicitur Testamentum Novum, & canticum novum.

§. 1. LAUS EJUS IN CŒTU SANCTORUM (Vatabl. *Benignorum*) non in cœtu hæreticorum: dicit Augustinus *Sanctorum*, quia non est speciosa laus in cœtu peccatorum.

§. 2. FILIÆ (hebr. *filii*) Syon exultent. Volent (ait Augustinus) in patriam suam duabus pennis, seu alis, idest dilectione Dei, & proximi.

§. 3. LAUDENT NOMEN IN CHORO (Vatabl. *Tibia*) Chorus, dicit Augustinus, est consensio multorum cantantium: ubi si quis voce discrepaverit, offendit auditum, & perturbat chorum: sic hæreticus disturbat concentum Ecclesiæ, seu laudantium Deum.

IN TYMPANO ET PSALTERIO. Quando (ait Augustinus) assumuntur hæc duo instrumenta manus consonat voci: perficitur enim melodia illorum manibus, & voce, sicut & in organis; sic tu quando cantas alleluja, porrigas panem esurienti, vestias nudum &c. Quia sic non solum vox sonat, sed & manus consonat quia verbis facta concordant. Vide in tympano caro corium extenditur, in psalterio vero chordæ extenduntur: & sic in utroque caro crucifigitur. Optimè psallebat in utroque, qui dicebat. *Mihi mundus crucifixus est &c.* Et Dominus: *Qui vult venire post me &c.*, idest extendatur in ligno Crucis, & siccetur a concupiscentiâ carnis. Nervi quanto plùs fuerint extenti tanto acutius sonant; sic quia Paulus nimium se extendebat, nam dicebat ad Philiph. 3 *in anteriora me ipsum extendens*; Ideo extentum tetigit Christus, & sonuit dulcedo veritatis.

Hic dicit Chrysostomus, quod concessit Judæis hæc instrumenta condescendens Deus eorum imbellicitati, & ingenii hebetudini, sicut & sacrificia, ut vel sic tra-

trahentur ad divinas laudes, qui paulo ante erant aversi a simulachris: & laborem, ac assiduitatem divinarum laudum temperaret eis jucundâ modulatione, ut etiam repetit psalm. 150.

QUIA BENEPLACITUM EST &c. Vatabl. *favet* Dominus populo suo. Campensis *amat* Dominus &c. §. 4.

EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA. (Quidam (ut Vatabl.) exponunt de exultatione exeuntium de captivitate Babylonicâ, quia gloriose liberati sunt) In qua gloria? Respondet; *In cubiculis suis*, idest in gloriâ testimonii suarum conscientiarum, ut Paulus 2. ad Corinth. 1. Sic Augustinus. Est enim (ait) quidam modus in conscientiâ gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, spem tuam certam, charitatem sine simulatione. Et hoc non sibi attribuentes, sed Deo, habebunt exuttationes Dei, seu laudes in gutture. §. 5.

GLADII ANCIPITES IN MANIBUS EORUM. Aliqui, ut Vatablus, exponunt de bellicâ fortitudine Machabæorum: & de eis exponunt reliquos versus usque ad finem. Et vocatur *judicium conscriptum*; scilicet vindicta in scripturis promissa. Chrysostomus dicit, quod datur documentum belligerantibus, quod si volunt vincere, misceant laudes Dei certaminibus: Sic etiam nationes, & potentes reges vincent, & punient, & facient vindictam, ac consequentur victoriam manifestam, quam nulla delebit oblivio; Et ideo vocatur *judicium conscriptum*. Et subjungit, quod *gloria hæc est omnibus Sanctis ejus*, idest bas gloriosas victorias dat Sanctis suis, & etiam victorias spirituales contra Principes tenebrarum.

Augustinus exponit de verbo Dei: nam gladius est verbum Dei, quem Dominus venit mittere in terram:

Non enim (ait) *veni mittere pacem in terram, sed gladium*. Filius vult servire Deo, pater non vult, venit gladius, venit sermo Dei, seponet patrem a filio &c. Quando ex pagano fit Christianus, gladius verbi Dei occidit paganum, & facit Christianum. Ideo dictum est Petro; *occide, & manduca*. Occisus est Saülus persecutor, & erectus est Paulus prædicator: ideo dicebat; *vivo ego, jam non ego*.

Dicitur autem *gladius in manibus*, idest in potestate prædicantium, quia quando, & ubi volebant, vibrabant. Unde & Aggei, idest: *Factus est sermo Domini in manu Aggei prophetæ*.

GLADIO HOC INCREPABANT POPULOS. Super erroribus, & vitiis suis, & vulnerabant corda ad vitam. Et quia plures ex conversis per Apostolos, fuerunt Reges,& nobiles, ideo subjungit de talibus, qui fuerunt vinculati compedibus, & manicis sapientiæ, vel verbi Dei, idest ab illicitis cohibiti. Et hic differit Augustinus de vinculis ferreis timoris servilis, & de vinculis aureis sapientiæ, & amoris quomodo prius ligamur illis, deinde venimus ad hæc &c. Et hoc (ait) est judicium, quod exercent Sancti circa gentes, vi gladii verbi Dei necare, & vivificare, sicut scriptum est a Prophetis; Ideo dicitur: *judicium conscriptum*.

Annot. in Psalm. 150.

LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS. Hebr. *Laudate Dominum in sanctuario, vel sacrario suo; laudate eum in firmamento potentiæ suæ*. Alloquitur Angelos, qui versantur in cœlo, in quo specialiter relucet ejus potentia. Sic Chrysostomus etiam exponit; *laudate Dominum per Sanctos suos*, idest gra-

tias agite ei quoniam talem vivendi formam in mundum introduxerit sanctificando homines, & post glorificando; Sic & Augustinus, qui & dicit, Christum laudandum in firmamento potentiæ suæ, quia *resurgens ex mortuis, jam non moritur &c.*

§. 2. LAUDATE DOMINUM IN VIRTUTIBUS EJUS. Hebr. *laudate Dominum ob fortitudinem ejus*, laudate eum pro ejus eximiâ magnitudine, quam ostendit in sanctificatione hominum, ut dicit Augustinus, vel in miraculis, ut dicit Chrysostomus. Et addit, quomodo dicit, quod laudemus eum conformiter ad magnitudinem ejus? Quis potest Deo tribuere dignam laudem, & correspondentem ejus magnitudini? Respondet: non dicit, quod referamus dignam, sed quantum vales, ideſt tantam, & talem laudem offer, quantum potes animo comprehendere ejus magnitudinem. Vidisti (ait) inflammatam mentem, quæ urget, & contendit superare propriam imbellicitatem, & ad ipsum etiam cœlum evolare.

§.3. LAUDATE EUM IN SONO TUBÆ &c. Aliqua nomina variantur juxta novas traductiones; ideſt ubi nos habemus *choro* habetur, Tibia: ubi *chordis, fidicula &c.* Chrysostomus dicit, quod his instrumentis significantur omnes potentiæ animæ, omnia organa sensuum, & membra corporis, quoniam omnibus illis debemus laudare Dominum. Laudat enim oculus tuus Dominum, quando non intuetur impudice: auris, quando audit sancta, non detractiones: & manus quando ad eleemosynam porrigitur.

Augustinus dicit, quod organum est vocabulum græcum generale ad omnia instrumenta musica: Et ideo cum dicitur, *In chordis, & organo*, non accipitur organum pro illo instrumento, quod habet folles, sed pro quodam, quod habet chordas, quod non sit psalterium, nec cythara. Et quia (ut ipse ait) ex arte musices, & experientiâ patet, tres esse differentias sonorum in musicâ, ideſt voce, flatu, pulsu, omnes tetigit, voce chorus, tuba flatu, cythara pulsu sonat. Sumus autem *cymbala benesonantia* (ideſt, *que repicão bem*) quando nullus se ipsum honorat, sed unusquisque honorat alterum, & omnes simul Deum.

§.5. OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM, ideſt omne spirans, vel respirans, seu omne habens spiritum vitæ.

In præfatione hujus psalmi differit Augustinus de mysterio numeri psalmorum, ideſt quare sunt CL., & multa dicit, inter quæ dicit quod CL. sunt, quindecim denarii, seu decennarii: & significat concordiam Legis, & Evangelii. Nam quindecim constat ex 7., & 8.; In 7. lex ob Sabbatum, quod est 7. dies. In 8. Evangelium, ob Dominicam diem Resurrectionis Christi, quæ est 8. ideſt post Sabbatum. Item numerus L. est sacer; significat enim remissionem. Et si triplicetur (quod designat mysterium Trinitatis) consurgit CL. Item psalmus C. de misericordiâ, ideſt *misericordiam, & judicium* CL. de laude Dei in Sanctis. Nam pœnitentiâ venimus ad misericordiam Dei, deinde ad perpetuam laudem Dei in cœlis. Prædicatione pœnitentiæ vocamur, misericordiâ justificamur, tandem glorificamur, ut perpetuo Deum laudemus.

An-

Annotationes Breves in Canticum Moysis; Audite cœli, quæ loquor: Deut. 32. Est Canticum plenum increpatione, & exprobratione super beneficiis tot, & tantis exhibitis ingratissimo Populo.

AUDITE CŒLI, ideft omnes creaturæ estote mihi testes eorum, quæ dicturus sum.

CONCRESCAT UT PLUVIA, ideft sit fructifera, & efficax doctrina mea. Utinam doctrina mea faciat in cordibus, quod pluvia, & ros faciunt in agris: Utinam non narrem fabulam surdo; *quia nomen Domini invocabo*, ideft, quia de rebus maxime necessariis tractaturus sum, nempe de Deo vere colendo, & invocando Hebr. *quia nomen Domini prædico*. §. 2.

OMNES VIÆ DEI JUDICIA, ideft justæ, & æquæ. DEUS FIDELIS &c. Obscuritas hîc est ob verborum transmutationem. Sic construas: *generatio prava, ac perversa &* (appositive) *non filii ejus peccaverunt ei in sordibus*. §. 5.

QUANDO DIVIDEBAT &c. ideft Quando Deus dividebat Regiones cunctis gentibus, jam tunc decreverat dare filiis Israël Regionem illorum septem populorum, ideft Amorræorum &c. & tot gentes fecit ibi habitare ad terram colendam, quanta sufficeret ad recipiendum filios Israël, ut venientes invenirent terram elaboratam, & cultam expulsis inde gentibus: neque mirum, quod expelleret gentes ad eos introducendos, quia Judæi sunt pars Dei &c. Alii sic exponunt. Quamvis Deus omnibus populis diviserit Regiones non tamen omnes populos elegit ad peculiarem suum cultum, sed posuit limites, ut solum ubi filii Israël essent, ibi esset populus ejus, ubi vero finietur limes filiorum Israël, ibi cessaret populus Dei, & inciperent termini gentium. *Quia filii Israël sunt pars, aut portio Domini, seu funiculus hæreditatis* (quia funibus hæreditates dividebantur) quasi dicat, non latius patet hæreditas Domini, quam Jacob. §. 11.

INVENIT EUM &c. ideft populus Israël in deserto aberrans invenit Deum paratum ad ipsum deducendum, quasi dicat *naò lhe faltou Deos no deserto*, imo circumduxit eum &c. Ibi fovit eos, ac docuit volare, hoc est credere, fidere, ac diligere Deum, denique assumpsit populum Israël, & in humeris suis portavit. §. 14.

CONSTITUIT SUPER EXCELSAM TERRAM. Hoc dicit, quia terra sancta, est regio alta in medio climate mundi, & ad significandam fœcunditatem illius terræ dicitur; quod etiam in rupibus, & petris sunt olivæ, & mel quia in rupibus mellificant apes, quasi dicat nullus locus est infœcundus in illâ terrâ. *Et ut comederet*. §. 19.

BUTYRUM DE ARMENTO, ideft butyrum vaccarum, & arietes pinguissimos, quos vocat filios Basan, ideft nutritos in terrâ Basan fertilissimâ. Et etiam ederent hircos pingues, & farinam delicatissimam optimi tritici, & vinum optimum, & rubeum; & ideo vocatur *sanguinis*; quia in illâ terrâ rubrum fere nascitur. §. 21.

§.23. IMPINGUATUS RECALCITRAVIT &c. Quasi dicat, *Afogouse, e morreo de gordura, não pode com obem*.

PROVOCAVERUNT EUM, ideſt quantum eſt ex ſe dederunt operam, ut Deus invideret Diis alienis, honorando eos, eo contempto.

§.29. ABSCONDAM FACIEM MEAM &c. Quando Deus exuberantia auxilia ſuæ gratiæ confert, dicitur oſtendere faciem ſuam, juxta illud *oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*. Quando vero illam ſubtrahit, dicitur abſcondere eam. Et tunc cum dicitur *conſiderabo noviſſima eorum*: eſt phraſis, quaſi dicat, *Não os ajudando eu fortemente, veremos o que fazem, veremos em que paraõ*. Alii, (ut Vatabl.) ſic exponunt, cum fuerint in calamitatibus velabo oculos meos, ne videam calamitates eorum ad ſubveniendum; Et videbo quid accidat illis ad extremum.

§.31. IPSI ME PROVOCAVERUNT, ideſt quantum in ipſis fuit invideré me, fecerunt ei, qui non eſt Deus: *Et irritaverunt in vanitatibus ſuis*, ideſt idolis ſuis vanis: ita ego provocabo eos ad invidiam in felicitate alterius populi, quem mihi aſſumam illis relictis. Aſſumam, inquam, gentem, quæ ante erat ſtulta, vel faciam, quod gens ſtulta vincat illos.

§.33. IGNIS SUCCENSUS EST. Hebr. *ſuccendetur*, ideſt valde iraſcar. Et per ſequentia ſignificatur ſumma exuſtio, ac ſterilitas terræ non ſolum in ſuperficie, ſed etiam in viſceribus,

§.35. CONGREGABO SUPER EOS, ideſt omnia mala, & omnes plagas (quas vocat ſagittas) imittam in eos. Et in ſequentibus deſcribit illas plagas ſigillatim. Et cum dicitur *cum furore trahentium ſuper terram*, ſignificantur reptilia venenata, quæ trahunt corpus per teram; unde poteſt legi, *cum veneno reptantium*.

§.39. ET DIXI, UBINAM SUNT? ideſt omnino propoſueram delere hanc gentem Iſraeliticam, ſed ideo diſtuli, quia ſciebam, quod inimici illius gentis, per quos eos punire volebam, erant ſibi attributuri victoriam, quaſi non ego deleviſſem eos ob demerita ſua, ſed ipſi ſuis viribus hoc feciſſent. Nam gens quæ eſt inimica Judæis, *eſt gens ſine ſapientiâ, & prudentiâ*, nihil de divinis judiciis intelligens neque etiam providens de noviſſimis ſuis, ideſt quid ſibi tandem continget, quia ſicut per ipſos punio Judæos, ita per aliam puniam ipſos &c. Si enim hi gentiles hoſtes Iſraëlis haberent intellectum, cognoſcerent, quod nequaquam fieri potuiſſet, quod unus illorum perſequeretur mille Judæos, & duo eorum fugarent decem millia Judæorum, niſi quia Deus Judæorum: *vendidit eos, & concludit eos in manus gentilium*.

Non eſt Deus noſter, ut Dii gentilium, ideſt longe fortior, & potentior eſt, ut etiam ipſi hoſtes Iſraëlis ſunt Judices, ut hoſtis Judæorum teſtis eſt potentiæ Dei noſtri: Et Ægyptii, qui dicebant, *fugiamus Iſraëlem Dominus enim pugnat pro eis*; & etiam Philiſtym, ut patet p Reg.5.

§.46. DE VINEA SODOMORUM &c. Dupliciter exponitur, Primo, quod Judæi, eſto ſint vinea Dei, tamen peſſimos fructus Idolatriæ, & vitiorum proferunt ſimiles fructibus vineæ Sodomæ, & Gomorrhæ. Et omnes hos peſſimos fructus (ſeu omne hoc venenoſum vinum) ego habeo reconditos apud me, ut ultionem ſumam ſuo tempore. Et non diu tardabit, imo juxta eſt &c.

Secundo exponitur de Gentilibus, de quibus immediate dixerat, qui non proceſſerunt ex radice ſancta, ſcilicet de ſanctis Patribus, ſed de peſſimâ radice, ut de habitatoribus Sodomæ &c. & ſimilia illis opera faciunt. Reliqua expone, ut dictum eſt.

§.52. ET IN SERVIS SUIS MISEREBITUR &c. Poſt punitionem impiorum tractat

tractat de consolatione bonorum, & dat rationes, quare mitigabit iram suam, & consolabitur populum suum, quia scilicet *videbit*, *quod infirmata sit manus*, idest videbit robur populi, seu populum, qui erat robustus, redactum ad summam miseriam. Et quod hi, qui erant in arcibus clausi ad earum custodiam defecerunt: quia omnes arces erant expugnatæ. Et si qui residui erant, calamitates consumuntur.

Et dicet gentilis hostis Judæorum, videns eos in magnam miseriam redactos. *Ubi sunt Dii vestri* o Judæi? (ubi est vester Deus) in quo fiduciam habetis, cui offerebatis, victimas & libamina?

Videte quod ego sum solus. Introducit Deum quasi respondentem pro se dictæ interrogationi (scilicet ubi *est Deus eorum*?) ac dicentem, *videte*, *quod sum solus*.

LEVABO AD CŒLUM MANUM MEAM. Est signum vel jurantis, vel gloriantis de suâ potentiâ. §59.

INEBRIABO, sive tingam *sagittas sanguine de cruore occisorum*. §.62.

DE CAPTIVITATE, *inimicorum capitis denudati;* Tanguntur aliæ duæ pœnæ ultra occisionem multorum, idest captivitas, & nudatio capitis, hoc est: Judæi erunt captivi, & privati gloriâ Regni, ac Regis, ut hodie videmus. §.63.

F I N I S.

CATECHISMI

SIVE

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

CUM ISTRUCTIONIBUS PASTORALIBUS

LIBRI DUO

Quorum primus continet explanationes Articulorum Fidei; Alter vero Homilias, ſeu Sermones Sacros in Evangelia pro Feſtis Solemnibus.

PER VENERABILEM SERVUM DEI

FR. BARTHOLOMÆUM DE MARTYRIBUS

BRACARENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Ordinati ad uſum, & commodum ejuſce Archiepiſcopatus ac Diœceſcos Parochiarum, quæ Concionatoribus indigent.

INSTRUCTIO PASTORALIS.

DOM. Frater Bartholomæus a Martyribus Dei gratia, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Bracharenſis Archiepiſcopus, Dominus, ac Hiſpaniarum Primas omnibus, & cuilibet Abbati, Rectori Vicario, vel Capellano noſtris hujus Archiepiſcopatus, hiſce præſentibus injungimus, & mandamus, quatenus qualibet Dominica, vel alio feſto die de præcepto, pro quo ſpecialis hoc libro notata non habetur exercitatio, vel concio, legat coram populo capitulum aliquod hujus doctrinæ Chriſtianæ: In feſtis autem, & Dominicis, quibus hoc libro ſignatæ conciones habentur; cuilibet aſſignatam perlegat; tamen in hoc mandato Rectores, qui in ſacris libris, canonibus, aut theologia ſunt exercitati, ac eruditi, ex hoc libro perlegere minime teneantur, ſed pòſſint voce propria, & genio, quod illo proponitur capitulo prædictorum dierum cuilibet aſſignato tractare, vel exponere, vel alia, ut illi pro tempore neceſſarium, oportunum que viſum fuerit proponere: cæteris autem, qui illiterati, inexperti, vel rudiores in prædictis eſſe noſcuntur ſcientiis, omninò præcipimus, ut eo modo ſupradicto ex libro ipſo populo perlegant, idque executioni mandari volumus, & præcipimus ſub inobedientiæ pœnis, & quinquaginta regalium mulcta pro qualibet vice, qua diebus prædictis ſatisfacere neglexerint; Noſtris verò viſitatoribus præcipimus, ut ſuper iis, an debitæ executioni mandata diligenter inquirant, & juſtis negligentes afficiant pœnis. Datum Bracharæ die tertia Novembris Anni Domini 1564. Signatur.

Archiepiſcopus Primas.

PROEMIUM.

De pastoribus animarum agens mellifluus ille Bernardus, eamque enarrans obligationem, quæ illis imposuit Dominus in Evangelio, dicens pasce oves meas, *seu, ut Petrus in suâ canonicâ docet*: pascite, qui in vobis est, gregem Dei: *proponens ciborum eis tria præbere genera, nempe doctrinæ pabulum, Vitæ Christianæ exemplum, & orationis adjumentum. Tenetur ergo Rector animarum oves suas pascere Verbo, sanâ scilicet, sanctaque doctrina, & opere, seu sanctæ, & inculpatæ vitæ exemplo, atque oratione, Deum assidue pro illis interpellando, & cum gemitu postulando, ut eas gratia sua dirigat, & favore protegat per varia Vitæ hujus, & viæ discrimina, ac tandem ad æternitatis pascua perducat. Non hic mihi dolendi propositum, quod tam malè, præsertim iniquis hisce temporibus, hoc se pastores nostri erga suas oves exsolvant onere; tractatum hunc, ut huic occurram malo, vel ut ipsos erudiam instituí; sed duntaxat aliquatenus hisce miseris, derelictisque sucurram ovibus. Sufficiat hoc unum illis verbum de orationis, quod eis præbere tenentur, quodque clam impeditur pabulo, Deum, ipsosque met optimè nosse, quam in ea sint exhibenda segnes, & frigidi. De alio autem, vitæ scilicet, & exemplorum cibo omnibus palam est, & exploratum, quot, & quanti suo sic fungantur officio lupi potius ut vere sint, & videantur, quàm pastores gregis; pravæ qui scilicet, carnalisque vitæ viru, & exemplo creditas inficiunt, & mactant oviculas, easque in carnalem vitam, perditosque in mores impellunt: quod vero spectat ad docendi munus (quod omnium promptius, & facilius exhibere) manifestum apparet, quam desides, & rari Rectores, Abbates, & Capellani populis spiritualiter erudiendis, & exercitandis, quamque negligenter eos, & malè provocent ad amorem, timoremque Dei, peccati fugam, & odium, despectum rerum temporalium, cælestiumque desiderium. Si quis autem pauca aliqua ad eos habeat verba, ea sunt, quæ nec corda tangant, aut afficiant; fructumque vel minimum afferant: nec conscientiarum ædificationi prosunt, devotionisque vel scintillam accendunt, vel in audientium animos aliquod emendationis propositum inducunt. Sed eos peracto missæ sacrificio recedentes æquè dimittunt frigidos, ac terrenis implicitos, quàm cum accesserant. Hoc certè unum ex pluribus, quæ in Ecclesia Christi ciere lacrymas meritò debent; Sed in Ecclesiis dolendum maxime remotioribus inter aspera montium, & invia collocatis, & aliis, quibus fere nunquam, aut certè rarissimè conciones habentur ad populum, quarum incolis nulla unquam præter eam, quam singuli accipiunt a plebano, vel parocho Dominicis doctrina proponitur. Totis scilicet illis hebdomadæ diebus negotiantur, confabulantur, resque seculi hujus perituras agunt, & die tamen ad Dei templum accurunt, vel pabuli modicum in animæ fulcbrum, & alimentum accepturi quærentibus iis, paratam illis tenetur pastor escam habere, & exibere spiritualem, studendo scilicet meditando, disponendo, ut pro viribus à Domino sibi concessis piam, utilemque, & sanctam exhortationem, atque doctrinam, ut congregatis ovibus, & accedentibus in die festo, vel Dominico subministret illud animæ nutrimentum; in varia distractos eorum animos revocet, & sensus, memoriamque excitet, ut ad salutis*

suæ

suæ negotium redeat, intellectum illuminet, accendat affectum, & voluntatem eorum ad amorem Dei, & Domini Nostri Jesu Christi provocet. Hæc si tunc eis parata non adfuerit, quid fiat de misellis his oviculis? ut accesserant, inanes abibunt, & famelicæ, nec enim libros evolvere, aut legere sciunt, nec aliunde habent, quò doctrina sacra reficiantur. Sicque quales assidue per hebdomadam, tales, & Dominica die, dum missæ intersunt sacrificio, mente revolvant cogitationes, eademque tractant exercitia, sacerdos autem, & pastor in hoc a Domino constitutus terrenarum pondere depressum cor eorum erigere debet, & ad legem eos dirigere, nec curat, & facit. Quid ergo sperandum, aut expectandum? nisi ut sicut corpus longissima dierum inedia confectum necessariò tabescit, deficit, & moritur, sic famelicæ eorum animæ spirituali deficiente pabulo misere deficiant, & pereant? At forte rudior quis, & illiteratus inter pastores dicat: an ergo & qui litterarum expertes, & theologiæ, nos nostris aliam exponere vis ovibus, & tradere doctrinam ab una, & nuda, simplicique divinæ legis, seu mandatorum, & decalogi promulgatione? Quibus ergo ne hallucinentur, respondeo, non ex inopia litterarum, & scientiæ, sed ex desidia, torporeque, & laboris, studiique neglectu, ex animi ignavia, & languore, vel ex damnabili defectu zeli salutis animarum, quo flagrare deberent pro suis ovibus oriri plerumque, quod creditas sibi non edoceant, & reficiant animas: si enim illi, quo debent, & zelo flagrarent, & si nec ipsi Latine scirent pios tamen aliquos, & Catholicos, quorum magna seges, nancisci curarent, saltem lingua vernacula, libros, quos illi avidè legerent, & meditarentur, incensusque ille lucri animarum zelus, ardensque desiderium, ignea subministraret eructaretque verba consolatiouis, & ædificationis ad populum neque eos velim, sublimes has illi tractare audeant, & difficiles, quasque, nec ipsi capiunt, quæstiones, & materias; sed communes, atque morales, Christi videlicet Domini Nostri Jesu passionem acerbissimam ipsorum memoriæ revocantes, & renovantes, ipsos ad virtutis amplexum, & amorem, ad peccati fugam, & odium, ad novissimorum meditationem diei novissimæ, supremique post eam Judicii, & inferni metum, spem que felicitatis æternæ vitæ provocantes, & adhortantes: quæ quidem omnia sacerdos nullus digne aptè satis pro rudioris captu plebeculæ loqui non novit, nisi qui bene vivere scit. Huic ergo cupidus ego aliquatenus pro pastoralis officii, quo teneor, debito, ob Ecclesiarum Bracharensis hujus diœcesis parochialium multitudine, quibus pro majori parte vix, & propè nulla unquam habetur concio, doctrinam hanc christianam edere, proponere que decrevi, ad hoc instituti percommodam; hoc est quæ genti populari congruat, & conveniat, ut ad aliquam, & necessariam Dei cognitionem, amorem que perveniant, & deducantur, atque ea de causa prudens æstimavi a crebris auctoritatum citationibus, ac obscuris theologiæ locis, & quæstionibus, captuque difficillimis abstinere: eaque tantum collegi, quæ nostro huic apta, oportunaque mihi visa sunt instituto; sicque opus istud in duas distinguimus partes, & libros; & primo quidem de Doctrina nobis agendum erit Christiana: nimirum Symbolum exponetur fidei nostræ Credò in Deum *& illius, quos fides complectitur, articuli; dein & orationis Dominicæ* Pater noster &c. *aperientur sensus, & voces: tum de præceptis Dei, quibus adstringimur, agemus, deque fugiendis à nobis vitandisque peccatis: demum & de septem Ecclesiæ Sacramentis. Secundo autem libro breves quasdam proferemus collationes, exercitationesque spirituales, sive instructiones, aut elucidationes super omnes Adventus Dominicas dies, atque eas, quæ à septuagesima decurrunt ad Paschatis diem, festivosque alios per annum Christi,*

Sanctorumque, vel Deiparæ præcipuos dies: id breviter attingens Evangelii, vel Epistolæ, vel introitus missæ, vel collectæ diei cujusvis, quod in eis plus conferre posse visum est ad plebis ædificationem, & devotionem; ut sic, vel leviter saltem capiant, & sapiant id, quod ea de causa consulto dicitur in missa. Nullam itaque deinceps Ecclesiarum rectores, & Capellani rudiores, & illiterati causentur excusationem dicentes, se doctrinam ab Ecclesia in sacrosancto missæ sacrificio traditam, & intentam exponere aptè populo non valere; dum enim illi Dominicis, festisque diebus singulis solemnioribus, & de præcepto servandis contentam hoc libro conciunculam, & exercitationem huic diei assignatam populo perlegant; muneris sui partes obierint, rudisque sic, cum ædificatione, & consolatione populus abibit ab illo, ob eam etiam rationem hujusmodi exercitationes, & adhortatiunculas omnibus per annum diebus Dominicis proponere consultò noluimus, ut & locus sit saltem aliquibus earum, quibus nulla sit præscripta, propositaque exhortatio, doctrinam prælegere Christianam priori libro contentam.

CATECHISMI.
SIVE
DOCTRINÆ CRISTIANÆ
LIBER PRIMUS.
TRACTATUS PRIMUS.
De XII. Symboli Apostolici articulis.
CAPUT PRIMVM.
De dignitate, & excellentia, ad quod vocamur, fidei luminis.

HOMINIS Dignitatem, ac super animalia, creataque omnia, corporaliaque præcellentiam in eo maxime esse constantissimum est, quod is unus ex illis potens sit dignusque habitus, qui Deum ipsum agnoscere, colereque possit, & diligere: corporalibus siquidem exercitiis, & facultatibus pleraque nos animalia superare perspicimus, ipsa etiam hujus servandæ, retinendæque vitæ corporalis arte, vel de necessariis ad illam providendi solertiâ, cum ad formicas, serpentes æque discendi causa, nos aliquando Scriptura Sacra remittat. Uni idcirco Deus *os homini sublime dedit, cœlum que tueri Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus:* quia solus & ille potest ad unum, æternumque Deum cor suum erigere, cognitione scilicet, & affectu, sive amore. Quam ob causam id unum a nobis præ cæteris exigit Altissimus, & ad id impellit nos veram ut ejus agnitionem, ac subinde dilectionem assequi contendamus. His si quis egeat aut careat, de eo certe dicendum, & sentiendum, quod olim à Domino dictum, & pronnntiatum, *homo cum in honore esset*, naturalis scilicet excellentiæ, *non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus*, irrationalibus animantibus, *& similis factus est illis*. Quamvis enim aliqua cæteroquin virtutis gratia splendeat, nisi & prædictâ simul cognitione Dei præditus sit tam illi utilia sunt cætera,vel prosunt absque ea, quàm prosunt homini sine capite membra. Veram autem hanc Dei cognitionem nemo consequitur, nisi qui fidei Catholicæ lumine radiatur, quia sola cunctorum, quæ de Deo scire debemus in hoc exilio,vel credere,veritates aperit,& complectitur, cæcutitque omnis, & in tenebris versatur,plusquam Cymmeriis, cui & lux illa nondum illuxit animæ, neque,quâ sit ad illum eundum viâ, quidve acceptum illi sit novit: sed ira Domini super illum est.Quare quiDeum vere sciunt,aut sentiunt altis suspiriis nostram deflere debent animi vecordiam,& ingratitudinem erga Dominum, qui Christianos nos fecit, & divinæ lucis hujus voluit esse participes, cujus adeo nos beatæ sortis, & vocationis immemores. In eo namque præcipue complurium excæcatio spiritualis agnoscitur Christianorum, quod fidei, quod *à Deo* habent, beneficium parum attendant, parum sapiant, & obliviscantur, quod nihil omnino curent, aut negli-

gligant Deo gratias agere, *qui nos ad hanc lucem ipse vocavit in agnitionem veritatis, & in societatem, & partem sortis sanctorum*. Dic quæso Christiane, cur infinitam io te quotidie perpendens Dei misericordiam non obstupescis? Non elanguescis? Cur non deficit cor tuum in temetipso? Cum enim illi creare te ex nihilo placuit, unde, amabo, tu & quod non inter Saracenos, Infideles, & Mauros, vel inter Luteranos, & quotquot à fide devios nascereris ab illo promeruisti? Num ad altissimum hoc Dei beneficium, ad tam ioscrutabile Divinæ in te misericordiæ judicium emollitur, & penetratur cor tuum? Quod certè judicium, ac mysterium alìè meditatus scrutatusque sublimis jam à terra Paulus in hæc verba prorupit. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Vis intelligere quam in comprehensibilia sint hæc? Secundum hoc justum, rectumque Dei judicium alios ad lumen veritatis trahit, alios & in infidelitatis caligine dimittit. Quare tibi, Christiane, summopere commendo, id ut quotidiè beneficiis mente recolas, & revolvas assidue cum debitis gratiarum actionibus, & iotimi cordis affectu; præ oculis habens & attentè considerans, quomodo te Deus pro eximia sua in te misericordia *segregavit ex gentibus, eduxitque de tenebris*, ut Petrus loquitur, atque *vocavit in admirabile lumen suum*, quomodo segregavit te ab iis, qui ab illo extranei sunt, erraverunt à viâ veritatis, & longe facti sunt à vita, & via Dei, traxitque te, & adduxit ad participationem Sacramentorum suorum, & spiritualium pharmacorum, atque cœlestium: Ante mundi constitutionem elegit te atque vocavit viva divinitatis suæ voce: quomodo, inquam, infinitos misericordiæ suæ thesauros aperuit tibi, divitiarum æternitatis hæreditatem pollicitus. Qua de causa Christianos omnes ignito plane eloquio Principes Apostoli Petrus, & Paulus obtestantur ut infigant in cordibus suis tanti memoriam, gratitudinemque beneficii *benedictus Deus* inquit Paulus, *& pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: qui regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conservatam in cœlis in vobis*. Hæc duo illi Principes Apostoli, quibus ad immensæ hujus à Deo receptæ gratiæ, qui nos christianos esse voluit, & per gratiam suam fidei suæ nos luce donavit, gratitudioem, æstimationem ve provocant. Quare nullus ex eo vel ex ignorantia, vel ex errore, cæcitateque sibi persuadeat a libero voluntatis suæ delectu esse, quod sapiat, & firmiter credat omnia, quæ sancta Mater ipsa credit Ecclesia, cum a misereotis Dei largitate sit, & gratia, qui fidei lumen ejus animæ infundit, & ab illo uno sit, quod huic divinæ fidei credat, & inhæreat; ideòque sic Apostolus loquitur docens non à nobis, sed ex Dei dono nos habere, quod credamus, ne quis glorietur, quasi aliunde non acceperit, & à se haberet; & alibi idem Apostolus dicit: *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Quid sit summa, & substantia fidei nostræ, & in quo consistat.

JAM diximus fidei Catholicæ, quo nobis illuxit Dominus, lumen, Doctrinæ Catholicæ, Religionisque verum esse fundamentum; adeòque nunc quæ nam sint fidei capita, sive articuli, queis assentiri nos, & credere fides Catholica jubet. Sed antequam ea singillatim explicemus, quid sit, & in quo consistat fidei nostræ Catholicæ substantia præsenti capite globatim, & summarie declarabimus; Quæ certe fides in eo sita est, ut ait Apostolus, quia Jesus Christus crucifixus verus est, & naturalis filius Dei, qui propter nostram salutem in utero Mariæ Virginis carnem suscepit humanam, & dedit semetipsum in redemptionem pro nobis, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, qui, cum essemus natura *filii iræ*, & damnationis, Deique hostes, & inimici, morti *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter Justificationem nostram*, ut per ejus gratiam, & merita, & nos grati essemus, & accepti coram illo. Cumque mortui essemus propter peccata nostra, peccatumque originale, quod nascendo contraximus, & ab Adamo protoparente carnali sanguinis hausimus, atque hæreditavimus, sanguine, vivificavit nos, & conresuscitavit, vitam animæ restituendo spiritualem, & per Sacramentorum efficaciam nobis gratiam conferendo; a cujus gratia, morte, meritis, & passione totum, quod æstimationis, ac valoris inest in operibus nostris, & pœnitentiis pendet; Cujus nos meritis non nostris gratiam accipimus, per quam justificati sumus, & ab iniquitatibus nostris emundati: nec ante susceptam hanc gratiam aliquid ponderis habent opera nostra, vel pretii, quod quicquam apud Deum promereantur. Quare cum eam recipimus, sola Dei misericordia, gratisque confertur, & sine ullo nostri merito, quamvis, ut rationis jam usu potiti, recipiamus, opus omnino sit ad eam nos, Deo favente, suscipiendam præparemus, ab ea quippe recepta bonorum omnium, quæ peragimus, operum, & pœnitentiarum pondus & valor, quod illius vi Christi meritis ea uniantur, & passioni, à qua, & pondus omne illis, & apud Deum valor, adeò ut si vel ab ejus suso in Cruce dividantur, & auferantur sanguine, nihil nobis ad salutem essent utilia: unde Albertus Magnus in tertio sententiarum ait, virtutes nostras, & merita juxta Christi virtutem posita unionibus, & margaritis ad solem positis esse similia, quæ dum scilicet radiante sole rutilant, & micant, eo recedente, & in tenebris hebescunt; & Chrysostomus ait, ideò operibus nostris nihil à se ponderis esse, vel meriti, ut per ea nobis à Deo habere conferatur, cum enim intincta illa, rubricataque sanguine Christi cœlum assequuntur. Quare licet ex debito diligentissimè teneamur operari bonum, Deique mandata servare, & parentis Ecclesiæ, iisque vitam promereamur æternam, nihil tamen in eis, quantumcumque operati fuerimus optimi, omnino fiduciæ collocandum, sed in Christi Domini merito, & passionis, a quo valor illorum oritur omnis, pendetque meritum, cujus unius, & meritis æternæ vitæ gloriam expectemus ab ejus misericordia, cui confidimus, ejusque sanguinis efficacia pretiosi, hoc attendentes, quod sicut olim ipsa misericordia nos ad fidei suæ lumen adduxit, sibique incorporatos sui corporis, quod est Ecclesia sancta, & mater nostra, constituit nos membra, sic eadem illa demum, & unitos sibi conjunget in regno suo nos, qui illius sumus & sanguis, & corporis ejus membra, nec rejiciet, aut sustinebit avulsa nos a capite membra, cui vel in hoc seculo fortissimè semper adhæsimus

simus in fide non ficta, in spe firma, & cordis charitate pura, & integra.

Atque hæc, quæ eredimus, omnium summa, qua nititur, fulciturque spes omnis, & fiducia nostra, huc prosequi debet amor noster, affectusque, & desiderium. Hoc enim nobis, & assidue petendum a Domino, humili sic ad eum corde flagitantes: O æterne Deus omnipotens, & pater cœlestis non intres in judicium cum servo tuo, nec ex operibus meis, quasi meis, me judices: aliud enim ante faciem tuam in mei causam adduco, nisi Christi Jesu Unigeniti tui Domini Nostri merita. Hæc scilicet apud divinæ, supremæque tuæ tribunal Justitiæ flagitia mea vindicantis ejus pro me profero merita, quibus, & sic immensa fulget misericordia tua, ut apud te etiam haberentur, & mea; quod iis ille nihil indigeret, cui de jure debebatur, & connaturalis erat gloria. Ideo me sibi membrum cooptavit ille, fratremque voluit, ut quam ille tenet æternitatis gloriam, ac felicitatem, & cum illo communem haberem ego, atque participarem. Quare, & eo jure confisus, hanc a te merito nunc quæro, atque in ipso tremendo, Divinoque tribunali deberi mihi contendo, liteque contestata prosequar actor in conspectu tuo. Nihil quidem ex me meriti ultro fateor, qui filius iræ sum, hæres inferni, mortisque mancipium, sed ab una dignatione tua sublimis hæc venit adoptionis tuæ gratia, qua tuus jam audio filius, isque verè sum; grataque tibi, & accepta, mercedeque tua, & merito digna potens in conspectu tuo operari opera.

CAPUT TERTIUM.

Ut fidem banc in christianorum corda variis inducere nititur, & inserere modo Ecclesia.

HAnc in cordibus nostris altùm radicari optans fidem Ecclesia mater sanctissima, variisque hujus seculi cogitationibus, rebus, atque consiliis implicitos hinc, & avocatos intelligens filios suos, his ut medeatur nullum non lapidem movet, artibusque mille utitur, & stratagematis, ut eos illiciat, & sacræ fidei nostræ, redemptionisque mysteria in memoriam, & intellectum voluntatemque, ipsorum graviter inducat. Hunc certè in finem ab ea sacrorum Bibliorum libri producti, conditique; in id imperat, ut hac viva vocis energia palam omnibus exponantur, aperianturque mysteria. Idcircò voluit, ut picturis etiam, & imaginibus ea repræsentarentur. Eadem intentione Crucis vexillum instituit, qua signemur; nec in Ecclesiis modo, piisque locis apponi jussit, & erigi, sed Regiis etiam, publicisque, quibusque viis, & compitis: ut oculis ubique nobis obvia sit, atque Christi Domini pro nobis Crucifixi memoriam revocet, ac renovet. Huc spectat, & instituitur tam frequens ille, multiplexque festorum, & solemnitatum usus, & numerus, ut hæc Divina mysteria meditemur attentius: veluti festivitas Incarnationis Domini Jesu, ac Nativitatis ejus, Passionis etiam, Resurrectionis, Ascensionis, cæteraque demum aliæ: distinxitque propterea tempora, menses, & annos, nempe quatuor hebdomadibus colere præventivè voluit venturi in carne Christi mysteria, quo se fideles ejus, ac filii suscipiendo cum devotione Domino ex Virginis utero nascenti Puero præparent, quod tempus Adventus nomine nuncupavit. Sic antequam passionis Domini mysterium ineat, diebus quadraginta, ante quos idcircò quadragesimæ nomine indigitamus præparari nos jubet, instare pœnitentiis, jejuniis domare corpus, & abstinentiis, atque orationibus vacare, ut Christo conformes facti carnem affligentes, & mortificantes cum illo resurgente conresuscitari mereamur, & conregnare in cœlestibus.

His

His & innumeris aliis ritibus facris, atque cæremoniis in animabus nostris revocare nititur Ecclesia Christi Jesu Crucifixi memoriam, eâ que vivificare, & amoris sui igne divini corda inflammare, ideò namque signaculo nos sanctæ Crucis, ut fæpissime nos, frontemque signemus nos admonet, qood hujusmodi signi benedictione fidei nostræ præcipua continentur, exhibenturque, quæ quoties nos eo signamus, & benedicimus, toties, & eadem profitemor, confitemurque mysteria. Quod autem rudiores, & plebeja gens signo se salutiferæ crucis persæpe signant nihil ea, quæ continentur, & exhibentur mysteriorum advertens; operæ pretium hic erit, ut ea nunc explicemus, & exponamus, ut arcanorum hoc facro ritu reconditorum intellecta sublimitate, nos & frequentius, & majori devotionis affectu divino hoc imposterum consignemus, benedicamusque signaculo.

Et primo quidem dexterâ ad frontem elevatâ ad imum pectus, & umbilicum descendimus: deinde ad sinistrum humerum, & hinc ad dexterum flectimus, quibus primum Ecclesia nos docet Dei Patris Filium à fommo cœlo beatissimæ Virginis in uterum descendisse, atque ex ejus purissimò sanctissimo sanguine carnem assumpsisse, suâ nos ut incarnatione, passioneque à sinistrâ transferret in dextram, sive ab impiorum, damnatorumque numero, & consortio, qui à sinistris Dei erunt in die Judicii (uti Dominus ipse apud Matthæum cap. 25. dixit) & hanc ab eo audient vocem: *ite vos maledicti in ignem æternum*; ad cœtum vero electorum, & beatorum, qui tunc à dextris collocati vocem hanc optatissimam, suavissimamque Dei audient *venite benedicti patris mei percipite regnum*, *quod vobis paratum est à principio*. Sicut advertit Innocentius Papâ libro 20. de Sacramento Altaris Cap. 44. tribus manus digitis *Crucis hoc signaculum* efformari debet, ut sic sanctissimæ Trinitatis mysterium adumbretur, Pater scilicet, Filius, & Spiritus Sanctus, quorum nomen ore proferimus, quique tribus personis unus est Deus. Vide quam sublimia contineantur sub hac exiguâ forma mysteria, quæ crucis hocce signaculo docuerunt nos efformare, Apostoli, in quo sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Passionisque Dominicæ mysterium repræsentatur. Hoc eodem Crucis signaculo supremi hujus, tremendique Judicii memoria diei, Justorumque simul gloria, & malorum pœna commendatur. Quare cum adeo sublimia signo Crocis exhibeantur sacramenta, quid adhuc super est, nisi ut cum Paulo toto corde dicamus. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi in quo est salus, vita, & redemptio nostra* quoniam in ipsa est salus, & vita, & redemptio nostra; eam ob rem in ipso facellorum ingressu, & Ecclesiarum, atque in loco editiori, & medio Crucis appenditur vexillum, ut ingredientium oculis obvium sit, in illudque oculos iotendant, & corda, salutem, & levamen adversus plurimas animæ, quibus premimur, ægritudines ab eo rogantes, sperantesque nos ejus, quod in ea peractum est Passionis Dominicæ mysterii efficacia fanandos iri serpentis à venenosi morsibus, & aculeis uti Christus loquitor Joann. 3. & numero 21., & jure omnino Crucis hoc signum, ceu vexillum in supplicationibus nostris, & necessitatibus præferimus, in quo posita tota est fiducia nostra non in nostris meritis, cujus virtute, & quo speramus, & expectamus auxilium in necessitatibus, levamenque in tribulationibus, atque laboribus hujus in feculi militia nobis ingruentibus. Jure & hoc idem signum erigitur à nobis per compita, viasque rectas, invias, atque regias, in foro, in solitudine, ceterisque locis, ut ubique nos excitet, ac in mentem apud nos revocet, quam semper animo præsentem habere debemus passionis, mortisque Dominicæ memoriam, ut & eo per viam, qua nobis eundum sit, in hoc exilio dirigamur, & muniamur, ut ad cœlestem patriam deducamur; demum nec æger ul-

lus ex hac audet migrare vita, nisi salutis hocce complexus signum, ut cum hujus amore, fideque Crucis mysterii mundo discedens, coram supremo securus audeat, æternoque sistere se Judice. Hactenus de fidei Catholicæ fundamento, quod est Christus, & hic Crucifixus, de quo Paulus ait ad Corinthios 3. *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus*, & Petrus addit Actorum 4. *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri nisi in nomine Christi Jesu*. Verum quod eo complexa fundamento sint tam arcana, sublimiaque mysteria, tot Catholicæ conditæ veritates, quæ fidei vulgo dicuntur articuli, eo quod quotidie recitare solemus symbolum; notati ejus, quod vulgò *Credo* dicimus symboli, ac in eo contentorum fidei articulorum expositionem, antequam aliud aggrediamur imprimis ordiri nos hic oportet.

CAPUT QUARTUM.

Quid sit fides Catholica, quotque illius articuli.

QUas vulgo Divinas, theologicasque dicimus virtutes, fides, videlicet, spes, atque charitas, totius in se habent, & complectuntur christianæ sapientiæ, & justitiæ summam, & epitomen, quarum & adeo virtutum in exercitatione tota stat, atque versatur Doctrina Christiana. In symbolo, quod *Credo* dicimus, fides probatur, quod eo singillatim, & expresse habeantur, quos credere teneamur, articuli; in oratione Dominica quæ *Pater noster* incipit, & appellatur, spes exercitatur, quod per eam, quæ sperare debemus, & cupere cuncta postulemus; in Decalogi denique præceptis charitas exibetur, & operatur, quod ad duo maxime capita hæc omnia revocentur, Dei scilicet amorem, & proximi. Quare de fidei primum hic tractare debemus praxi, Quinam, & quanti à Deo revelati, & à sancta Ecclesia matre credendi nobis propositi sint articuli dilucidè exponentes.

Ad quod intelligendum, sciendum primo credere nihil aliud esse, quam adhæsio firmissima, consensusque judicii, & intellectus nostri à Deo illustrati in ea, quæ Deus ipse revelavit, quale est, illud certissimè credendum, Deum scilicet in substantia, natura, & essentia unum, trinum esse in personis, Patrem, Filiumque, & Spiritum Sanctum: ab eo conditum ex nihilo mundum universum: Filium Dei pro salute humana factum hominem, humanamque carnem in utero Mariæ semper Virginis assumpsisse, pro nobis in carne passum, mortuum, & suscitatum, in cœlos ascendisse, nobisque hic in terra residentem Corporis, Sanguinisque sui Sacramentum aliaque cetera sacramenta reliquisse, & instituisse.

Has omnes quasque infra exponemus certissimè, firmissimèque credimus altissimas, incomprehensibilesque veritates non ratione convicti, sed unius auctoritate Dei intellectum nostrum captivantes, & subjicientes in obsequium ejus, qui nec falli, nec fallere potest in iis, quæ arcana revelat, & credi jubet. Hæc, inquit Chrysostomus, fides lux animæ est, vitæque janua. æternæ salutis fundamentum, hac una credimus fide quecumque sacris habentur arcana scripturæ libris, quodque sancta credit, atque Catholica mater Ecclesia, cujus caput, & pastor unus, & universalis in terris Romanus Pontifex, & Papa. Specialius autem, & singillatius hos omnes credimus articulos, quos universalis Ecclesia proponit Christianis tam sapientioribus, quam rudioribus, sive viris, sive mulieribus, ac cujuscunque sint tandem sortis, & conditionis fidelibus, ut intelligantur ab omnibus,

nibus, memoriæque commendentur, ac firmissime credantur, quos quidem fidei articulos viri quidam sancti, & docti censent esse quatuordecim, alii vero duodecim; nos clarius expressum in Apostolorum symbolo, quod frequens in ore nobis, sequimur hic ordinem, & distinctionem, quando tractatus iste susceptus à nobis, & institutus, ut rudiores populi saltem aliquo modo intelligant, quid ore confiteantur, cum hæc proferunt *Credo in Deum patrem omnipotentem &c.*

Itaque duodecim tantummodo proponemus, & exponemus articulos, quibus hoc symbolum coalescit partibus *Credo* nuncupatum: hoc primum advertentes ab Ecclesia fidei dici articulos, præcipuas has, & primarias ejus veritates, quas, uti jam supradictum, omnibus Christianis explicitè, determinatèque credendas proponit, ad quas veritates quævis alia sint mysteria, ceu ad fontem revocari debeant, & originem, easque contineant, & complectantur.

CAPUT QUINTUM.

De priori fidei articulo, seu prima symboli particula scilicet:
Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem
Cœli, & Terræ.

Hoc primo, fratres, fatemur articulo unum esse Deum, primamque substantiam intellectualem, & infinitam, vitæ totius, & esse fontem, supremam bonitatem, atque sapientiam, majestatem æternam, potestatem infinitam, immensamque justitiam, atque misericordiam; deficit, hebescitque debilis intellectus nostri, oculos in hanc dum intendit nititurque clarissimam lucem, infinitamque pulchritudinem; Cum perspicuum sit, eò tantum attingere nostri intellectus aciem, ut intelligat ad ejus perfectam pervenire nunquam posse cognitionem, vimque intellectus nostri longiùs excedere, David ut olim ipse profitebatur psal.138. dicens *mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam.* Quare non sine fidei, humilitatisque fræno debemus ad hanc altissimam involare sapientiam, affectu potius, & amore, quàm indagatione curiosa tentandum immensum hoc esse totius pelagus, ne quod comminatur Prov.25. Deus, nobis aliquando contingat: *scrutator majestatis opprimetur a gloria.* Adeoque quantò nobis circa hæc deficit, ac intellectui nostro claritatis lumen, tanto, & in nobis augeri debet, & crescere cognoscendi, plenissimeque fruendi desiderium: cum Psalmista dicente psalmo 41. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.*

Hoc autem articulo non id unum habetur, & creditur unum esse Deum, eaque quæ sacris in Scripturæ libris edixit, vel sanctæ matris Ecclesiæ revelavit authoritate, certissimam habere, complectique veritatem, & infallibilem, sed & id adhuc intelligitur debere nos hujusce Domini omnino committere voluntati, & arbitrio, hunc unum diligere, ac omnibus aliis anteponere, unum vereri illum, & in eo confidere uno, quam certè nostram in ejus arbitrium abdicationem hisce verbis exprimimus *Credo in Deum*, quod non ita convenienter exprimeretur si diceremus *Credo Deum esse*.

Fides ista lux nostra est, faxque in hujus seculi tenebris. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum*, ut Joannes ait epist. 1. 5., qua Satanæ omnes, & inferni Leonis artes dissolvuntur, quæ, ut Petrus habet Epist.1. Cap.5. mundum hunc circuit quærens, quas disperdat, & devoret animas, adversus quem, ut dicit

 Pau-

Paulus ad Ephes.6. nullum nobis est, *nisi fidei scutum*.

Hoc etiam fatemur articulo, Deum esse omnipotentem, cui nihil difficile, & impossibile, qui solo Verbo, nutuque suo cuncta creavit hæc ex nihilo visibilia, & invisibilia, eademque creata sic servat, fovet, atque gubernat, quæ & manum eo revocante, pristinum ipsa reverterentur in nihilum, cujus providentia cuncta complectitur etiam minima quæque, cum, & Matthæus habet Cap.10., nec passer volat, nec folium ab arbore decidit absque Dei voluntate, & prudentia singulari. Quam quidem factis negant illi veritatem, etsi labiis confiteantur, qui sic vivunt, ac si nec opera, res ve curaret hominum Deus, ac si laterent illum errores, & delicta nostra, nec illi quidquam justitiæ sensus, & vendicandi zelus. Sic in Dei providentiam injurii sunt, qui in adversis hujus seculi non patienter se habent; si enim illi firmiter crederent, & cogitarent ærumnas hic nobis omnes, & molestias evenire, Deo volente, & mandante, mundumque istum haud aliud esse, quam ardentissimum, feracissimumque tribulationum clibanum, quibus, ut aurum igne, justi puriores fiunt, mali deteriores, inde facti in fumum, & favillas, ut fœnum, abeunt, & pereunt; patienter sustinerent utique, & solarentur, hoc etiam articulo primam apertè confitemur sanctæ Triadis personam dicentes, *Credo in Deum patrem*, nec enim hoc eodem accipitur modo vox illa pater, & nomen, ut in oratione Dominica, cum dicimus *Pater noster*, hac enim orationé patris nomine intelligimus, & appellamus trinum, & unum, quod tres illæ sanctissimæ Trinitatis personæ unus sunt, & pater noster, & conditor noster; in hoc autem articulo patrem dicimus primam unam hujus Trinitatis sanctissimæ personam, qui pater est naturalis, & æternus Christi Jesu Domini nostri; adeoque mox subjicitur *Credo in Jesum Christum ejus filium unigenitum*.

CAPUT SEXTUM.

De secundo fidei articulo Credo in Jesum Christum filium ejus unigenitum Dominum nostrum.

HOc articulo secundam Trinitatis, Deique personam confitemur, quæ est Christus Jesus Dominus noster, fatemur que hunc unicum, & naturalem patris Filium, ab æterno genitum ejusdem cum eo substantiæ, bonitatis ejusdem, & majestatis potentia sapientiaque, ac ceteris quibusvis aliis Divinis perfectionibus æqualem per omnia. Qui quidem, in quantum filius est, Verbum Dei dicitur, vivaque, & invisibilis imago Dei, in quantum autem homo *Jesus* appellatur *Christus*. *Jesus* quidem, quia populi sui salvator est; Christus vero quia fuit unctus, & quia repletus est à Spiritu Sancto plenitudine gratiæ, & sapientiæ, Messias, Rex, & Sacerdos summus in omnibus primatum tenens, cui data est potestas omnis in cœlo, & in terra, quem & jure vocemus in hoc articulo Dominum nostrum; cum enim periissemus omnes, æternaque morte damnati, sua nos ille misericordia liberavit, fusoque sanguine suo pretioso immensa liberalitate redemit, nec est aliud sub cœlo datum hominibus nomen, in quo salvi fiant. Cum enim in sordibus Adami, & peccato infecta, corruptaque esset omnis humana propago, mediator ille nobis factus est, qui à captivitate nos eriperet, & potestate Diaboli, liberaretque à peccati jugo, à mortis faucibus, & inferni voragine, nosque reconciliaret patri suo, inimicitias ejus cum hominibus deferens, donans nos donis cœlestibus, & comparticipes nos faciens Divinæ suæ generationis, ut essemus, & nos filii Dei per gratiam,

sicut

ſicut, & ille filius ejus eſt per naturam. Quare & oportuit illum eſſe Deum ſimul & hominem, ne Deo illi deeſſet ſalvandi poteſtas, nec homini deficeret, qua pati pro nobis poſſet, infirmitas; mori, ut homo poſſet, ſeque mortuus, Deus virtute propria ſuſcitare valeret. Ipſe enim eſt via noſtra, qua ad patrem imus, ſicut ipſe ait Joann. 14. dicens *nemo vadit ad patrem, niſi per me*. Ipſe eſt veritas, quæ illuminat omnem hominem, & animas noſtras; Vita noſtra eſt, qua nos vivimus, quapropter ille dicit Joan. 10. *Ego ſum via, veritas, & vita: ego ſum oſtium: per me, ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet*. Hic eſt Rex noſter unus, & verus, cujus regni non erit finis, qui nos hic inviſibiliter, ſpiritualiterque regit, ab immanis poteſtate tyranni, tartareique principis, cui priuſquam aqua regenerati per baptiſmum ſubjiciebamur, eripiens nos, quem idcirco, cum baptizamur, abrenuntiamus dicentes *abrenuntio Satanæ, & pompis ejus*. Æternumque me Chriſti ſervum obſtringo, mancipiumque me profiteor. Iſtaque complectitur hic articulus theſauros immenſos, & præcipuos miſericordiæ Dei, qua filium ſuum unigenitum nobis dedit redemptorem, & liberatorem à graviſſimis, & ſpiritualibus, quibus detinebamur ærumnis, & miſeriis. Parum enim profuiſſet nobis omnipotentia conditos eſſe, niſi & redemiſſet nos miſericordia. Adeoque & hoc articulo nobis venit originalis maculæ, peccatique confeſſio, quo mortis hæredes, & damnationis perpetuæ ob Adami parentis noſtri Dei mandatis inobedientis, & contumacis culpam debitæ rei naſcimur omnes. Qui certè parens ille primus, genitorque noſter Adam Dei in ſe bonitatis oblitus, quia ad imaginem illum, ſuamque ſimilitudinem plaſma nobile formaverat, amoriſque ſingularis, & immenſi quo proſequutus eum tot, & tantis, tamque eximiis ornavit naturæ donis, & gratiæ, maxime vero præclaro illo decoravit originalis juſtitiæ dono, naturæque, quam obtinuit integritatis, & rectitudinis, ab eo receſſit, & ad Diabolum conceſſit, ſervum ſe illi, captivumque cum tota nepotum progenie conſtituens, quo nefando caſu cum ille, tum & nos omnes non Deo tantum, & creatori rebelles, & inimici, ſed nobis ipſis etiam facti ſumus, carne contra ſpiritum (quod & illi ſtatim experti ſunt) repugnante, & rebellante. Quod & æquum omnino, ut qui Deo parere renuat ſpiritus, & ſubditam ſibi viciſſim experiretur carnem inimicam, atque rebellem, atque ſanandis hiſce peccati originalis vulneribus, purgandiſque cæteris mundi venialis, mortaliſque culpæ reatibus in mundum venit in carne noſtra Dei filius, ut per mortem ejus, ac pretioſiſſimo ſanguine deal bati ab omni iniquitate mundaremur, reconciliaretque nos patri ſuo vitam nobis hic tribuens per gratiam, & poſt hanc in cœlo gloriam.

CAPUT SEPTIMUM.

De tertio fidei articulo, Credo in Jeſum Chriſtum qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

HOc agnoſcimus, & profitemur articulo miram hanc, quam in Incarnationis myſterio Deus exhibuit omnipotentia ſua, & ſapientia rationem, & artem qua carnem noſtram, & naturam ille induit humanam in Utero Virginis, in eam perveniente, & fæcundante Spiritu Sancto, cujus virtute, & opera caſtis in Mariæ viſceribus puriſſimo ex ejus ſanguine corpus aptavit humanum, organizavitque perfectiſſimum, in quod & creatam ipſe infudit rationalem animam, ad quæ mox & ſuam univit Dei Filius divinitatem, atque perſonam, ut ſimul & verus eſſet

Deus

Deus,& verus homo,utraque sic in unam coëunte naturâ personam humana pariter, atque divinâ, hacque illam animamque illius sanctissimam infinita gratia, sapientiâque, & supernaturalibus omnibus sine numero, & modo donis immensum exornante, & cumulante; quod tum scilicet omne peractum, & impletum fuit, cum ab Angelo Dei nuntio salutata credidit, & Dei se submisit ancillam arbitrio, in hæc verba prorumpens humilitate plena. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Tunc enim verba illa Joannis Evangelistæ cap.1. veritatem acceperunt, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: idest verbum Dei carnem nostram assumpsit, factusque homo nobiscum, & conversatus est hominibus. Ac licet opus istud divinissimum æque simul operatæ sint Trinitatis ipsius sanctissimæ personæ omnes: Pater quidem, cum, ut Angelus ipse ad Virginem ait, *virtus altissimi patris obumbrabit tibi*: & Filius idem operatus sit, qui nostram naturam induit, Spiritui tamen Sancto specialiter istud tribuimus, qui Patris & Filii amor est substantialis, quia mysterium istud amoris est sacramentum, ut ipse Dominus ait Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret Salvatorem*: itaque duplicem fatemur, & agnoscimus hoc articulo veritatem, primâ scilicet conceptum in utero Virginis ex Spiritu Sancto Filium Dei; altera vero natum ex Maria, & ante partum, & in partu, postque partum ipsum remanente semper Virgine.

Qua ex duplici veritate geminam aliam ad eruditionem nostram, & salutem apprimè necessariam deducimus, colligimusque veritatem, quarum hæc prima est, ut sicut conceptus ille de Spiritu Sancto, sic & nos regenerari, spirituque concipi curemus in Domino, & ex carnalibus spirituales fieri, & filios Dei: cum nisi sic concepti fuerimus nihil simus, meliusque esset si nunquam nati fuerimus. Quis vero sit homo spiritu renatus, conceptusque virtute Spiritus Sancti? Si scire cupis, dico eum esse, in cujus animâ tres illæ sublimes fulgent, ferventque divinæ virtutes *fides*, *spes*, *charitas*: si divina Christi teneas, firmissimeque credas mysteria, in eum si confidenter speras, si cum fervore diligis eum, & amas, scito te in anima, spirituque conceptum interius a Spiritu Sancto, filium te esse factum adoptivum Dei, & Spiritus Sancti habitaculum. At licet incertum tibi sit an ad sublimem hanc etiam num attigeris, pervenerisque dignitatem certis nihilominus indiciis, & conjecturis id assequi tibi, probareque facile, cum in te scilicet expertus fueris vitæ carnalis odium, horroremque peccati cujusvis, firmumque simul ad Dei nutum, Spiritusque Sancti auram, & inspirationem vivendi propositum. Sunt quidem quorum non aliæ cogitationes, & consilia, nisi ut huic obstent conceptioni spiritus, divinamque illam in se impediant, destruantque generationem, in quibus erant, ad quos olim protomartyr ajiebat Stephanus *O duræ cervicis, & rebelles homines! Vos semper resististis Spiritui Sancto*. Quare, ne simus eis similes, Spiritus Sancti vocem audiamus, & obediamus ei, sinamus operetur ille in nobis pro voluntate sua, compellamus eum, & invitemus, ut veniat ad nos, maneatque in nobis, hisce, quibus eum invocat, compellatque mater Ecclesia, verbis omnino ardentissimis, *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni lumen cordium, consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, o lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium; lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium: flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium, da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium*.

Ab

Ab altera vero colligimus veritate matrem sibi scilicet elegisse Filium Dei semper Virginem: discamus & nos cultores esse castitatis,& amatores; quando sic est effectus est animo Deus, ut nec sibi matrem voluerit, nisi Virginem, at licet unicuique non detur ad excelsum hunc virginitatis, & puritatis gradum pervenire; suum in quo versatur, ad quem & tenetur castitatis gradum quisque servare debet. Uxoratus legitima contentus sit uxore, sicque se gerat in usu matrimonii & modo, ut Pauli verbum adCorinthios 7. audiat,& in se impleat dicentis *qui cum uxore est, tanquam si sine uxore sit*.

Ac si diceret: tam caute, & sobrie utantur uxore, vitaeque conjugalis onera sustineant, ut Deum non amittant; qui autem innupti, turpibus abstineant omnino delectationibus, & illecebris, pudeatque in Domino deliciari, ut à carnis titillationibus abhorreant, illisque displiceant, atque fastidiant.

Jusserat olim in veteri testamento, Levitici 3. Judæis Deus, ut animalium renes cum adipe in holocaustum offerrent sibi, & sacrificium, adolerentque, & incenderent, ut judicaret ille, quanti illi esset carnis, & luxuriæ compressio, quæ renibus insidere solet. Ideoque Christus in Evangelio Lucæ dicit *sint lumbi vestri præcincti*, cingulo videlicet castitatis; lumbis enim adhærent renes, & eis instant. Novit quippe Deus carnales cohærere nihil in animâ delectationes cum spiritualibus, quia contrariæ invicem, & incompossibiles, cuique illæ sapiant, istæ nauseam pariant, stomachumque provocent aliæ: Atque idcirco tota est Scriptura Sacra, novumque præsertim testamentum in commendanda nobis cruce, carnisque mactatione, & mortificatione, quod ubi turpibus arescens est, & subducta caro delectationibus omnino tunc liber est, & expeditus, qui divinis impleatur, fruaturque spiritus oblectationibus, atque consolationibus. Fuit vero Virgo sanctissima virginitatis in hoc seculo castitatisque magistra, & signifer, quia cum apud Judæos esset hæc commendatissima virtus,suo hanc illa nobilitavit,propagavitque & exemplò,& magisterio, quare in psalm. 44. Rex Propheta cecinit David, *Virgines multæ adducentur post eam Regi Domino*.

CAPUT OCTAVUM.

De quarto fidei articulo, quo dicitur: Credo Jesum Christum sub Pontio Pilato passum, Crucifixum, mortuum, & suscitatum.

Credimus hoc articulo, Christum Dominum, quantum homo fuit nostri causa, & amore vere passum esse, sustinuisseqne contumelias, opprobriaque innumera, cruciatusque maximos, & dolores: qui cum agnus Dei esset innocentissimus mitissimusque, Pontio Pilato jubente cruci addictus fuit, atque confixus, mortuus insuper, atque sepultus, sicut Isaias olim cap. 53. præcinuerat verbis, *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, despectum, & novissimum hominum, virum dolorum, scientemque infirmitatem, percussum à Deo, & humiliatum. Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est in cruce quia voluit, & non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum*. Hæc sunt Isaiæ de eo verba.

Post

Post alia plurima tormenta crucis tandem probrosissimum, atrocissimumque pertulit supplicium, sursum elevatus à terra, ut omnia traheret ad se sicut prædixerat, ut ab ea sublatus ipse carnales etiam, terrenosque homines ad cœlestium amorem, atque desiderium elevaret, dum erectum eum, suspensumque cernerent cœlum inter, ac terram medium utriusque mediatorem, Deique cum hominibus conciliatorem. Extremos pati voluit ille dolores, extremos ut nobis æterni gaudii consequeretur honores. Ad imum ille descendit infamiæ, & vituperii, ut ad summum perveniremus nos æstimationis, & dignitatis in conspectu Dei: jacturam ille nominis sui sustinuit, & famam coram hominibus, gloriam, & laudem ut assequeremur in conspectu Angelorum. Denique, & mori voluit, ut vivificaremur, morteque sua, nostram & æternam & temporalem interimeremus mortem, quod in generali tandem hominum resurrectione perficietur, olim ut ipse per Oseam prophetam Cap. 13. morti fuit interminatus dicens: *o mors ero mors tua*, quasi diceret, ego te perimam; atque adeo in ejus sanguine, vulneribusque, cruce: & morte tota est vita nostra, salus, & solatium nostrum: dum tamen laniato, spinisque coronato capite membra non simus molliter delicata; sed, ut Paulus ait, cum illo compatiamur, & cum illo conregnemus, ac sicut Petrus habet Apostolus ep: 1. 4. *Christo igitur in carne passo & vos eadem cogitatione armamini*, propositoque, propter illum & vicissim patiendi: Paulus vero monere nos id, & commendare nusquam non sollicitus est ad Thessal.2. *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, additque, *mortificate membra vestra quæ sunt super terram*. De se vero sic ait ille ad Galatas 5. *Christo crucifixus sum cruci; in nulloque gloriari se velle, nisi in Cruce Domini per quem mundus* illi *crucifixus est*, & ille *mundo*. Quibus verbis subintelligebat, & indicabat sic mundi illecebris, atque vanitatibus affici, sic eas amare, & anhelare ac terrenus, animalisque, & carnalis homo crucem, & tormenta prosequitur.

Cum autem bonorum omnium salutisque fons, & origo sit hocce passionis, crucisque Domini mysterium, hujus imprimis meditationem idcirco viri sancti commendare solent, quod ea virtutum omnium singulare quoddam quasi speculum est, & exemplar, unde vulneribus nostris, peccatisque omnibus pharmacum, & medela petatur, si superbiam tumidus hujusmodi sanando ulceri ceroma nullum opportunius, quam Christi Jesu in ejus passione meditari humilitatem, tot, tantaque in ea passi vituperia, ut in id consulto voluisse videatur Deus, cum toties, tamque varios apud Judices, & tribunalia traduci, derideri, deludi curandæ scilicet hominis superbiæ, malorum omnium scaturiginis. Sputis enim primum exceptus est, & colaphis apud Caipham, tum in domo Herodis irrisus, & in amentiæ signum, atque contemptum veste alba indutus, atque dimissus, despectus, derisus ab ejus aulæ ministris, cetérisque omnibus, signis, verbis, factisque procacibus, & contumeliosis impetitus stultusque reputatus: tunc iterum ad Pilatum cum opprobriis remiserunt, apud quem immensum probrosa omnis, & contumeliosa in illum tractatio. Ibi enim flagris, conviciisque affectus Rex acclamatur, Regiaque veste lacera, & obsoleta purpurea indutus, spinis redimitur, & coronatur a militibus irrisoriè coram eo genuflexis, ab his per opprobrium salutatur: *Ave Rex Judæorum* simulque sputis, pugnis, & colaphis excipitur; ipsaque, quam illi in manu, ceu sceptri in modum gestandum dederant, arundine caput illud spinis undique cinctum, & exasperatum percutitur. Hæc autem tanta Dominus in eum sic glomerari, multiplicari que voluit opprobria, ut vel sic tandem generis humani tumor, & arrogantia deprimi posset, *atque tentaret Deus*, insitamque homini

asti

æstimationis, & excellentiæ propriæ, famæ, dignitatis, & gloriæ sitim extinguere inexplebilem: his enim Christi meditatis opprobriis comprimendo mortalium tumori, & sanando ulceri non occurrit efficacius remedium. Luxuriæ verò putidum, & fœtens ulcus haud aliter melius, quam tot Christo inflictorum à Judæis flagrorum, ac verberum attenta meditatione curari potest. Luxuria laboras, o homo, carnisque diffluis deliciis? Ipse verò Deus in carne sua flagris, verberibusque tunditur, ut ejus amore tu hasce fugias abhinc, averserisque delicias. Iracundus es, & tumidus? Eximiam Christi cogita charitatem, & mansuetudinem, qua ductus ille, missusque in carcerem, & adversum se tam patienter fieri sustinuit, & toleravit quæcumque inimici ejus in eum facere voluerunt, seque paratum ad omnia, quasi agnus, obsistens nihil, aut reponens, afferens, & præbens. Si delicatulus tu, & promptus, ut nec paulò duriùs, & asperè dictum, minusque tibi acceptum sustineas, expande tam, quanta Christus auribus excepit atrocia, falsaque adversum se testimonia: cumque sic in eum acclamarent, vociferarenturque Judæi *tolle, tolle, crucifige eum, crucifige. Non hunc, sed Barabbam.* Atque insuper non ab inimicis modò conviciari, & blasphemari se toleravit, ab intimo etiam, amicorumque prædilecto negari passus est discipulo. Si piger, & ignarus ad labores spirituales, animosum te faciat, ac robustum Christi Jesu meditatio, cujus humeris immanitate flagrorum, verberumque laceris, & exaustis, imposita, quam defferret, gravissima crux fuit: ut & ejus amore tu tandem onus aliquod, & laborem feras, laboras ingluvie ventris mancipium, escæ, potusve deliciis inebriatus, & adversus hanc ægritudinem in ejus passione medelam habueris, & pharmacum myrrhatum, cum felle acetum, quod in cruce pro te potavit; denique si contra Dei præcepta tu renitens, & contumax hæc Pauli ad Philippen. 2. Verba de eo temet intus actum expende. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

CAPUT NONUM.

De quinto articulo, Credo, quod Christus mortuus descendit ad inferos, & tertia Die resurrexit a mortuis.

Duplicem hoc profitemur articulo veritatem, prima quidem Christi est redemptoris nostri ad inferos a morte descensus: mox enim ut emisit in cruce spiritum, carne avulsa beatissima ejus anima, corpusque in ligno confixum deserens ad inferna descendit, non ut mortis duntaxat, & inferorum, atque Dæmoniis se palam exhiberet, probaretque debellatorem, & victorem, sed ut detentos in ejus antris, quæ Limbi dicuntur, antiquos, sanctosque educeret inde Patres unius olim anxiè Messiæ præstolantes adventum, & lethum, quia, & ille unus eos ab hoc infirno liberaturus erat, & tenebroso lacu; sicut his Zacharias prænuntiaverat verbis Cap. 9. *tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu inferni, in quo non est aqua.*

Fuit haud dubié trucibus his inferorum potestatibus, atque principibus valdè exitiosus, luctuosusque in infernum adventus, & ingressus: ut enim loquitur Augustinus, aspicientes eum impiæ, & tartareæ legiones tam intrepidè, tam splendidè, & potenter tenebrarum hunc locum adeuntem. *Territæ, trementesque inquirere cœperunt dicentes, quis est iste tam fortis, tam splendidus, tam præclarus, tam terribilis. Mundus ille qui nobis subditus fuit, semperque nostris usibus tributa mortis solvit, nunquam talem mortuum misit, nunquam talia munera in-*

feris destinavit. Quis ergo iste est, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur? Non solum nostra supplicia non veretur, insuper, & alios de vinculis nostris absolvit: post istas autem crudelium, & infernalium voces sine aliqua mora ad imperium Domini, ac Salvatoris omnes ferrei confracti sunt vectes. Soluta statim, à quibus, ne Deum intuerentur, impediebantur tot sanctorum Patrum animæ ab originis labe, vincula; ad hæc enim inferni loca circumfusæ divinitatis splendoribus animæ, lux indeficiens, & immensa, pias omnes illic luce sua perfudit animas, Deique micatibus idoneas fecit, & dignas obtulit: obscurus ille, durusque jamdiù, cum stetit in eo Christus, dum surrexit ille à mortuis, in paradisi delicias, & amœna versus est locus. Ingens haud dubiè fidelibus, & amicis ejus fuerit hocce tam arcani, tamque virtuosi Christi descensus solaminis argumentum, quod certum illis sit ab inferni, mortisque, & Satanæ jugo, atque tyrannide libertatis arrha, & sacramentum.

Altera verò, quam hoc eodem profitemur articulo veritas, Christi Domini resurrectio est gloriosa, qua scilicet anima illa sanctissima tertia demùm illucescente die victor ab inferni surgens barathro relictum in tumulo corpus, ac jacens iterum induit non jam infirmitatibus carnis obnoxium, ut olim, sed feliciter innovatum, spiritualibusque cœli dotibus universis, & privilegiis ornatum, & gloriosum. Expende quæso tu devota mente, quomodo jacebat olim corpus illud in sepulchro sanctissimum exangue, luridum, & cruentum, ubique prope luxatum, atque solutum confixis etiam oculis, mortis denique quaque sui parte luctuosa species, & triste spolium; ut autem ad illud anima illa rediit, & ingressa est sanctissima, omnes ab eo statim exularunt infirmitates, occuparuntque illud gloriæ dotes, & immunitates, factum à modo immortale, incorruptibile, impassibile, subtile, leve, soleque ipso splendidius, ut supra id etiam, quod cogitatione consequaris undequaque decorum, atque venustum: nec enim ubi Propheta Rex cecinit olim psalmo 13. debebat Christi caro salvatoris sancta videre corruptionem, sed proxima suscitatione, spe secura paululùm immorari, latereque sepulchro debuerat. Hæc porrò, charissimi, Dominicæ carnis a morte ad vitam ad ineffabilem hanc gloriam ab hisce, tantisque miseriis immutatio nostræ tandem aliquando, qua spiritualis etiam in hac mortali vita, qua & corporalis in novissimo suscitationis universæ die futuræ resurrectionis imago vera est, & delineamentum; ut enim, quæ tam obscura, fœdaque fuerat absente anima redeunte sic decora, splendidaque facta est Christi caro sanctissima: Ita & nostri cujusque anima dudum a peccato saucia, spurca, & mortua, Christi redeunte, redditaque sacramentorum exibitione gratia spirituali donabitur vita, fietque illa nitida, splendida, & venusta, pristinamque, ad quam olim condita, redibit ad imaginem, similitudinemque divinæ pulchritudinis; atque ideo Paulus ad Rom. cap.4. dicit, quod Christus Dominus morti *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; morte, qui sua peccatum ipsum, quo perieramus, interfecit, vitamque nobis spiritualem sua resurrectione reparavit. Hæc ergo, fratres charissimi, si credimus, firmaque sit hæc nobis fides, nec ore tantùm, sed corde credimus, quæ Paulus ad Coloss. 3. monet sedulò impleamus, o Christiani, & membra *Christi consurrexistis cum Christo*, a morte spirituali ad vitam, *quæ sursum sunt quærite*, sursum e terrenis cor vestrum erigite, & in cœlum conscendite, *ubi Christus est in dextera Dei sedens* quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, si fides in vobis viva, *mortui* proinde *estis* mundo, & carnis desideriis, & *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, spiritualem hanc autem à culpæ reatu

reatu ad statum gratiæ resurrectionem assequti, consequuturos, & aliquando vos corporalem alteram certò confidite; ut enim idem ipse author est Paulus, *si Christus resurrexit*, & nos ejus membra cum illo resurgemus in gloria, *primitiæ* quidem *dormientium Christus* resurrexit, qui resurrectionis electorum imago est, & argumentum, *deinde qui sunt Christi*. Quare multum interest assidua meditari carnis nostræ resurrectionem attentione; futurum scilicet olim, ut hæc illa renovetur, & ab infirmitatibus his, & erroribus liberetur, atque Redemptoris instar immortalis, & incorrupta fiat, & luceat caro nostra. Quod autem horum attenta meditatio plurimum nobis conferat ad comprimendos affectus, mortificandisque carnis desideriis, atque ad promerendam per opera pœnitentiæ carni ipsi resurrectionis gloriam, ideo Timotheum Paulus admonet resurrectionis Christi memor sit, dicens, *memor esto*, Dominum Jesum resurrexisse a mortuis. 2. ad Timoth.

CAPUT DECIMUM.

De sexto articulo, quo dicimus, Credo quod Christus ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris.

HOcce confitemur articulo Redemptorem nostrum post dies a resurrectioné quadraginta (quibus in ejusdem confirmationem discipulis suis manifestè frequenter apparuit, & cum illis conversatus est) coram iisdem, illisque videntibus elevatus est, & conscendit in cœlum, ut etiam secundum carnem exaltatus esset super omnia; non itaque putandus est ascendisse secundum divinitatem, juxta quam, cum nullibi non sit, nec a cœlo unquam abfuit; sed secundum humanitatem, quamvis & divinitatis ipsius operante virtute, quæ sacrum illud corpus altissimo, tantaque majestate dignissimo loco collocare debuit, sursum etiam ille ascendit simul, ut & corda nostra secum sursum erigeret, & a terrenis omnibus, concupiscentiisque carnalibus emundaret, ideo cum Apostolo ad Ephes. 4. Propheta regius psalmo 67. dixit *ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*. Quippe captivi detinebamur in mundo peccatorum, affectuumque carnalium durissimis constricti vinculis, nec cœlum aspirare licebat, aut ad æternitatis bona suprema anhelare: nec efficacius erat, oportuniusque remedium solvendis tam strictis cordis vinculis, nostrisque trahendis, erigendisque in cœlum affectibus, quàm eò Christi salvatoris humanitatem conscendere; hæc scilicet spectabat Paulus ad Hebræos 4. dicens: *habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum filium Dei*: Confessionem, fiduciam, spemque nostram in eo, sicut anchoram, habeamus inter tumentes undas procellosi maris hujus seculi positi: navis enim, inquit Augustinus, quæ fixa firmatur anchora, quamvis nec omnino fluctuantis undæ, ventorumque turbine tranquilla, ab allisione tamen, & submersione semper secura; fluctuat sic & anima, quæ spei suæ anchoram in cœlestis regni, quo Christus ascendit, patriam mittit, etsi nec a tentationum fluctibus, nec venialis infirmitatis Euro securus, immunisque vivat in hac via, nihilominùs ne ad peccati mortalis syrtes, & scopulos unquam allidit, submergitur, dum spe viva, charitate subnixa radicatur in cœlo.

Itaque, charissimi, non discedant, aut divulsa sint a capite membra, quique caput nostrum in cœlo credimus uniamur nos, & adhæreamus illi membra ejus, fide scilicet, spe, & charitate; & attendamus nusquam a morte capiti huic unienda membra ab eo, quæ vel in hoc seculo, vel morte remanserunt.

Ascendit vero Dominus, ut pararet nobis locum, & habitaculum, *ascendit pandens iter ante nos*, uti cecinit olim Propheta Michæas cap. 2. v. 3. superest ergo nobis, ut quam inivit, & indicavit, & nos sequamur viam, & ut pervenire contendamus, ubi & cor nostrum, & thesaurus noster est, ac licet corpori hæreamus, serpereque cogamur in terrâ, mente nihilominus, & spiritu, aquilæ similis ad cœlos usque, Deum que ipsum, cui conditus, ascendat, ac prætervolet, nec ei pennæ deerunt, & alæ, sicut ait Augustinus, quando & in hoc opus tibi concessus a Deo intellectus, & voluntas, huic cum fide tenearis obstrictus, & amore Christianus; quando tibi duo in id posita præcepta amoris in Deum, & proximi ut iis, ceu alis geminis eo pervolares; Quod si detineri te causeris, & præpediri mundi laqueis, tibique pennas quidem esse, sed glutino terrenarum illecebrarum, & vanitatum illitas, & infectas: attende & pollicitas idcirco tibi tantum in cœlo gloriæ delicias, quibus illiciaris. Ideo tantum tibi amoris exhibuit Deus, tot tibi contulit munera, tot obtulit, invenitque remedia, atque sacramentorum malagmata, quibus interiores animæ alas tam virulento, tenacique liberes, & emundes glutino. Quamvis autem, & id initio doleat aliquantulum, & tibi grave videatur, nil despondendum animo, sed attendendum fore, ut cum anima paullum amare, volareque assueverit, evanescat labor, vel certe facilis levisque tandem tibi fiet, puderitque alas has tam fœtido, glutinosoque mundi deliciarum iterum immergere, & inficere cœno. Hoc eodem fatemur articulo, Christum ad Patris dexteram sedere Redemptorem, quem in Deum per omnia Patri æqualem intelligimus, & honore, & majestate, ut in quantum homo ad hæc ipsa cum illo bona, & gaudia, honorem, & gloriam cum eo longe etiam quibuslibet creaturis, Angelisque præexcellentius participando vocatum, & exaltatum; At ut cum Paulo dicamus ad Eph. 1. *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*. Sedere autem diximus, non quod in cœlo Deus, ut in solio princeps, vel in sede homines hîc sedere solent, sedeat Christus, cum nec infirmitatibus, & lassitudinibus obnoxius, sed ut hac sessione pertendamus eam, quâ fruitur nullo labore, lassitudineque commovendam, turbandamque tranquillitatem; vere etenim in cœlo stare dicitur, non sedere Deus, & Christus, uti Stephanus olim saxorum inter grandinem conspexit eum Actorum 1. quia dumtaxat statu promptus expeditusque nobis ille significatur, qui pro se laborantibus, & tribulatis præsto sit, accurrat, & auxilietur. Si tu, Christianè vivere constitueris, saxorum impetui te præpares; nec enim, qui te lapidibus obruant, deficient, atque in iis maxime hostes præcipui, mundus, caro, Dæmonium, qui vel tum præsertim majori te tentationum impetant sævitiâ, quod experientiâ si nondum usque probaveris, vitam adeo te non undequaque probatam, & emendatam assequutum esse certissimum tibi sit argumentum, uti recte monet Augustinus. Jam ergo quantis ac quibuscumque tentationum te senseris cedi premique saxis, rursum oculos erige, sedentemque ad Patris dextram intuere, & attende, nec ipsum eo pervenisse, nisi post immensos (ut ipse dicit Lucæ 24.) in hoc seculo labores passionum exhaustos *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Ejus itaque te componens exemplo confide, solareque 1. Johannis 2. verbis: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*: quia scilicet in quantum ille homo pro nobis interpellat, & orat apud Patrem, peccatorum veniam, & contra hostiles impetus ac tentationes victoriam impetrat.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

De septimo fidei articulo, quo dicitur, Credo Christum in fine seculi vivorum, mortuorumque Judicem esse venturum.

HOc scilicet confitemur articulo secundum Domini adventum, qui novissimo resurrectionis, & Judicii universalis die futurus est, cum iterum Christus Dominus humanâ carne indutus de cœlo descendens, ipsa, qua & illuc olim ascenderat, fulgidus, & tremendus majestate, & potestate bonos malosque judicaturus adveniet, sive tunc illi carni superstites, & vivi fuerint, sive vitam obierint, & mortui; omnes enim tunc resurgere habent in proprio corpore, ut in corpore pariter, & anima supremam accipiant, prout gesserunt in corpore gaudiorum, aut æternæ damnationis ab ore Judicis sententiam; sicut habet Paulus Rom. 14. 10. & 2. Corinth. 5. 10. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum*; hoc ergo tremendo die forma ille nobis apparebit humana quibusdam quidem ad solamen, & lætitiam, hoc est bonis, qui dum viverent, & speraverunt in eum, & dilexerunt, hunc que secundum illius adventum, regnique ejus propalationem expectarunt, totoque corde concupierunt dicentes *veni Domine, veni, & noli tardare*; malis autem, seu iis, qui cum mortalis peccati reatu migrarunt è vita totus erit ad terrorem, indignationemque compositus, ut nec videre sustinere possint, atque idcirco de suprema illa Judicii die tam horrenda, tremendaque feruntur apud Prophetas: *Ecce enim (inquit Malachias cap. 4.) dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens; Omnes adulterantes (ait Oseas cap. 7. v. 4.) quasi clibanus succensus a coquente*. Sophonias etiam Propheta cap. 1. v. 13. de die illa sic loquitur. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos, & tribulabo homines & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*; sic autem Christus ipse apud Matthæum cap. 25. v. 31. *De hoc ejus adventu loquitur cum venerit filius hominis in majestate suâ, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex iis, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: domine quando te vidimus esurientem, & pavimus te, sitientem, & dedimus tibi potum? Et quando te vidimus hospitem, & collegimus te; aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis; amen dico vobis quandiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis. Tunc dicet, & his qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: in-*

infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt, & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: amen dico vobis quandiu non fecistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

Tunc, & quod a Sapiente prædictum olim implebitur. Sap. cap.5. v.1. *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum.* Videntes enim impii, peccatores, & superbi *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis: dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, cum viderint humiles olim in hoc seculo sic a se despectos tam sublimi loco jam collocatos, æternaque felicitate donatos. *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii Nos insensati vitam illorum æstimabimus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum designatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius, sic, & nos nati continuo desinimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno, quia peccaverunt.*

Hæc ergo cum ita sint, Fratres, vigilemus, & attendamus imparatis nobis, & incogitantibus iste ne dies adveniat ex improviso. Ideo quippe clam nobis esse voluit Altissimus utrumque novissimum judicii diem sive singularis, mox ab obitu, sive generalis supremo mundi exitu futuri, ut vigiles ubique diebus, horisque singulis illud putantes semper præsto simus, ideoque Christus Marci 13. dixit v.32. *de die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli iu cœlo, neque Filius, nisi Pater: videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit, ut vigilet Vigilate ergo; nescitis enim, quando Dominus domum veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repentè inveniat vos dormientes: quod autem vobis dico: vigilate.* Hæc verba habuit Christus, ac licet tardius protelari videatur illa judicii supremi dies, non ideo sine sollicitudine vivere debetis, quanto enim illa tardior, hoc & severior erit, & durior, ad sagittæ modum emissæ, quæ eo majori transvolat impetu, quò longiùs elongatur, & distenditur ab eâ funis. *Fugite ergo a facie gladii* (inquit Propheta Job. cap.19. v.29.) *quoniam ultor iniquitatum gladius est, & scitote esse judicium; si acuero*(dicebat olim per Moysem Judæis Dominus Deuteronomii cap.32. v.41.) *ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea,*

mea reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes: carnales videlicet homines, quique secundum carnem ambulant. Quare, & frequenter sic in scriptura sacra Judicii Dies, dies ultionis Domini solet appellari. Optimum itaque, charissimi, saluberrimumque consilium fuerit satagere, dum nobis hæc instat ira Dei (instat autem hæc quandiu, & hic steterit mundus, ac in seculo steterimus, in quo & triticum admixtum paleis) ne sicut palea videamur, sed triticum; quia demum colligetur triticum, atque in horreo cœlesti congregabitur, palea vero mittetur in ignem æternum; omnes (inquit Augustinus in psal.80.) *Laudate Deum, fortitudinem nostram, jubilate Deo Jacob*: Et alibi: *Israel si audieris me non sit in te Deus alienus, & non adores Deum peregrinum*.

CAPUT DUODECIMUM.

De octavo symboli articulo: Credo in Spiritum Sanctum &c.

Superioribus hucusque fidei articulis, quid de duabus sanctissimæ Triadis personis, Patre videlicet, & Filio confiteamur habemus; de persona siquidem Patris dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli, & terræ*; ac licet æqualiter omnibus sanctissimæ Trinitatis personis omnipotentem esse conveniat, quæ tres una, eademque divina gaudent, & individua potentia, nihilominus tamen omnipotentiam, mundique creationem haud inconvenienter Patri tribuimus, qui fons est, & origo divinitatis, a quo procedunt, & Filius ipse, & Spiritus Sanctus. De secunda Trinitatis persona, qui Filius est, & Dominus noster Jesus Christus articulis sex sequentibus summarie confitemur, Dominum nostrum Jesum Cristum, verum esse Deum simul, & hominem, qui ad opus redemptionis nostræ venit in mundum, ut & nobis foret via salutis, veritas, & vita, *per quem salvati, & liberati sumus* (ut ait Paulus ad Titum 2. vers. paucissimis, sed altissimis, ignitisque verbis hæc complexus: *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*.

Hoc autem octavo articulo tertiam confitemur sanctissimæ Trinitatis personam dicentes: *Credo in Spiritum Sanctum*, atque sic integra fit arcani, sublimisque sanctissimæ Trinitatis, & unitatis mysterii nostra confessio, quod clarius etiam, & apertius confiteri solemus: Credo in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & a divo Athanasio sic exponitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur, non confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas*. In cæteris demum æquales perfectionibus: infinitus Pater, infinitus Filius, infinitus Spiritus Sanctus, atque tres unum illi sunt infinitum; quilibet ipsorum Deus est, omnipotensque Dominus, & æternus, & hi tres Deus unus sunt, unusque, & idem Dominus omnipotens, & æternus. Omnium illud maximum, & caput est mysteriorum hisce gratiæ temporibus, & Evangelii reseratorum, cæterorumque radix, & exordium; nec palam uni-

universis Judæorum populis referatum promiscue fuit arcanum illud, sed id illud ad usque tempus servatum fuit, quo trabea mortalitatis nostræ induta nobis apparet æterna, divinaque sapientia, ut immensas exhiberet, & aperiret misericordiæ suæ & sapientiæ divitias, in quibus & illud maximum accepisse nos, & intellexisse, Deum essentia substantialiterque unum, & individuum distinctas nihilominus invicem vere, realiterque complecti personas, quarum altera saluti nostræ remedium, opemque latura nostram dignata est induere humanitatem, quod nos quidem arcanum humili, gratoque animo verbum oportet accipere, nihil præter id, quod concessum nobis est, de eo præsumentes, & gloriati, quasi & illud nobis in hoc mortali seculo intueri liceret, & cognoscere sicuti est; sed firma, vivaque his illud credere continenti, ut post hujus vitæ cursum palam intelligere mereamur, manifestatumque nobis fiat; quia sicut Isaias Propheta loquitur cap. 7. v. *nisi credideritis, & intelligetis*. Hoc unum ergo vobis sufficiat veritatis argumentum, ipsum Dei Filium tam alte cordibus infixum voluisse nobis Trinitatis istud mysterium ut in ipso regenerationis nostræ lavacro, & baptismo qui fidei nostræ, & salutis fons est, & janua, Trinitatis exprimendum voluerit sacrosanctæ mysterium, jusseritque baptizari nos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Itaque divinam bocce fatemur articulo Spiritus Sancti personam, de qua & in missæ symbolo solemus dicere: *Credo in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur*. Quem non ideo tantum dicimus *sanctum*, quia natura sanctus, ipsaque immo sanctitas, sed quod ipse sanctificat omnia, ipse est, qui regenerat nos, adoptatque Dei Filios, uti Paulus ad Romanos cap. 8 v. 16. 1. Corinth. 6. v.: gratiam infundens, & charitatem in cordibus nostris, dignumque nos sibi templum faciens, & habitaculum, ipse Prophetis omnibus, & Apostolis supernam infundit, qua replentur, sapientiam, atque idcircò Dominus apud Mathæum cap. 10. v. 20. ait *non enim vos estis, qui loquimini, Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Vocatur etiam in Scriptura Sancta Joann. 14 v. 16. Spiritus Sanctus *paraclitus*, hoc est *consolator*, qui consoletur nos in omnibus tribulationibus nostris erudiens nos & provocans, ut ab eo, quæ nobis sunt, petamus, & oremus, sicut oportet (Rom. 8. v. 26.) gemitibusque inenarrabilibus & peccata nostra plangamus, & ad cœli gloriam toto corde suaviter anhelemus. Hic, hic ille est spiritus bonus, quem Lucæ 11. v. 13. promisit Dominus daturum petentibus se, qui terrenis nos emundat affectibus, & purificat, carnalesque comprimit, extinguitque concupiscentias, spirituales demum excutit animi tepiditates, languores, & inertiam ad divinorum nos inflammandum amorem, atque ad anhelandum inducit ad cœlestia.

Denique spiritus ille rectus est, quem cum Prophetâ Rege Psal. 30. postulare debemus a Deo dicentes: *spiritum rectum innova in visceribus meis*, qui scilicet affectuum, voluntatisque meæ reducat obliquitates, & dirigat gressus meos in semitam rectam mandatorum tuorum, & beneplaciti tui, donec ad te, patriamque cœlestem, & cœli gaudia perveniam.

CA-

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De nono articulo fidei, quo dicitur: Credo in Ecclesiam Sanctam Catholicam, & Apostolicam, Sanctorum communionem.

HOc articulo, verbisque in symbolo, quod ad missam canitur, additis, unam esse fatemur Ecclesiam, quæ sancta est, Catholica, & Apostolica, in eaque communionem esse sanctorum. Quare & hic omninò opus erit conditiones has quinque, quibus, ceu certis differentiis, & singularibus nobis Christi dignoscitur, & comprobatur Ecclesia, ceterisque vel ab ea errantium facilè distinguitur hæreticorum, infideliumque conventiculis singillatim exponere; Atque id imprimis incumbit, ut quid hoc Ecclesiæ nomine subintelligatur, exponamus. Nec enim aliud vult hoc Ecclesiæ verbum, quàm adunationem, & conventum; adeoque Christianâ nihil dicimus Ecclesiâ, quàm collectionem, adunationemque fidelium, qui in Christum Jesum credunt, omnium in mystici corporis unitatem Verbi Divini gratia, & virtute vocatorum, & ab erroris, & iniquitatum tenebris erutorum, & ad fidei lumen, Deique notitiam adductorum. Quæ qnidem Ecclesia duplici cum in statu reperiatur, duplici pariter, & nominé nuncupari solet; Ecclesiam quippe dicimus triumphantem, & militantem: triumphantem appellamus felicem animarum unionem, & societatem, qua cum Christo regnant in cœlis, & devictis hostibus, & agone consummato triumphum agunt, de quibus Apocalyp 7. Joannes loquitur: *hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus, & qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio eorum est reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Militans autem Ecclesia Christianorum est adunatiò, communioque fidelium hoc in mundi seculo contra salutis suæ, animæque perpetuos hostes, & insidiatores, qui mundus, caro, Dæmoniumque nuncupantur, continuò dimicant, & præliantur, cujus certè Dominus ipse dux est, & protector, & munimentum; ideoque frequenter dicitur in Scriptura Sacra Dominus exercituum, & præliorum, ipseque David Rex psalmo 23. testatur: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio:* hæc autem, uti diximus, Ecclesia quinque jam assignatis agnoscitur, distinguiturque signis, & notis. Quarum

Prima est, ut *una* sit toto late mundo diffusa: sic utique Cantico. num. 6.: *una est columba mea: una est amica mea*, sponsa mea; & Paulus ad Ephesios 4. v. 4. *unum sitis corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis, in una spe* vocationis vestræ: *unus Dominus, una fides: unum baptisma*; adeo ut Ecclesiæ unitas in eò tota sit; ut unam omnes eandem habeant fidem, eosdem fidei credant articulos, Ecclesiæque doctrinam eandem profiteantur, iisdem participent, conformenturque sacramentis præsertim in missæ sacrificio: quæ certe unitas, nec coalescere, nec consistere posset ullatenus, ac retineri, nisi provisum illi a Christo dé legitimo capite, suique perpetuo Vicario, cui teneantur obtemperare, subesseque Christiani omnes in omnibus, quæ credenda statuerit. Sic verò fuit beatissimus Petrus Apostolus, ac ab ipso legitimi quique omnes ejus successores, Ecclesiæ Principes & Romanæ, & Catholicæ.

Secunda vero conditio, seu vera nota Ecclesiæ est, quod sit *Sancta*. Ac primo sancta dicitur, quod a Christo fuerit ejus capite sanctificata, pretiosissimoque illius muricata, dealbataque sanguine, demùm & a Spiritu Sancto moderata, & gubernata. *Sancta* quoque illa dicitur, quia firmiter ædificata supra firmam petram; adeoque fortis, & inexpugnabilis illa, ut & frustra vires suas omnes exerant adversus eam, vel prævalere vel minimùm possint infernorum potestates. Sed & eò amplius audit nomine *Sancta*, qood etsi non omnes in ea Sancti spiritualesque homines, quia longè plures innumeri peccatores, quàm Justi, & Sancti in ea tamen una reperiantur Sancti, nec extra eam ulla sit sanctitas, aut haberi possit, adeoque sanctæ sibi jure nomen usurpat, & titulum Ecclesia a potiori sui parte, qui justi sunt, & sancti.

Tertia verò conditione, & nota *Catholica* nuncupatur, seu universalis, hoc est per universum orbem diffusa ad hæreticorum, errantiumque discrimen, quorum conventicula certis arctantur limitum, provinciarumque suarum finibus; Catholica verò Ecclesia nullis capitur nec loci, nec temporis, nec gentis limitibus: sed omnes complectitur una hominum nationes, & genera, atque ideò dictu Apostolis a Christo: *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*.

Quarto vocatur *Apostolica*, ut intelligamus in ea retineri, custodirique veram, ac genuinam Apostolorum doctrinam, & traditionem, quam nobis non scripto tantum, sed verbo, & exemplo traditam illi reliquerunt; dicitur & *Apostolica*, quod in ea perseveret etiam num una sedis Apostolicæ Petri legitima nec inturbata successio, sanctique hujus Apostoli Petri successorem Romanum Pontificem, ceu pastorem suum universalem, & Papam omnes in ea colant, & venerentur.

Quinta demum, & ultima Ecclesia notà, & conditio est, ut in ea sit sanctorum unitas, & *communio*, hoc est, ut in ea Christi Ecclesia, & familia sic uniamur omnes, ceu ejusdem membra corporis; ac sicut, eà sibi mutuam invicem ferunt opem, & participant; sic & orationibus, meritisque omnium omnes invicem participent, & communicent Christiani. Omnes oramus pro invicem dicentes; *Pater noster, dimitte nobis peccata nostra, panem nostrum quotidianum da nobis, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo:* quibus verbis manifeste probatur non sibi soli, sed omnibus orare ad Dominum quemlibet Christianorum: communicamus etiam invicem bonis operibus, quia cujusque bona opera alios ædificant, excitant, adjuvant, atque solantur, aliorum sustinemus infirmitates, adjuvamus paupertatem, utque loquitur Apostolus ad Galatas *1. 6. alter alterius onera portamus*; quo certe animo locutus ad Dominum ajebat Propheta David psalm. 118.v.63. *particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*.

His plane confessionis nostræ articulus, uti supra, notis expositus firmissimum tutissimumque nobis est munimen, & fulchrum adversus hæreses, erroresque omnes, ne in illos impingamus, atque in eo posita gentis ignaræ, simplicioris que populi summa Theologiæ; cum enim illi firmiter omnibus adhærent, & credunt, quæ sancta docet, tenetque mater Ecclesia Catholica nihil ab hac ignorantiæ labe, in quam ex imbecillitate propriâ, mysteriorumque Dei sublimitate demerguntur sibi secuturum mali, sunt securi.

Hanc extra sunt Ecclesiam Gentiles omnes Ethnici, & Infideles, Christi, qui nunquam intincti fide, vel ab ea alieni omnes, qui susceptam semel abjecerunt, fidem abnegarunt, corruperunt, fermentarunt, & fœdarunt; ac Schismatici omnes pa-

pacem illius, & unitatem præfracte dividentes; denique extra eam fiunt excommunicati omnes, quos, ceu putrida jam, & pestifera saniſque, & integris ejusdem sui corporis membris aliis noxia resecat, a se projicitque membra. Nec eorum aliquis, quos jam diximus, extra unitatem esse Ecclesiæ, verè salvari, Christique servatoris assequi gratiam ullatenus potest, nisi prius ad eandem Ecclesiæ redeat, & revocetur unitatem: ut enim rectè Cyprianus, & Augustinus: non Deum habebit ille patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. Id verò circa separatos ab Ecclesia, sive excommunicatos asserimus, posse quidem illos vero corde pœnitentes, Ecclesiæque conciliari sincerè cupidos, etiam antequam a vinculis absolvantur, ac liberentur Ecclesiæ Christi gratiam promereri, & assequi, a quibus proinde jam vita functi solvi possunt, & liberari debent, ut Ecclesiæ suffragiis gaudeant, & participent. Christiani verò ceteri, qui nec Hæretici, nec censuris Ecclesiæ vincti, sed peccati lethalis sordibus immersi, licet in Ecclesia versentur, & ad illius spectent unitatem: membra quidem illius sunt, sed arida, putrefacta, & mortua, quia & fides illorum mortua est, ac sicut aliquando naturalibus accidit corporibus, quibus & aliquod etiam adhæret membrum paralyticum, ac ceu mortuum nullum a corde caloris, motusve, vel sensus, & vitæ recipiens influxum; sic & extra Domini gratiam in Ecclesia positi Christiani: quo sensu Christus Ecclesiam sagenæ similem dixit, quam boni, malique simul impleant admixti pisces: vel areæ, vel horreo, in quo non triticum mundum, sed & palea servatur. Quamvis si nomen Ecclesiæ strictiori significatione capiatur pro sancta illa, cœlestique, & mystica Jerusalem vivis constructa lapidibus; justorum, deoque acceptorum, sectatorumque bonorum operum duntaxat animæ sunt; Qui lethalis peccati labe fœtidi, omnes extra illam esse veiè dicuntur. Itaque, charissimi, ne vobis sufficiat Ecclesiæ membra esse corrupta, vel arida; sed viva, & ad opus utilia, Christò capiti conjuncta, & adhærentia non fide tantum, & spe, sed charitate perfecta, quia non aliis, quam his, vivisque membris, & lapidibus cœlestis ædificari debet illa Hierosolyma.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De decimo symboli articulo: Credo remissionem peccatorum.

HOc articulo in Ecclesia Catholica peccata remitti condonarique confitemur, quorum solatio Christi Redemptoris nostri passionis fructus est eximius, uti ejusdém in hunc mundum causa potior adventus. Omnis quippe sceleri præcluditur ad gloriam aditus, in quam, ut Apocalyps.21. v.27. aliquid coinquinatum non introibit, ideoque nisi constaret nobis esse peccatorum in Ecclesia remissionem, nec futuræ spes ulla nobis esset adipiscendæ gloriæ; Verum hoc uno roborati, erectique fidei articulo verbo suavissimo: Credo peccatorum in Ecclesia fieri remissionem, quantalibet illa gravitate crescant, aut numero a desperationis barathro liberamur, & ab infensi nobis astu Dæmonis, tentationibusque, ac laqueis eripimur, qui peccatores ipsa criminum immanitate, multiplicitateque, & divinæ in eos severitate justitiæ, non rarò sibi animo despondere curat, spemque remissionis, & misericordiæ eis omnem adimit; bis tamen jaculis ne vel levissimum ille pupugerit, læseritque vestis nostræ filum hoc si fidei velo tegamur, esse pœnitentibus in Ecclesia remissionem peccatorum. Quod autem hac nulla sonet suaviùs peccatorum auribus vox criminum a Deo promissa dimissione, & oblivione: idcirco Domini

mini præcursor Joannes, Lucas uti testatur in Evangelio cap. 3. mox egressus è deserto venit annuntians hominibus per baptismum pœnitentiæ fieri remissionem peccatorum. O vox omnino suavissima! quæ & hæc ipsa videtur, de quâ in Apocalypsi Joannes cap.14. v.2. *citharœdorum citharizantium in citharis suis*. Ita scilicet in cœna Dominus Jesus mœstos, & conturbatos solatus est vocé discipulos, cum vini substantia in proprium, & pretiosissimum sui sanguinem consecrata Matth.5.26. dixit Matth.26.v.28. 12.: *hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: quam & ipsis idem injunxit, mandavitque Dominus universo orbi prædicarent Apostolis, cum dixit Luc.24. v.41. *hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, quoniam necesse est prædicari in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolima*: quam ob causam Petrus ipse narrat, ut in Actibus Apostolorum cap.10. v.42. quædam, quæ in concione sua, quam in Cornelii Centurionis habuit domo: *dixit, & præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum; Hinc omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Adeoque peccatorum illa, quam hoc profitemur articulo, remissio, salutis nostræ, felicitatisque nobis aliquando perennis origo est, speique nostræ basis, & fundamentum quam non nisi Christi pretiosi sanguinis, & passionis, quibus exhibetur, ejus operaturque virtus omnis, & efficacia sacramentorum ope, meritisque consequi non possumus. Hanc porrò nullus extra Catholicam, Apostoliquamque Ecclesiam obtinere posse præsumet peccatorum remissionem; neque enim hæreticorum, & segregatorum ullus, quandiù non reconciliatus Ecclesiæ deserit vitia, vitæque spiritus fidei scilicet, spei, ac charitatis ab eo non haurit, peccatorum suorum habere potest, & adipisci remissionem.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De articulo undecimo, scilicet carnis resurrectionem.

SUrrecturos tandem homines universos evigilante Domino suprema Judicii die, fatemur hoc articulo, omnesque omnino sive bonos, sive malos, sive fideles, sive infideles, eodem in corpore, & anima rursum ad vitam revocandos; itaut hac ipsa, quam circumferimus, & palpamus, licet subinde mortua, marcida, putrefactaque, & in cineres, favillamque redacta sit, aliquando tandem suscitanda, immortalique eidem cui prius adhæserat, animæ restituenda, & unienda, ut illa perenni fruamur in tormentis, vel felicitate vita: quod Job ipse testatur cap.19. v.4. *scio, quod in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo salvatorem meum*. Quid autem, qui non satis arcana Dei penetrare norunt, ad hæc obstupescant, & quærant, qua tandem ratione, virtuteque reflorere valeat, & reviviscere caro sic aresacta, & in cinerem versa; sic illis Apostolus ait 1. ad Corinth.15. v.35. *sed dicet aliquis quo modo resurgant mortui? Quali autem corpore venient? Insipiens tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*. Si ergo, quod in terram mittis, & seminas tritici granum, nisi computrescat germinare nequeat, & in spicam assurgere, quia obstupescis, & hæres, arefactum, fœtidumque cadaver tuum divina tandem reviviscere, virescereque potentia? Age quæso, qui vel minimo, aridoque, & corrupto semine proceram adeò, virentemque surgere, & frondescere facit arborem; vi-

vivum, & immortale corpus ex ossibus his, cineribusque tuis coagmentare non poterit?

Verum etsi corpore sint, immortalique carne surrecturi omnes, & vivificandi sive boni, sive mali: adverso utique ab illis hi contrarioque certe fine, & consilio resurgent: boni scilicet ut in gloria, & corpore simul, & anima æterna felicitate fruantur; exurgent vero mali, & impii in damnationis pœnam corpore simul, & anima perpetuo cruciandi, sicuti pridem Danieli prædictum cap. 12. v. 2. *& multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam & alii in opprobrium*: quod ipsum & Christus in Evangelio apud Matthæum cap. 4. v. 46., & Joannes cap. 5. v. 29. affirmavit dicens; *& procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem Judicii*. Nec bonis ergo, nec malis etiam, altera tunc erit carnis suæ substantia, sed carnis mutabuntur ejusdem in utrisque qualitates, & conditio; ut enim beatorum animæ immenso præsentiæ, visionisque Dei beatificæ gaudio perfundentur, sic & in carne sua gloriosissimis fulgebunt, decorabunturque dotibus, ut scilicet & ipsa, quæ laborum anima particeps, instrumentumque fuit ad charitatis opus operandum, & Dei cultum in die retributionis præmium assequatur, quod promeruit, & gloriam omnibus, quas optare possit, ac conveniat, perfusa deliciis. Sic & æquitatis ratio, justitiæque convenienter exigit, ut impii damnatique non una torqueantur anima, & spiritu æternum ab obtutu divinæ claritatis extorres facti, atque in extremas angustias, ac ejulatus missi; sed insuper & ipsa eorum corpora, quibus infelix eorum usa est ad peccatorum illecebras, & explendos appetitus anima, misereque illa periit, voracibus ignis æterni flammis atrocius crucientur: atque adeo carnis hæc eorum immortalitas, qua etiam sunt impii resurgendo potituri, & malorum ipsis incremento erit. Quamvis enim immortale sint corpus habituri, non tamen & ideo doloris eximii illi vel impassibiles erunt, quin acerbissime doloribus afficientur; atque ideo qui se non decore modo, splendoreque probe intelligent orbatos, sed insuper & visu graves horrendosque, & obscuros mortis implorabunt auxilium, pristinumque in nihili statum revocari optabunt; sed irritum, vanumque hoc illorum votum, & desiderium, æternamque media, vivaque cum morte sine fine, modoque cogentur ducere vitam. Quare sicut impiis, & obduratis omnino luctuosum, & acerbum carnis resurrectionem meditari sit, & justis, electisque gaudium immensum est, & solamen ejus recordatio; ideoque frequenter hujus articuli memoria Christianos excitare solet, & solari Paulus dicens 1. Corinth. 15. v. 20. *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes vivificabuntur*. In alia vero epistola ad Thessalonicenses 2. cap. 4. v. 12. Christianos jubet non contristari, lugereque super iis, qui dormierunt, sicut & cæteri qui spem non habent resurrectionis Ethnici, Gentilesque omnes: sed consolentur in verbis istis scientes, quia justo, Christianoque mors temporalis certa est animæ illius felicitas: corpori vero illius aliud nihil, nisi suavissimus, levisque somnus, a quo tandem aliquando suscitandus immortalique carne donandus est. In epistola vero ad Philippenses his fideles excitat, recreatque verbis cap. 3. v. 20., *nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem quæ possit etiam sibi subiicere omnia*. Tunc enim immune corpus erit, & liberum ab infirmitatibus his, quibus sic obruitur

fa-

famis, & sitis, frigoris, & æstus, doloris, & ægritudinis, mortisve angustiis, ac cæteris omnibus, quibus laborabat, egebatque defectibus: immo fulgebit sole splendidius, leve, agile, subtile, incorruptibile, tunc & immortale erit. Itaque, charissimi, gloriosam hanc si carnis optamus resurrectionem omnino necesse est, dum hic in mundo vivimus, ut animæ resurrectionem operemur sollicite, ad hoc enim maxime venit in mundum Christus, animas per peccatum morte spirituali peremptas ut spiritualem ad gratiæ suæ vitam revocaret, quæ certe resurrectio spiritualis animæ toties in hoc seculo peragitur apud omnes, qui cum viva fide, firmoque delictorum omnium pœnitentiæ proposito sacramenta ab illo condita, instituta suscipient. Quare qui vera contritione, confessioneque, vel sacræ communionis mysterio suam non curaverit sollicite suscitare, mortuamque vivificare animam, nullam & in felici carnis hac resurrectione partem expectare debet. Qui vero frequenti pio sacramentorum usu, bonisque aliis operibus carnis macerationi, pravisque illius comprimendis vacant affectibus exultare debent, quia sic eam in suprema judicii die vivificandam, gloriæque donandam servant.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De duodecimo, sive ultimo symboli articulo, quo dicitur Credo in vitam æternam.

Hoc scilicet in isto profitemur articulo posteriori post suprémum judicii diem, ac resurrectionis universæ vita nos omnes æterna donandos. Quid quæso, conclusione hac in symbolo suavius, acceptiusque nobis esse queat? Quæ tandem omnium, quæ credimus, nobis optanda magis hac apodixis? Credo futuram nobis aliquando vitam æternam, perennemque manere felicitatem, & interminatam: Nihil omninò vita præsenti potius hic habemus in exilio, valleque miseriarum positi, vitæque vix debeat dici nomine; Ec quis igitur æternam sibi promissam andiens vitam delicietur, & exultet. Quare meritò fidei nostræ confessionem ita concludimus: *Credo vitam fore æternam* omnium quippe rerum hoc (inquit Augustinus) summa est, & epilogus: hoc arcanorum altissimi maximum: ad hoc præsertim ab eo conditus orbis universus: ad hoc a Deo homo conditus, atque, ut ille ait, consiliorum ejus hæc ratio fuit, & typus, & ordo. Mundum hunc universum ille creavit ex nihilo propter hominem, hominem verò condidit se conditorem ut agnosceret, cognoscendoque diligeret, observaret, & coleret, amandoque, & serviendo, ceù laborum suorum mercedem, & præmium vitæ perennis gaudia consequeretur. Hæc porrò jure dicitur vita, qua verè scilicet, & corpore nobis vivere detur & anima; ut enim illa, quæ extremis in ærumnis & angustiis ducitur vita mors veriùs, quam vita dicitur: sic verè tunc vivere censeri debet corpus, cum innumeris quibus hic premitur immune fuerit, liberumque famis, ac sitis, æstus ve, & frigoris, ceterisque vitæ hujus angustiis, longeque tunc firmiori vita gaudebit anima, cujus tranquillitas, & lætitia nullo vitiorum, adversitatumque mœrore, vel fastidio commoveri, turbarique poterit, supremique boni plena, perennique fruitione Dei gaudebit. Quo certè felicitatis, æternæque vitæ nomine, quæ & quanta complexa sint bona, nec hominum lingua dicere, nec humana mens assequi valet, & exprimere Isaia teste cap.64. v.4. & Apostolo Paulo prima ad Corinthios 12. v.9. Quæ namque felicior excogitari vita possit (inquit ex sanctis unus) qua

qua nullus reperiatur egestatis, infirmitatisque, vel molestiæ sensus: qua nec ullus iræ, nec invidiæ, cupiditative locus, nullus mali cujusvis, mortive, vel inferni metus: ubi summa pax, & inconcussa tranquillitas est, perennisque lætitia, ubi fons lucis indeficiens, & gaudiorum, deliciarumque omnium pelagus immensum, & scaturigo; ubi & sancta mater Ecclesia Christi sponsa charissima nec ruga jam, aut macula fœdata vultus sui decorem accipiet, æternumque cum sponso suo splendore rutila læte regnabit, & triumphum aget. Quid, amabo, suavius meditari, mediis interesse se, versari, conversarique choris Angelorum, Cœlites omnes, ceu lucidissima cœli sydera contemplari? sed vel inter, ac super omnibus Christum regem æternum, ipsum Dominum nostrum Jesum in solio regni sedentem, & diademate rutilum, omnibus tunc omnia factum. Quamvis enim ferenda nobis forent tormenta quævis, subeundaque temporalia, vel acerbiora, ac vel ipsa, queis in infernó reprobi cruciantur sustinenda utique, nec indignum, ea subire nobis esset, Christum ut in decore suo splendidum intueri nobis, ejusque gloria perfrui donaretur. Sed enim eo quod tandem a nobis exigitur tantæ promerendæ, consequendæque felicitati, faciendum, aut tolerandum; æquum quippe foret, inquit Augustinus, exigitque certe genuinus ordo justitiæ, supremos, æternosque pati labores, æternam, supremamque qui prosequimur, contendimusque tranquillitatem, pœnasque subire perpetuas, & cruciatus, perennem qui conamur assequi beatitudinem. Verùm quod nullum unquam foret obtinendæ felicitatis exordium, si nullus unquam foret, & laborum finis, ac complementum; divina prorsus clementia factum, & voluntate, ut non æterna jam, sed modica, temporariaque tribulatio foret: cumque vel ad mille, bis que mille annos, & ampliùs extendi posset laborum tempus, quippé si ad æternitatis mensuram componantur pro nihilo computari debeant; noluit tamen ille, ne plus levissimo temporis spatio, instantili momento durarent, uti Paulus loquitur ad Corinthios [2. cap.4. v.17. ut tribulationis nostræ momentaneum, & leve æternum gloriæ pondus operetur in nobis. Quæ verò nos agere præterea jubet, ejus si verba pensaveris, quam levia hæc, & facilia agnoveris, o Vir Christiane, o Israelita: quid tandem expectat, aut quærit a te Dominus Deus tuus, nisi ut ipsum timeas, & ambules in viis ejus, ut semitas Domini Dei tui sequaris, & mandata ejus observes ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, adeo ut uno compleatur amoris litro, quodcunque te rogat, præstareque jubet Dominus tuus: hunc etenim, qui præstiterit, difficile nihil in obsequio Dei certè probabit. Symboli autem confessionis hujus articulos hac Hebraica voce concludimus dicentes: *amen*, idque duplici de causa: prima quidem, ut ea probemus nos omnes in eo memoratas firmiter credere veritates, ideoque dicimus *amen*, quod interpretatum significat, hoc ita esse certissimum. Secunda vero spem certam, ut exhibeamus, atque fiduciam, aliquando tandem etiam in nobis implendam Christi promissionem remissionis peccatorum, ac redemptionis in sanguine Christi Salvatoris nostri, sanctificationis nostræ, corporisque, & animæ glorificationis, de quibus in symbolo agitur, ut dictum est, ideoque sic concludimus *amen*, quasi si dicamus ità certè fiat in nobis, & impleatur: amen.

Finis Tractatus Primi.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS

De Oratione Dominicâ *Pater noſter &c.*

CAPUT PRIMUM.

Quo priora ejuſdem orationis exponuntur verba illa: Pater noſter, qui es in cœlis &c.

PROPOSITIS, & explicatis tractatu ſuperiori fidei noſtræ articulis, quibus, quæ credendæ nobis maximæ, præcipuæque continentur veritates, congruum eſt, ut ab exercitio fidei, nunc & ad alterius, quæ ſpes eſt, virtutis theologicæ tractationem, noſtra ſe convertat oratio, divinam hanc breviter exponentes *Pater noſter &c.* quâ ſcilicet oratione ſpem noſtram exhibemus, à Domino quæ licet ſperare poſſumus, & concupiſcere poſtulantes. Quare, & illa quarumcunque hactenus, aut in poſterum ad Deum exhiberi contigerit, aut potuerit orationum eſt abſolutiſſima, quòd ea nihil nobis à Deo poſtulandum non contineatur. O certe ſuaviſſima, omnique fiducia conſtans oratio! O divinæ artis oratoriæ ſublime compendium, atque Rhetorices! an fortè alienum ſe Deus exhibuerit, & averterit ſe ab eo corde, quod ſic orare ore proprio erudierit, aut quam ipſe præſcripſit reiiciet petitionem? Haud dubium non obſurdeſcet ad Unigeniti vocem æterni Patris clementia: quin attentus ad illum, & quod alias ille poſuerat ejus meritis, intuituque donabit *advocatum enim eum habemus apud Patrem* æternum, uti Joannes loquitur Epiſt.1. cap.2. v.1. adeoque verbis ejus utimur, cum interpellamus pro nobis ipſis apud Deum omnino certi nullum prorſus apud illum habere pondus orationes noſtras, ejus niſi fultæ, junctæque meritis. Septem autem hæc oratio ſanctiſſima complectitur omninò petitiones, uti dicetur inferius, quas antequam aggrediamur cor noſtrum, animumque prius ad Deum, & Dominum erigimus ipſum invocantes, & ſic alloquentes: *Pater noſter, qui es in cœlis*: Patrem ipſum ſtatim compellantes. O certe ſublimem Chriſtiani dignitatem! O immenſam Dei bonitatem, qui nec nos dedignatur habere, dicereque filios ſuos! Quinimò & a nobis vocari Patrem! Quis, quæſo, mortalium ita eum dicere, compellareque Patrem auſus eſſet, ipſe niſi dediſſet, ac voluiſſet, niſi ſic imperaſſet? Quo certè vult ille nos, invitatque tanti nos Patris vita, moribuſque legitimos exhibere filios, conarique ſemper aliquid cum illo, & pro eo ſuſtinere, patique mali: quod tam illi jucundum ſit habere nos filios, quam illuſtre nobis, & glorioſum hunc habere patrem. Hoc *patris* nomen ore noſtro prolatum miros in cordibus noſtris, eximioſque affectuum motus, ac primo quidem filialis amoris excitat ſenſus. Quid enim adeo proprium, & connaturale filio diligere patrem ſuum? Sic utique, dum patrem eum dicimus, niſi nos hoc in mundo converſantes veros ejus exhibeamus filios, pudore ſuffundimur, & erubeſcimus a tanto patre cœleſti, ſtirpeque tam nobili facti degeneres terræ, & car-

carnis fordibus, tota mente, totoque affectu, ipsis demum & operibus adhærentes, & immersi. Atque adeo væ tibi uno si contentus fueris, satisque tibi sit creationis titulo, nec sollicitus sis, & regenerationis gratia, morumque præstantia fieri, dicique Filium Dei; melius tibi certè fuisset, nec esse natum, quando vel hi tantum, qui per gratiam ejus verè sunt Filii, regni cœlorum, & hæredes sint habendi. Additur præterea *Pater noster*, non meus, nec enim ille pacis, & concordiæ Dominus unitatis amans, & communionis aliquem pro se uno orare patitur, dicereque eum vult *Pater mi, sed Pater noster*, nec dicere quemquam, da mihi panem meum, sed *panem nostrum da nobis*; Non vult dicamus dimitte mihi peccata mea: sed *dimitte nobis peccata nostra*, itaque quilibet orans pro omnibus oret omninò Christianis, viceque versa pro singulis omnes, ut hinc in eo nos unum esse omnes intelligamus in eadem spe, fide, & charitate, nec odio, discordia ve mutuo dividamur. Sic Danielis cap.3. v.52. una voce Deum in fornace, & camino ignis ardentis pueri tres Dominum laudabant, & benedicebant, sicut Lucas ait *Actuum* cap.1. v.14. post Domini ascensum *erant Apostoli omnes perseverantes unanimiter in oratione &c.* nec patrem nostrum is debet vocare Deum alium qui Christianorum quempiam fratrum non habet.

Sciendum præterea non omni modò confertam sapientia, sed divinæ quoque Rhetorices ad amussim instructissimam orationem hanc: etenim & ipsa nos docet Rhetorica, ut, cum quid ab aliquo petimus, orationem ab ejus encomiis exordiamur, atque ideò, priusquam a Deo quid postulemus, Patrem eum dicimus, quo uno plurimi, iique perhonorificentissimi recensentur, comprehendunturque illius tituli. Patrem enim cum eum dicimus simul, & conditorem, & servatorem, & rectorem, redemptoremque, salvatorem, adjutorem, & justificatorem, demum & glorificatorem agnoscimus, & confitemur.

Postquam autem patrem eum appellavimus, mox addimus, *qui es in cœlis:* Quamvis enim hic, & in terris, ac ubiqué præsentissimus adsit Dominus, in cœlis nihilominus speciarim eum adesse dicimus quod suam ibi gloriam electis suis, ac sanctis exhibere manifestareque constituerit, quodque cœlestibus hisce corporibus maximè divinæ majestatis opus, atque potentiæ refulgeat, uti habet Propheta David psal.18. v.1. *Cæli enarrant gloriam Dei &c.*; Et hoc etiam addimus, ut ab eo, quem hîc sortimur in terris, patre carnali distinguamus, qui pari nobiscum sorte, & infirmitate circumdatus est, nec nostris occurrere, mederirique potens angustiis, nec suis. Pater hic ergo noster, cum in cœlis habitet, æquum omninò est, qui peregrinamur hîc super terram incolæ, nos in eo, quæ possumus, omnia collocare, & committere: cor scilicet nostrum, affectus, & suspiria, amorem, consilia, vota, & desideria; sit ergo cor nostrum, ubi & thesaurus noster est, namque reperientur filii, ubi pater habitat; pater ergo cum in cœlis habitet, cœlestisque sit, desinant carnales esse filii, cœlique fiant, ac cœlites: meritò quippe cœli nuncupantur, vitam qui cœlestem agunt, & spiritualem, quorum anima, ceu cœlum astris consitum, virtutum omnium, bonorumque operum innumeris irradiata micat fulgoribus, & amore firmatur, atque ad nutum Domini, ceù cœlorum orbes continuò moventur; conemur itaque nos his cœlorum ornari, vestirique dotibus, ut in nobis etiam, cui in cœlis habitare proprium, habitet Deus.

CAPUT SECUNDUM,

Quo prima declaratur orationis Domminicæ petitio hæc sanctificetur nomeo tuum,

SEptem hac oratione sanctissima postulamus a Domino petitiones, quarum hæc prima est; qua ceu legitimi, optimeque a natura constituti liberi, sua qui patris gloriam potiorem habent, & dignitatem, ante omnia volumus, & petimus, suæ per orbem ut innotescat, augeaturque gloria majestatis, & bonitatis; novum in dies accipiat incrementum, diffundaturque per universum; omnes ad fidem ejus adducantur gentes, luceatque, quaqua terra patet, immensæ virtus sapientiæ, potestatis, & misericordiæ suæ: effundantur in omoes orbis nationes divitiæ gratiæ suæ, ut nulla sit in orbe gens, & regio, regnum nullum, locusque nullus, in quo non ille sciatur, laudetur, colatur, & audiatur; nihil non ad ejus honorem, & gloriam agant, meditenturque, vel concupiscaot homines; oihil in terra fiat, aut geratur, quo vel minimum ejus lædi queat cultus, & obsequiom, non blasphemetur nomen ejus, aut temere violetur, & in vanum assumatur, sed omnibus venerationi sit, timori, & amori. Falsi omnes evellaotur, & evanescat impiique sectariorum errores, hæreses, magiæ, veneficiorumque artes impiæ, Idololatria, falsive Deorum cultus, & superstitiones illusoriæ, demum uoa per orbem uoiversum sancte colatur, & effulgeat Divina Sapientia.

CAPUT TERTIUM,

Quo secunda ejusdem exponitur orationis Dominicæ petitio; adveniat regnum tuum,

ALtera hæc est orationis petitio, qua unum regnare eum petimus in cordibus, animabusque nostris, unus ut ille sceptra regat, & imperet in nobis, uous ut ille agnoscatur, & obediatur, nec regnet amodo io corde nostro caro, mundus, aut Dæmonium; ut in omnibus animi nostri, corporisque motibus, actibusque quibusvis, sive interioribus, sive exterioribus, semper eo regamur, & moveamur, nihilque in toto ratioois, animæque imperio fiat, nisi quod constitutum, & imperatum ab eo; hoc plane regnum illud Dei est, quod postulamus de quo Domious ipse apud Lucam. cap. 17. v. 13. dicit *regnum Dei intra vos est*, nec aliud ipsum est, quam conscientiæ nostræ tranquillitas, & innocentia, de qua & Paulus ait ad Rom. cap. 14. v. 17. *Regnum Dei justitia est, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto;* quam certe suavissimam optatissimamque conscientiæ securitatem, & tranquillitatem nullus unquam assequtus fuerit, qui liber a peccatorum vinculis nondum emerserit, justificationisque gratiam obtinuerit; ideoque latet hic & regnum istud, quia & oulli cognitum, oisi cui habere, intusque frui in anima datum. Adversus hocce tam eximium, traoquillumque regnum contiouo movent, & præliantur hujus seculi filii, Dæmonis pugiles, suam qui Regi tradiderunt alieno animam, in qua moratur ille, & regnat, ad carnis legem, quæ uti Joannes epist. 1. cap. 2. v. 16. concupiscentia carnis est, & concupiscientia oculorum, & superbia vitæ, sive appetentia voluptatum, hooorum, & divitiarum inordinata quam nec ferat, forasque pellat Dei Regnum, quia videlicet in electis tan-

tantum ille regnabit in gloria, quibus & hic in vita regnavit per justitiam, & gratiam.

Hac etiam petitione volumus, & rogamus, nobis ut regnum ejus adveniat, gloriæ scilicet ejus, & feliciraris æternæ; ideoque non ita dicimus tuum in regnum deducamur, & perveniamus, sed veniat illud ad nos, sed *adveniat nobis regnum tuum*: quibus verbis intelligimus, & confitemur, quam speramus adipisci, beatitudinem humanas longe superare vires, supraque naturam esse creaturæ; adeoque cum nec ad eam ire, pervenireque ipsi possimus, ad nos ut illa veniat, optamus, & postulamus.

Aliter exponunt viri sancti quidam hæc verba, optimeque sic interpretantur dicentes, iis petere, rogareque Christianum, mundus ut iste nequam quam citissime finiatur, & appareat regnum Dei, supremaque splendeat judicii universalis, resurrectionisque dies, qua plenam, absolutamque regni sui Christus Salvator, redemptorque noster initurus est potestatem, electisque suis super abundantes divitias ejus, & delicias exhibiturus, ad quas illi votis aspirant ardentissimis: quia videlicet eorum explebuntur tunc optime, cumulatissimeque & corporis, & animæ desideria, cunctisque jam liberi hujus seculi malis, & infirmitatibus intime Christo unientur, atque regentur.

CAPUT QUARTUM.

De tertia petitione videlicet: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terrâ.

HAc orationis Dominicæ tertiâ petitione Patrem rogamus cœlestem, ut sicut optime, plenissimèque voluntas ejus impletur in cœlis, sic & in terris perfectissimè compleatur, hoc est sicut in cœlo quàm suavissimè deliciantur Angeli, Beatique omnes suæ subesse, parereque Divinæ suæ voluntati, sic nos hic in terris agentes, & infirmi sinceram in omnibus illi præstemus, & integrám obedientiam, nihil hic optantes, sollicitiusque prosequentes, quam divinæ voluntatis ejus subesse placitis, & conformari, sive prospera nobis eveniant, sive adversa, gratias ei agentes. Hic vero petimus, ut hic non modo, quæ fieri vult ille absolutissimâ, efficacissimaque voluntate fiant, & eveniant, sed & ipsa, quæ in voluntate nostrâ ab ipso sunt posita, quæque ille nos agere vellet; quæ enim efficacissime, determinateque fieri vult, & evenire Dominus omnino, infallibiliterque fieri certissimum est; ejus enim volnntati nullus resistere potest, sed indeterminate quædam ille vult, sive potius optat, ut velimus: velut suorum observantiam mandatorum, quæ a nobis impleri quidem, servarique cupit, non sua tamen in id adigere vult, compellereque potentiâ, sed suavitate quadam usus, inclinansque nos, ille regiminis nostri permittit arbitrii libertari, & optioni sua servare mandata, vel omittere. Quare hanc ab eo postulamus donari nobis hic gratiam, ut quæcumque compleri a nobis ille vult, & optat, impleamus, uti implent in cœlo Beati omnes, & Angeli, quique hic in terra degunt viri sancti. Quanti vero nostra referat divinam hanc a nobis hic impleri Domini voluntatem, ipse apud Matthæum cap. 7. v.25. declarant, aperte dicens: *non omnis, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est intrabit in regnum cœlorum.* Itaque, dilectissimi fratres, alienas à Deo nostrûm, aversasque revocemus ad illud, dirigamusque voluntates, nostram di-

divinaquæ ceterarum omnium æquissima regula est, voluntate metientes, & regulantes. Obcæcato quippe peccatori non sufficit incurvare, & ad terrena proclivem habere voluntatem, insuper, & contorquere divinam ille conatur, & ad suæ pravitatem inflectere cupiens, & Deum obtemperare, suæque accomodare se, & inclinare voluntati, ipsaque eum eadem quæ ipse vult, velle. Quo quid stultum magis, & iniquum, amabo? Absit itaque, fratres: sed integros omnes divina nos omninò committamus voluntati. Quæcunque tandem illa laborum, angustiarumve nobis attigerint ab ejus accipiamus manu ad ejus nutum, imperiumque flexibiles; hoc unum rati, certique, quæ nobis expediant, atque conveniant cum nobis melius non tenere modo, sed & velle nobis ardentius, & procurare, rogantesque ut in singulis, quæ nobis in dies occurrunt, casibus lumen infundat, & erudiat, doceatque nos facere voluntatem suam, uti Paulus ad Colossenses v.9. loquitur, regiusque Propheta David psal.142. v.10. qui Dominum assiduè rogat, & petit, doceat eum facere voluntatem suam: Jacobus etiam Apostolus epist. cap.4. v.16. prudenter admonens nos cum hoc illud crastinâ die facturos nos asserimus, & promittimus addere semper oportere, & subdere, *si Dominus voluerit, & si vixerimus faciemus hoc, aut illud*. Demum & ipse Dominus magister, ac salvator noster Christus Jesus, nostram hanc cum divina voluntatis unitatem, & conformitatem verbo nos docuit, & exemplo dicens Joannis 6. v.38. *quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, patris;* cumque ad patrem oraret in horto, sic dixit Matth.26 v.39., Marci 14.v.36. Lucæ 22. v.40. *Pater, si possibile est transeat a me calix iste, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; rogat hæc ne patiatur, aut moriatur, si fieri potest: *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, non mea voluntas, sed tua fiat*. Cum piissimâ denique dicamus Ecclesiâ matre, & in hæc ejus prorumpamus ardentissima verba, *etiam rebelles*, etiam rebelles *Domine nostras ad te compelle propitius voluntates* Dom.2. post fest. Trin. secr.

CAPUT QUINTUM.

Quarta declaratur orationis Dominicæ petitio hæc: panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

QUartâ rogamus hac petitione Deum, quæ vitæ servandæ nobis sunt quotidie necessaria: duplici vero cum parte coalescat homo scilicet carne, & anima, quæ suo utraque ne pereat, ac deficiat, indiget alimento, & fulcro, ideo non unum hic quod opus est corpori retinendæ vitæ petimus alimentum, & panem materialem, sed spiritualem insuper qui rerum divinarum est intellectus, & gustus ac si Deum ita precaremur: Pater noster cœlestis, & Deus totius consolationis, respice ad indigentiam, necessitatemque nostram; ossibus, & nervis, spiritu, & carne compegisti nos, & coagulasti; da nobis ergo quidquid hac in exilii morâ servandis utrisque spiritui, carnique convenit, & necesse est; animæ quotidie largire benignus, vel minimas, quæ de cœlesti cadunt mensa tua micas, aut fervoris, devotionisque sensum aliquem, vel levem etiam verborum, mysteriorumque tuorum, ac beneficiorum intellectum, & affectum; hac enim sine buccellâ, hoc sine pabulo, & alimento languescit anima mea, marcescit, ac deficit, in que pudendas demum, pestiferasque delabitur carnis oblectationes. Quod autem nec vivere corpus mortale hoc, nec servire spiritui potest, escam nisi suam edat, & habeat, frange & illi

& illi panem suum, & præbe, Domine. Divitias, aut superflua non à te quærimus; nolumus, ut jubes Matth.6. v.34. *in crastinum esse sollicit*, petereque, & congregare, quæ sufficiant in dies, & annos vitæ plurimos, quos fortè nec videbimus; ideo quæ ad hunc unum, quem agimus diem sufficiant alimenta, necessariaque duntaxat à te petimus, *panem nostrum da nobis hodie;* conferta in annos plurimos non petimus horrea, ne nobis, quod diviti illi, & opulento dictum in Evangelio improperetur, cui, uti Lucas habet cap.12. v.19. & 20. *habere se multa bona posita in annos plurimos glorianti* repositum fuit: *Stulte hac nocte repetent animam tuam, quæ autem parasti, cujus erunt?* Quos in terram effodisti thesauri, quod in horreum congregasti triticum, & coacervasti, quos in cellario deposuisti, multiplicastique vini cados, & olei, cujus erunt? Hoc porrò panis verbulo cuncta debemus intelligere alia nobis ad corporis vitam necessaria, quibus deficientibus nec honeste, nec decenter vivimus, uti victus, vestitus, tectum, domus, & similia: adeoque, qui panem, quo ad vitam indigemus maximè, petimus, simul & quævis necessaria nobis petimus.

Hac autem confitemur petitione, & profitemur ab unius, qui in cœlis est, patris nostri manu cuncta nos accipere, jure verò proprio & nos, & à nobis ipsis habere nihil, sicque ceu liberi sub patria potestate constituti, suique nedum facti juris, qui sub patris regimine vivunt, aluntturque, fatemur hic, & nos habere nihil ex proprio, nec posse sufficere nobis, nisi nos ipse de cœlo pater alat, & foveat, in cujus sinu, pietateque tota spes, & fiducia nobis posita est, non in labore, vel industria nostra.

Præter hunc verò sensum, alium etiam adbibent Sancti verborum horum interpretationem, qua de pane illo vitæ, ac substantiali divinissimo corporis Domini pabulo, altarisque sacramento dicta fuisse volunt, quod utique dignè recipienti præsentissimum est animæ remedium, robur, & firmamentum adversùs hostiles vitiorum impetus, & tentationum, spiritualique animam inebriat, recreatque voluptatis dulcedine, quod intelligentes, expertique veteris Ecclesiæ Christiani diebus singulis communicare solebant, uti narrat in Actibus Apostolorum cap.5. Lucas Evangelista: nobisque author est Augustinus, diebus saltem Dominicis ut ita fiat, ut nos maxime perditissimis hisce, qui nascimur, iniquisque vivimus temporibus idem utique semel altero vel quolibet saltem mense imitari deberemus, vera nos ad augustissimum hocce Sacramentum ore devotè suscipiendum contritione cordis, orisque confessione præparantes: diebus verò singulis spiritualiter communicantes amore scilicet, totisque interioris animæ desideriis.

CAPUT SEXTUM.

De quinta petitione, qua dicitur dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris &c.

Postulatis a Deo jam superioribus quatuor orationis Dominicæ petitionibus, quæ nobis erant necessaria, bonisque supersunt aliis tribus a Deo convenienter postulamus, ut a malis nos liberet, quibus hoc in corpore mortali miseri premimur, ac primò quidem delictorum veniam petimus, & debitorum, quibus nihil pestilentiùs nobis, & nocentiùs malum; ideoque priusquam à ceteris liberari, medetique cupiamus, & petamus, horum flagitamus, impetrareque conamur emundationem, ac remissionem. Omnes enim nos innumeris ante tribunal Altis-

tissimi rei tenemur attentatis, atque flagitiis: adeoque nostra plurimum intéreſt obtestari, deprecarique cum illo judiciorum aleam, qui damnationis nostræ certissimæ, si cum illo contendere voluerimus, conscientiam habemus indubiam, deque justitia nostra, & innocentia desperamus; Quare non alio loco posita est salutis nostræ fiducia, quàm humili, supplicique confessione delictorum, & venia, quam nos implorare juvat unicum pro nobis ab illo crucis in arâ sanguinis immaculati pretium in deploratæ causæ subsidium, atque patrocinium, asserentes cum Davide psal.24. v.7. imo pectore ad illum ejulando dicentes: *propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim*. Sed attende, quæso, qua nos Dominus veniam implorare voluerit forma, videlicet: Dominê *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Sic enim ille te jubét implorare veniam, & affirmare, quò sicut & his, qui te lædunt, tibique sunt obnoxii, condonare compellat, & ad hæc sibi respondere verba tenearis in supremo judicii die, si perfeceris ea, verbisque ipsissimis his ore tuo convincaris, ut judiceris, ac nullum habeas, obtendasque illi, cum migraveris excusandi causam in judicio adversum te objicienti; tu quidem olim à me, dum in vivis ageres, interpellasti me, & rogasti, ut in donandis tibi, quæ contra me ausus fueras, iniquitatibus, & offensis, eadem uterer ego apud te facilitate, & venia qua & apud eos tu, quidquid in te peccaverant, & offenderant, tibique condonarem ego, sicut & illis tu remiseras; ità planè fiat, eademque prorsus, qua alios mensus es mensura, tu jam metiare: tibique remitto ultrò, si tu quidem aliis ex corde remiseris; ut te erga reos apud te vivens habuisti, eadem & ego nunc in te ratione agam, inquit Dominus Matth.6.v.9. Marc.5.v.16.Ecclesf.28.v.8.Ideo namque dicitur Luc.6.v.37. *dimitte, & dimittemini*, & Matth.6. v.23. *si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Sapiens verò Ecclesiastici cap.28. v.23. 4 *homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam; in hominem similem sibi, non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur: ipse, cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit a Deo. Quis exorabit pro peccatis illius*? Quâ tandem fronte audeas rogare Deum in te ne ulciscatur, qui contra fratrem tuum ulcisci tu meditaris? Quid, quæso, iniquiùs a Déo de gravissimis, quæ in illum egisti, veniam rogare piaculis, & de minimis interim, quæ peccavit in te frater tuus, & proximus, iram parare, & operari?

CAPUT SEPTIMUM.

Quo sexta proponitur, & explicatur petitio: & ne nos inducas in tentationem.

HAc deinde sexta petitione rogamus, ne tantis quibus premimur assidue mundi, carnis, Dæmonisque tentationibus obruamur, opprimamur, & vincamur, quin sua nos adjuvet, roboretque gratia, qua fortiter obsistentes Dæmonum eludamus astutiam, & nequitiam, mundi despiciamus vanitatem, carnisque molestias, & illecebras jugi castigatione comprimamus; demum & ab illo, ceu pugiles, & athletæ strenuissimi mereamur in cœlis coronari.

Sciendum itaque petitionis hujus plenius intelligendi gratiâ, nec a Dæmone, nec a mundo etiam, aut carne nostra ad peccatum impelli posse, nisi quantum, & ut illis permissum est a Domino, quem proinde rogamus, ne tantas ille se-

ferat, permittat ve adversum nos assurgere tentationes, nisi quas sciverit a nobis superandas, quarum, & tandem ejus divina aspirante gratia, victoriam, triumphumque reportaturi fuerimus. Non ergo petimus a Deo, ne tentationes irruant; vix enim id possibile, nec si posset etiam forte nobis expediret, & conveniret, nullis unquam impeti tentationibus: nam qui non tentatur, nec probatur utique nec coronatur: scilicet ubi abest pugna, deest & triumphus, & corona; ad quod intendens Propheta Rex David psal.25.v.2. dicebat: *proba me Domine, & tenta me.* Dixitque Sapiens Ecclesf.34.v.10. *qui non est tentatus, quid scit?* Jacobus vero Apostolus cap. primo epistolæ suæ Catholicæ v. 12. ait: *beatus vir qui suffert tentationem*, quoniam ea probatur *& cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, ac paulo superius ita loquitur v. 2. *omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur*. Demum & continua est hujus seculi vita tentatio, & contra Dæmonium pugna, adversus impios, & peccatores, contra amicos etiam, & domesticos, quin & adversus ipsam, qua circumferimur, carnem: in nostræ quippe jurarunt omnes perniciem. Animæ cavendum, idcirco nobis & caute ambulandum, atque ad pugnam, & victoriam alacres inveniamur; nec enim est, quod sine pugna vivere posse putemus in hac vita, quamvis enim & aliunde deesset homini, qui tentaret, & impeteret extraneus hostis, ipsa sibi sufficit ad exercitium, & luctam caro propria mille genus excitans in illum quotidie cogitationum, phantasmatum, affectuum pestilentium, otiosorumque, & animæ suæ fatalium, exitialiumque consiliorum, ac motuum, adversus quæ debet ille paratus, armatusque incedere, & excubias agere continuas, ne pereat: est autem omnium aptissimum, tutissimumque contra hæc armorum genus oratio ista, & petitio qua ad Deum confugimus; & his, aut similibus eum ex corde deprecamur verbis: ne, quæso, Domine permiseris his me tentationibus obrui, *Domine Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina*: crebra sunt enim, erumpuntque subito pericula, ne permittas me creaturarum illecebris decipi, vel ad peccatum impelli; quin potius iis ad tui laudem, & gloriam, cui conditæ sunt, exciter, & utar; ne fetas Domine, sic me concuti tentationibus, adversitatibusque, ut in impatientiæ, iræ, vindictæ vel cujusvis alterius vitii voraginem abripiar, nec per te liceat Satanæ tentationibus me suis ad superbiam, invidiam, odium, aut desperationem, sive quodvis peccatum aliud impellere. Idcirco dicebat Matth.26. v.34. Dominus: *vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*: ne scilicet adversum vos illæ prævaleant, nam ab illis nunquam impeti prorsus expectare non debemus.

CAPUT OCTAVUM.

De septima, & ultima Dominicæ orationis petitione scilicet: sed libera nos a malo.

HAc ultima petitione Deum precamur ab omni culpæ, pœnæve malo nos liberet, quod saluti nostræ moram inferre queat, & nocumentum; ab omnibus, quas molitur hostis adversum nos, insidiis, & machinamentis, ab adversitatibus saluti nostræ noxiis, & exitialibus, ab inferni cruciatibus, ignisque purgatorii pœnis, atque doloribus.

CA-

CAPUT NONUM, ET ULTIMUM.

Quo, quomodo sit orandum, agitur.

HAe nunc oratioue jam exposita quid hoc sit tandem orare, Christianus oportet intelligat; nec enim orare illud est linguæ sibilus, labiorumque motus, aut emissa sine sensu, & affectu cordis, & attentione vox: orare quippe est Deum alloqui: vel orantis eum Deo colloquium, qui eum spiritus sit Deus, spiritu proinde rectius, conventiusque, quàm ore cum illo loquimur: Quare, qui hanc, aut aliam ad illum babes ore, & linguâ orationem cura sollicitus, ut ipsum mens tacita proferat, quod os loquitur; sic enim Cyprianus alt, si nec te ipsum, qui oras, audis, quid est quod audire te Deum velis? Si nec attendis tu, quid loquaris, sed unum cogitas, & aliud dicis: quid vis oranti tibi Deus attendat? Si nec tui memor es orans, nec de miseriis cogitas animæ tuæ, quid vis, & tui recordari Deum? Addit Augustinus in psal. 140. *corpus prosternis, collum curvas, confiteris peccata, Deum adoras, video corpus, ubi jaceat, quæro ubi volitet animus; video membra jacentia; videamus, si stet conscientia: videamus, si fixa est in eum, quem adoras.* Video te movere labia, balbutire, & loqui, cui vero cor loquitur? Age, quæso, *modo si mecum loquereris & subito averteres te ad servum, & dimitteres me non dico a quo aliquid petebas, sed cum quo ex æquo loquebaris, non mibi injuriam factam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo*, mente, dum eum oras aliena, vel ex negligentia, vel ex proposito; Quid enim aliud est oratio, quam elevatio mentis ad Deum, & ardentissima coram illo desideriorum effusio? Semper ergo oraveris, pia si semper babueris desideria; si nunquam bæc habeas, nunquam & oraveris, labiis licet orationis aliquid efferas. Itaque, charissimi, satagite diligenter orare spritu, eum Joann. 4.v.37. Christus dicat *veros* oratores, & *adoratores adoraturos*, oraturosque *patrem in spiritu, & veritate*. Idcirco & Dominus ait proverb. 26.v.3. *fili præbe mibi cor tuum*.

Oportet autem orationem omnino spe, fide, & charitate fulciri & radicari. Fide quidem, qua firmissime Deum credat esse supremam, infinitamque bonitatem, bonorum omnium inexhaustam originem, & scaturiginem, ad quam & omnes accedere necesse habeant: debet & ex spe, fiduciaque procedere, qua certo confidimus paratissimam, promptissimamque fore bonitatem hanc infinitam ad effundendas, & elargiendas saluti nostræ necessarias, si petamus ex animo, gratias. Ipse enim ille, qui dixit psalm.80. v.11. *Aperi tu os tuum, & implebo illud*, & clarius alibi...... *Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & dabitur vobis.* Solebatque ipse, dum operaretur miracula, his quibus gratiarum portenta conferebat, *fides tua*, & fiducia *te salvum fecit*: hanc ob fidem tuam beneficium accepisti. Jacobus autem cap. 1.v.5. idem nos admonet bis verbis *si quis vestrum indiget, postulet in fide nibil bæsitans*, ne orando fiat *similis fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur*, sed in Dei clementiam, & bonitatem tanquam ad tutissimam anchoram cor nostrum obfirmemus, & fiduciam. *Quis enim ex vobis bomo* (dicebat Christus apud Matthæum cap. 7. v. 9) *quem, si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se*, quærentibus, & largietur gratiam Spiritus Sancti:

pe-

petamus ergo nunc cum fiducia in nomine dilecti sui per merita Christi Salvatoris nostri, & quicquid petierimus assequemur, dum saluti nostræ necessaria postulaverimus, & utilia.

Debet & præterea charitatis ex amore ardentissimo nostra oriri deprecatio, nec enim immensas Deus habet, nisi diligentibus se, paratas gratias, uti habet Isaias, Davidque Propheta dicit psalm. 36. v. 4. *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Debet & humilitate fulciri petitio, nimirum intima sui ipsius, propriæ spiritualis indigentiæ cognitione, ut quid enim a Domino ditari petat, & impinguari, qui egere nescit, nec spiritualem sui pauperiem agnovit, & egestatem. Quidam eruditus scripsit a nemine se doctum melius orandi modum apud Deum, & implorandi, quàm à pauperibus, & mendicis non ab eorum innatâ modo verborum vi, & energia, vel improbitate, qua divites pulsant, & exorant; sed ab accurata, quam in explicandis infirmitatibus, exhibendis vulneribus, aperiendis etiam necessitatibus adhibere solliciti sunt diligentia singulari, nihil enim horum omninò reticentes, aut occultantes, sed singula propalantes; ut videntes se provocent ad pietatem, & largitatem. Hoc planè modo vult Altissimus, omnes omninò videre nos accuratè, & singillatim, atque in conspectu suo proponere, & explicare spirituales cujusque nostrum indigentias, infirmitates, plagas, penuriasque, vel leviores, & minimas. Iis enim ille omnibus, si nos ita habuerimus, facilis occurret, & medebitur; Hac certè de causa Publicani cujusdam accepta Deo fuit, & reprobata Pharisæi vicissim oratio; quod Publicanus ipse suas probè intellexit, detexitque sordes, ulcera, vulneraque spiritualia cœlesti coram medico, pudoreque suffusus, ac demissis in terram oculis humili sic ore Deum compellabat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Pharisæus autem elatus, & intumescens à superbia sua premebat, occultabatque vulnera, virtutumque, & bonorum operum ostentabat, jactabatque merita dicens: *Domine gratias tibi ago, quia non sum, sicut ceteri hominum raptores, injusti, adulteri, velut hic etiam publicanus: Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo &c.* Qua certè parabola docet nos optimè Christus, quantùm orationi necessaria sit humilitas, ut valeat.

Luc. 17. v. 13.

Luc. 17. v. 11.

Finis Tractatus Secundi.

TRACTATUS TERTIUS

De Præceptis decem legis divinæ, seu Decalogi.

PRÆFATIO.

HIS jam superiùs, quæ credenda proposuit Deus, expositis in symboli declaratione: *Credo in Deum &c.*, atque subinde aliis, quæ speranda nobis, optanda, petendaque jussit idem Dominus in orationis explicatione Dominicæ; convenienter hic de charitatis agetur a nobis exercitatione, sive de iis quæ nos facere jubet Altissimus. His enim omnis impletur, constatque vera Chistiani sapientia, sanctitas, & justitia, ut credat, speret, amet, & operetur: sine quippe charitate, & operibus, (nec enim illa sine istis) fides mortua est, & spes nostra, nihilque juvant apud Deum, mundantque, vel sanctificant animam: Quare necesse est, has simul coire in anima tres, fulgereque virtutes fidem, spem, & charitatem, nulla enim aliàs illi speranda salus. Ut autem in symbolo, quod Credo dicimus, quæ ad fidei spectat exercitationem, habentur, sive, quas credere debemus à Deo virtutes, in que Dominica, quam *Pater noster* appellamus, habentur oratione, quæ ad spei virtutem attinént, seu quæ sperare nos juvat, & optare: sic & in Decalogo mandatorum decem in lege præscriptoruma Deo charitatis exhibetur exercitium, sivé opera, quæ tenetur operari charitas, & justitia, quorum proinde mandatorum duo certè præcipua sunt, & fundamentum aliorum, præcepta scilicet ipsiusmet charitatis, statimque subsequuntur alia decem, quæ Judæis olim ipse præscripsit Deus in tabulis lapideis, quæ & a duobus his oriuntur prioribus.

Præter hæc verò decem alia sunt etiam minora præcepta quædam, quæ & ad prædicta decem, seu ad capita revocari possunt, ideoque primum hic agemus de gemino charitatis, amorisque præcepto, dein & de singulis decem.

CAPUT PRIMUM.

CHaritas est divinæ legis epilogus, & summa: quæcunque jussit, mandavitque Dominus, ea complectitur, & qui eam habuerit, unam legem implevit. Qui hujus expers est, quæ ille habet, cetera juvant nihil. Hanc qui novit, & sapit omnia scit, & sapit, cum suavissimum in ea gustet, & sapiat Scripturæ Sacræ reconditum mel: eam qui corde gerit, & moribus cum psalmista Rege psalm 118. v.67. gloriari potest, & dicere: *omnis consummationis vidi finem*; nempe *latum mandatum tuum charitatis nimis* latum quippe dicitur, quod eo *dilatatur* in omnes *cor nostrum*, lætitiâque persunditur, atque fiducia. Latum etiam dicitur (vir uti quidam ait sanctissimus) quia, ut viatori commodum per latam incedere viam sic justo facilè est per charitatis ambulare præceptum, atque ideò sic olim ad Deum Propheta David, *statuisti in loco spatioso pedes meos* psal.30. v.17.& alibi: *viam man-*

mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum psalm. 118. v. 76. nempe per charitatem, & Paulus ipse confitetur 2. Corinth. 6. v. 4. tam amplum sibi patere cor, ut & mundum caperet universum. Ipsa certè facit, ut jugum Christi suave sit, & onus ejus leve, nec alia quidquam ab ea nobis proficit virtus; quamvis enim habueris omnem fidem, & ea fidei firmitate stares, ita ut miracula feceris 1. Corinth. 13. v. 2. *& montes transferas* de loco in alium; *si dederis omnes facultates tuas in cibos pauperum, & tradideris corpus tuum* pro tuenda fide, *ita ut ardeat; charitatem autem non habueris nihil tibi prodest:* ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 13. v. 2. Legis enim est illa complementum, & vinculum perfectionis; hac via, qua Deus ipse de cœlo descendit, & ad homines venit, qua una & hinc ad cœlum conscendant homines ab hac lacrymarum valle ad locum, ubi Christus ipse residet, nec alia, qua eò perveniatur, quàm charitatis est via; Una peccato mors, & exitium est charitas, una illa tentationibus quibusvis obsistit, & prævalet. Una hac mandata Dei cuncta servantur, virtutes operantur omnes, laboresque vel graviores leniuntur, & leviores fiunt. Hac unâ differunt, distinguunturque repromissionis liberi nota ab æternæ perditionis alumnis. Quasdam etiam sortiri possunt habere virtutum species impii, & reprobi; hanc verò tantum electi, Deique Filii, & hæredes gloriæ ejus obtinent; quantùm abundans tu charitate emines, & sanctitate, tu proinde magnus, & justitia rara si tibi charitas, & diminuta, levis, & exigua tibi, & sanctitas, justitia, & probitas. Hac sine nemo dicatur bonus; per hanc innovamur, & configuramur imagini filii Dei; regeneratur homo, fitque nova in Christo creatura. Ut enim in animam illa subit, mox omnes ejicit ab ea peccati sordes, & maculas, paulatimque peccati faces, atque rubiginem, quæ triplicem animæ potentiam inficiunt, atque deturbant. Abigit memoriam scilicet terrenorum, sordibus expurgat inquinatam, intellectum fœdis erroribus, immundisque cogitationibus implicitum, & confectum liberat, ac demùm voluntatem indignis, obscenisque concupiscentiæ, & amoris affectibus erigit occupatam, & conculcatam; ubi verò primùm in ea fulserit, arseritque divinus ille charitatis ignis, statim & scoriis, & fæcibus his emundatur, innovatur, & nitet omnis; pia, sanctaque illi ingerit consilia, Deique, ac cœlestium affectus intensissimos, atque flagrantissima suspiria; sicque novum induit anima nostra decorem, & rutilat, Deo jam propè facta similis.

Hæc verò ceterarum omnium regina, parensque virtutum, charitas, gemino duntaxat fœta præcepto est, Dei videlicet amore, & proximi: primum quidem bis constituit ipse Dominus verbis Matth. 22. v. 37. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex tota fortitudine tua*. Deuteron. cap. 7. v. 5. Alterum autem ibidem his ipse dixit verbis: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, porrò Deum toto corde, totisque animæ viribus diligere, nihil aliud est, quàm illum quibusque omnibus præponere super omnibus mundi hujus oblectamentis, & illecebris a nobis ipsis eum pluris æstimare, & pendere: ipsum videlicet longè plus amare, & æstimare, quam honores, dignitates, facultates, divitias, parentes, amicos, necessariosque, ipsamque uxorem, & filios, tandem & nostri ipsius vitam corpus, & animam. Ut hæc eligamus ultrò, libenterque dimittere potiùs omnia, quàm vel minimùm ejus prætergredi mandatum, & offendere. Quocircà qui lethaliter peccant, quolibet peccato mortali præceptum illud amoris Dei toties transgrediuntur, charitatemque exulare a se compellunt, & fugant, quia videlicet delectatiunculam hanc levissimam, inanisque gloriæ fumum, idque quodvis aliud simile, cujus gratiâ Dei prætergrediuntur

tur imperium, ipsi Deo præponunt optimo maximo.

Hoc ergo vos inelligite, o Christiani omnes, o Filii Dei, & membra Christi, hoc animo pensate, intimoque corde sapite, quod ubi bene intellexerit, in peccatum lethale nunquam haud dubio adduci poterit, ut assentiatur voluntas nostra. Tibi scilicet a Domino vetitum, ne concupiscenti oculo proximi tui conjugem intuearis, consciusque, cum id agis illum offendere, voluntatem ejus, & mandatum temnere, ac ab ejus excidere gratia, & amore, super hæc nihilominus tuæ indulgere eligis voluptati, quam divinæ voluntati. Utique manifeste hinc evincitur, & comprobatur, delectatiunculam hanc, & illecebram fuisse vobis Deo longe potiorem, & pretiosiorem. Cum autem illud unicuique Deus sit, quod ceteris anteponit ipse omnibus, & potius habet, hinc ipsum omne peccatori Deus est illud, cujus gratia despicit ille, deseritque Deum. Attende igitur, infelix tu luxuriose, quia tibi Deus amasia tua, tibi loco Dei est obscena hæc carnis delectatio tua. Tibi gulose jejunii legem ultro qui si negligis, & infrangis Deus venter est. Quod alteri, qui tu furaris, inique subripuisti, quodque pauperi debitum non contulisti, ipsum tibi Deus est; quod ex mutuo collegisti fœnerator, & exegisti lucrum tibi Deus est: tibi, qui ad iracundiam, atque vindictam tam præceps, & facilis es, inanis ipsa gloriæ aura, cujus gratia propriis ipse manibus ultiones paras, & imples, Deus tuus est, atque ita dicendum nobis de ceteris per lethalia singula discutientibus. Cogita itaque miser, & cæce peccator, cum in peccatum aliquod mortale animo proponis assentiri, perinde te tunc habere, ac si revera diceres; nolo Deum ultra mihi Deum esse, nolo regnare hunc super me, regemque vitæ meæ esse, & animæ jam illi subesse, parereque renuo: sit amodo luxuria mihi Deus, & Dominus: imperet illa, lateque regnet in corde meo: uni jam illi obediatur; valeat proinde Deus, alioque, quo regnet, imperetque, loco pergat, nec enim apud me jam ille regnat, male mihi cum ipso est, nec duris ejus, austerisque subesse jam volo legibus; genio jam indulgere, propriaque vivere gaudia constituo, carnis meæ aquiescere legibus, ejusque vere desideria volo. Viderit Deus ipse, quibus imperare velit, vel possit; idcirco dicit scriptura, initium peccati cujuslibet esse superbiam, quia videlicet peccator inobediens est per superbiam Deo, quem, ne regnet, ejicit ex corde suo pulsoque illo carnalem illecebram, fluxam honorum umbram, aurum, & nummos, vindictæ cupidinem, aut quodvis terrenum aliud, cujus gratia Deo parere renuit regi cordis sui, animæque sedere jubet, & regnare solio, Dæmonemque adeo eadem simul collocat sede Deum eligit sibi, regemque, & Dominum agnoscit, cum animæ suæ, cujus ille voluntatem implet, ac toties obtemperat, quoties & ipse peccat. Atque ea puto de causa, Diabolus a Paulo dicitur, *Hujus seculi Deus*, ipseque Christus apud Joannem cap. 12. v. 31., & Job cap. 41. v. 25. *principem hujus mundi*, vocat eum, *& regem super omnes filios superbiæ:* quia videlicet a Dei discedentes obsequio, & voluntate peccatores omnes Dæmonis se mancipant & obstringunt imperio, cujus labor omnis, & consilium est, homines ut a solito Dei revocet, & arceat jugo, & obsequio, duramque creaturarum eos alliciat, & inducat in servitutem. Vide ergo tu cæcitatem tuam, obcæcate peccator, ingratitudinem tuam agnosce, superbiam tuam, vilitatem tuam, qui dum sic renuis esse, dicique Dei creaturam, & filium, Deorum te inanium, & servum præstas, tot scilicet Dæmonum, terrenarumque rerum, quarum tu causa Deum temnis, & negas. Redigitur, tamque profundo, quo laboras, & stertis aliquando tandem expergiscere veterno, somnum excute tuum, & phrenesim, aperi nunc oculos, & cæli lucem in-

intuere, effunde cor tuum, & pande, Deum ut jam ames tuum, verbo qui te suo recreavit, qui te cruore suo redemit, & pretiosissimo sanguine suo, qui vitam tibi promisit, & spopondit, ac felicitatem æternam: attende nunc, quam rationi consentaneum, & æquitati mandatum hoc ejus, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. An tibi aliquid æquius, vel convenientius, an utilius aliquid, aut jucundius, atque facilius sit, aut videatur? O utinam experiantur omnes, & sentiant, quanta sit hujus mandati suavitas, quamque arduum, & sublime maneat complentem illud nedum in cœlis, sed hic in terris, dumque illud ipsum implet præmium; fidem certe facit ejus expertus olim ipse Propheta regius psal. 118. v. 112.: *inclinavi Domine cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*. Ac si diceret non hoc modo, cum e vita migravit ille mercedem in cœlo recipiet, qui tuis attendit mandatis, & verbis, sedet hic etiam, dum mortalem hanc agit vitam, tuisque instat præceptis ille præmiabitur, donec videlicet interioris dulcedinis, & conscientiæ tranquillitatis, quod intelligendum maxime de vera præcipui hujus divini amoris mandati, praxi, & observantia, qui sine suavitatis interioris animæ sensu suscitari, foverique nequit in nobis: etenim amare quodvis, si vere cuique gratum, & dulce, quantus tibi sit supremi amor, desideriorumque boni? nec enim ille suavis modo, dulceque sapit, sed ceteris omnibus saporem affert, & condimentum; eo liquescunt, & sapiunt, alia quævis Dei præcepta, consiliaque evangelica, vel graviora: ajebat olim Augustinus, quos ego toto vitæ curriculo sustineo labores, una vix illi consistunt horula, & si plus illi durent amoris lenocinio nulli mihi videntur, nec molesti fiunt. Divus vero Bernardus ajebat, verè mihi dicere non licet cum agricolis his, qui operam suam locaverant in vineam, *quia portavimus pondus diei, & æstus*. Matth 20. v. 13. quod enim impositum mihi fuit, fateor, hoc suave jugum esse onus leve, quasi si diceret, confiteor me suavem agere vitam, mihi semper fuisse & melleum onus evangelii, quia divini conditum amoris suavitate, levis est omnino charitatis, quæ nostræ videtur infirmitati gravis, & debilitati sarcina, inquit Augustinus; Quare totis animæ, corporisque vivibus contendamus, & conemur, hunc amare Dominum, sic enim facile nobis fuerit carnis comprimere motus & affectus, Deique mandata etiam cum suavitate feremus, & implebimus.

CAPUT SECUNDUM.

De secundo Dei præcepto proximi diligendi.

Meritò certè voluit jussitque suprema illa, quæ suam ad imaginem, similitudinemque suam condidit nos, idoneosque nos aptavit æternæ felicitati, Dei bonitas, hoc dum peregrinamur in exilio, quantulaque dum hic vivimus morula nos invicem diligere; indecorum ubique videretur & intolerandum, quæ cœlesti uno parente sata est, eademque incedit via, eandem & ad cœlestem patriam anhelat, atque una properat, & festinat, concordem in itinere non incedere gentem, nec unanimem: alienum enim esse videtur a ratione, qui tandem æternum amici cursu peracto futuri sint, & unanimes, tribus duntaxat, quatuorve, quos impendant itineri diebus invicem intereà diffidere, mutuisque ardere odiis, & certare manibus, atque ea certè de causa toties in Evangelio nobis a Domino commendatur amor, & pax dicente Joann. 14. v. 17. *pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis*, & cap. 13. v. 34. *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem,*

sicut

sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, in hoc cognoscant omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem, & cap.15. v.17. *hæc mando vobis, ut diligatis invicem*; ideò & proprio dixit olim nomine Joannes Apostolos 1. epist. cap.3 v.14. v.19., & omnium sincerè Christi discipulorum; *nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*; Et ibidem cap.3. v.14 *qui non diligit fratrem suum manet in morte, & qui odit fratrem suum homicida est*; & cap.4. v.20. *si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit mendax est, nec diligit proximum suum, sicut seipsum dicit Dominus*. Ut autem hoc a nobis impleatur omnino mandatum, tria sunt necessaria; primum quidem, ne damni quicquam alteri inferas, aut nocumenti sive in persona ejus, vel conjugis, aut liberorum, sive in ejus famâ, rebus, & substantia, vel quibuslibet aliis, quæ ad illum spectant; nec enim conveniunt ista, simul amare quempiam, illumque molestiâ, aut damno afficere. Secundum est ut vero, sincero, puroque amore diligas non simulato: nempe ut fratrem ames, & proximum tuum propter ipsum, sicut & propter te teipsum amas, ut bene illi esse velis, & optes propter ipsum, sicut & tibi propter teipsum bene esse optas, atque provides. In illud impingunt certè carnales hujus seculi Filii, graviterque delinquunt, neminem qui non fictè diligunt, & sine fuco; si quem enim diligant, sibi diligunt in rem utique suam, & commodum, genio videlicet ut indulgeant suo vel, quod ab eo sperant accepturos, assequantur, adeoque nullum eum non nisi sic diligant, tamdiù fervet in proximum amor, & vivit, quandiu stat, qua una servetur amantis utilitas, & voluptas, qua fugiente perit, & qui ea fulciebatur amor. Hine tam frequentes amicitiarum dissolutiones, amicorumque vel intima priùs invicem necessitudine, vitæ communioneque conjunctissimorum crebræ dissentiones, & jurgia qui vel levissime vix extremo, ut vulgò dicitur, filo tacti subito commoventur, & invicem ardent; quod inde certè oritur, quia nullus nisi fictus, & falsus ut plurimum alterius amans, seque ipsum verè quilibet non proximum amat. Quocireà Joannes occultum id virus advertens epist.1. cap.3. v.18. diligenter nos admonet dicens: *filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate cordis*. Tertium denique est, ut proximum spiritualiter amemus, & sanctè, non carnaliter, uti nec nos ipsos amare debemus, hoc est ut illum in Deo, & propter Deum ipsum amemus, cui opus, & creaturam Dei gratiam illi precantes a Deo largiri cum ceteris, quæ spectant ad animæ proventum bonis, ita ut in nullo, quod peccet, ei consentiamus, aut cooperemur. Peccare quippe, Deumque offendere cujusvis in amici gratiam opus charitatis non est, sed interitus ejus, & ruina. Non dissimulat, adulatur aut favet aliorum culpis, & vitiis vera Christi charitas, sed arguit, ut tenetur, & licet, emendat, atque castigat, nec in amicos duntaxat illa fertur, ex corde quos diligat, sed ad ipsos hostes infensissimos, & adversarios illa se extendit, quibus benè vult patris sui cœlestis causa, & exemplo, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*. Matth. 15. v.45. milleque alia confert amicis, & inimicis quotidie beneficia. Atque idcircò promptum, & facile sincero Christiano vel inimicos diligere, quia scilicet & illum diligit ejusce supremi parentis, & Domini causa, qui sic jussit, & imperavit Matth. 5. v.44. cum dixit: *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos* propter me. Præterea novit & charitas optime vitium, & culpam in hoste ab ejus persona distinguere, ut cuique suum tribuat, hanc ut amet, & foveat, illam ut horreat, & fugiat; personam sic diligens, ut culparum optet, & curet emendationem, atque salutem animæ medicorum instar,

ftar, qui quorum curam agunt infirmorum perfonam amant, morbum infectantur, & horrent, quem ideo topicis, contrariifque pharmacis expugnare nituntur, & abigere.

Hoc autem diligendi proximi mandatum hominum genus omne complectitur, nimirum unus, communifque omnibus eft & parens, unus & Deus author ille, nobis & corporis, & animæ primufque, & præcipuus conditor horum, & protoplaftor, ut & Adami, a quo naturali propagatione geniti omnes: adeoque humaniter omnino, & benigne nos habere debemus in omne hominum genus, ubi fe fe præbet occafio, vel urget ubi neceffitas, ut nec efurienti Mauro, Turcæ, Judæo, feu cuivis alteri panem negare non liceat tibi, fi indiguerit, quamvis erga Chriftianos (qui ut Paulus ait ad Galat. 3. v. 26., & Chrifti funt membra) debito fingulari teneamur.

Ab his porro mandatis duobus cætera ducunt originem, quæ & ipfa complectuntur, ut qui geminum illud impleverit, & cætera merito cenfeatur impleviffe; quare & Paulus ad Rom. 13. v. 8. ait: *qui diligit proximum, legem implevit; nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falfum teftimonium dices, non concupifces, & fi quod eft aliud mandatum in hoc verbo inftauratur: diliges proximum tuum, ficut te ipfum, dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis eft dilectio*. Cætera quippe mandata legis quibus prohibemur, ne cui malum aliquod inferamus; quæ nobis ipfis fieri hæc eft illi contingere gauderemus, eadem & illi conferamus, atque velimus uno complexu cenfentur hoc verficulo: *diliges proximum tuum, ficut te ipfum*. Qui enim alium amat, nec quicquam, amato nocere poteft: adeoque qui proximum, quo jubet Chriftus, diligit modo, neceffe eft & amare Deum; qui vero Deum fuper omnia diligit ipfum haud dubio, nomenque fanctum ejus debito reveretur honore, & cultu; felectos ille, dies & in dictos fanctificat, mandata illius audit, & implet. Atque adeo duobus his jam fupra difcuffis, expofitifque mandatis opportune nobis de decem aliis breviter differendum eft.

CAPUT TERTIUM.

De primo Decalogi præcepto, quod eft, unum adorare Deum, & colere.

DUas olim Moyfi dedit Dominus lapideas tabulas quibus infcripta erant digito Dei mandata decem, tria fcilicet quæ Deum fpectant in prima; in fecunda vero feptem alia erant, quibus, quomodo nos ad proximum haberemus, erudiebamur. Quid agendum nobis circa Deum tria docent priora præcepta de eo, quem debemus, in illum cultu, & obfervantia, quorum primum eft: *Deum unum adorabis*, quo certe precepto falfos omnes horrere, refpuereque Deos, & Dæmonia ab Ethnicis, Gentilibufque culta, & venerata, erudimur, & jubemur, adeoque fugere nos docet ab idolatria, qua fcilicet honor, & cultus uni Deo, fupremoque Domino debitus ad creaturas quafque transfertur, & tribuitur, uti cæca quondam, & infana deliravit Gentilium antiquitas, quæ folem, & ftellas Deorum habuit loco, fictitiafque imagines ligneas, aut lapideas, vel fui caufa, vel Dæmoniorum in eis delitefcentium adoravit. Haud eo plane modo colit imagines Ecclefia Catholica, quæ cum Salvatoris, & Domini noftri, vel Mariæ Matris ejus, Sanctorumque imagines veneratur, non in eas duntaxat refert illa cultus, honorefve,

resve, aut eas colit quod in his esse sibi fingat aliquod divinitatis, sanctitatisque vestigium imaginibus, & simulacris; novit enim illa optime, & intelligit ea saxa, vel lignum esse, quibus proinde nullus debeatur, aut deferri possit honor, & cultus: sed hæc veneratur, quia illa aliud referunt, ac repræsentant Christum videlicet, aut Sanctos ejus, quorum typum exhibet in illis nobis ut in memoriam revocet, quos & in iis illa veneratur, & colit. Itaque sic illa suos erudire solet filios ut cum illi Crucifixi Domini lignum intuentur, & imaginem, ejusdem recolant illi passionem, ipsumque Christum in imagine sua venerentur, & adorent, quia duntaxat ejus referat illa exemplar & similitudinem: quæ certe signa, vel imagines rudioribus, legereque nescientibus librorum loco sunt, quia nimirùm expressum in illis intuentur, & percipiunt, quod in Evangelio describitur, ac plerumque meliùs, & faciliùs oculo perspecta tabella, vel imagine, quam lecto codice mysterii, vel sancti cujusvis vita, vel notitia nobis, vel memoriæ revocatur, altiùsque, & feliciùs in mentem desigitur. Legendo quippe, libro legenti, vel audienti eâ temporis morâ diuturniori, & intelligentiâ, sive solertiâ majori opus est, quam perspiciendæ imagini; præterea longe movetur efficaciùs hominis cor, ipso oculis objecto deprehenso, quàm lecto, vel audito: quare retinendæ nobis mysteriorum, beneficiorumque Christi memoriæ, quibus tantum, non autem figuris his ejus, & simulachris, pictisque tabellis confidimus, haud parum conferre videntur imagines; Quare, & Christiani olim, uti Athanasius habet, cum irriderentur, & subsannarentur ab Ethnicis, quod Crucem adorantes, lignum eis adorasse viderentur, ut inani delusos eos errore comprobarent, alterum ab altero lignum solventes, Crucis ità figuram delebant, lignumque tunc illud pedibus conculcabant; sic aperte testantes in ligno lignum non adorari, sed Christum in eo Crucifixum, qui sic in modum Crucis aptato ligno referebatur. Nec eodem colit Ecclesia mater sancta Mariam Virginem, & Sanctos, quo Deum colit cultu, quæ sic idolatriæ scelere pollueretur; sunt enim creaturæ omnes, & Dei opus, sed ceù Dei servos, & domesticos, sive amicos observat, & veneratur, patronos illos implorans apud Deum pro nobis, ut & mores illorum, & vitæ sanctitatem imitemur, & eorum in cœlo consortium mereamur, quibus imminutum certè nihil supremæ dignitatis majestati, & honori, quin potiùs in sanctis Deum ipsum qui tam in eis extitit mirabilis, adoramus, & veneramur. Idcircò, monet ut Augustinus, uni Deo sacrificamus altissimo, uni illi aras, & templa erigimus, & consecramus, quamvis & in alicujus Sanctorum honorem, atque memoriam construantur, in quibus certe Deum, & Dominum Jesum Christum colere nobis est animus, quem unum, ceu Creatorem omnium, & Dominum adoramus, cujus in unius virtute, clementiaque confidimus, quem & authorem credimus, & largitorem beneficum eorum omnium, quibus hi decorati, donatique donorum, bonorumque fuere sancti, quorum nec proinde virtute boni nihil impetrare speramus animæ, vel corpori profecturum, sed ut id a Deo nobis aliquando impetrent expectamus, & postulamus

Adversus hoc præceptum multifariè peccari solet; & primò quidem in illud peccant Infideles, Ethnici que omnes, & Hæretici ab Ecclesiæ recedentes unitate, & segregati; quia non verùm, unumque illi tota, quem colit, & una Ecclesia Catholica, sed quem sibi pro arbitrio fingunt, aut suis induunt, & deturpant erroribus, adorant, & colunt Deum, qui certus verus non ille Deus, sed illis fictus, & pro vero habitus.

In illud idem offendunt præceptum, qui in rebus fidei consulto nutant dubii, li-

licet nec omnino discedant, & negent, aut ab Ecclesia discedant Catholica: ad hæresim enim, & fidei lumen in anima penitus extinguendum sufficit, & in rebus fidei cum matura deliberatione dubitare, vel hærere.

Peccant & in illud idem Domini mandatum, metu qui vel aliquo, vel humana quavis alia ratione, vel intuitu fidem negant; quique Dæmonio litant, aut cuivis alteri creaturarum idolatriam exercent.

Similiter & quiDeum blasphemant,negant aut execrantur,eique maledicunt, quod peccati genus est gravissimum, quamvis apud Christianos hodie non satis rarum suapte natura etiam homicidio, vel quovis alio, quo proximus impetatur, & lædatur peccato longe sit gravius. Age quæso nequam, o vera Diaboli progenies, nunquid non satis tibi est, vel hanc, & quam a Deo habes, non impendere illi vitam, qui te de nihilo creavit, qui te ad veritatis suæ lumen adduxit, qui te Christianum insignivit, & æterna donare beatitudine cupit, ut & illum ore blasphemo contumeliose & impiè habere ausis, & adiicias; nec sufficit tibi pedibus ejus conculcare mandata, & despicere, ut & lingua ipsa tam atrociter illum inhonores?

Fervebam (inquies) irâ, vel aliâ etiam animi commotione pravi ferebar, adeoque in has ego erupi blasphemias. In Deum ergo recalcitrabis? O stulte! Diaboli jumentum, & mule; In que contumeliam ejus, & vituperium incurrent, & confringentur tumentes irarum, indignationumque tuarum fluctus, & tempestates; præstabat utique tibi ipsi præcidisse linguam, minusque id nocuisset, quam ea ad negandum, & blasphemandum uti.

Præterea in idem delinquunt graviter Dei mandatum, qui negotium aliquod consuetudinemque, fœdus, & commercium cum Dæmone tractant, & exercent, qui illum invocant, aut ejus utuntur authoritate, & nomine, uti venefici, striges, sagæ, incantatores, & magi, qui superstitiosis utuntur adjurationibus, & benedictionibus divinatoriam exercentes, augures, arioli, sortibus utentes, quique omnes ad eos accedunt, & recurrunt auxilium, & quodvis ab eis implorant, & flagitant quod artis eorum sit & nequitiæ.

In idem etiam illud impingunt præceptum, Deo qui promissa a se, votaque temnere audent, ultrò qui malum aliquod, scienterque paraturos jurant, & pollicentur, vel opus bonum, & pium aliquod nunquam præstituros, velut qui nec commodare cuiquam, nec mutuò liberaliter dare proponunt similiter, & Deum tentare videntur, miraculum ab eo frustra quærentes, & sine necessitate.

Hoc ergo nos impleamus, charissimi, Dei mandatum toto corde, tota mente Deum confitentes, & venerantes, unum illum vereriti, in eum sperantes, & fidentes, uni illi semper adhærentes, in omnibus ejus nos remittentes voluntati, de nobis, nostrisque rebus, ut ad arbitrium ipse disponat, & statuat; ab ejus manu labores etiam, & angustias æquo tranquilloque suscipientes animo certi, quodcumque tandem contigerit in nostri proventum,& animæ salutem fuisse dispositum, eumque ceu parentem optimum, quæ nobis conveniant etiam ardentius nobis velle, & optare nobis; Est enim ille plasmator noster, & conditor, qui nos servat, tuetur, et regit, qui nos a malo liberat, a quo nobis bona cuncta procedunt, cujus unius immensa liberalitate, atque clementia non ex nostris meritis, viribusque, vel prudentia tot percipimus in dies beneficia.

Hanc certe fidem altius oportet nostris infigere cordibus, et animabus, est enim illa spiritualis ædificii lapis angularis, et fundamentum, fons ipsa manans, radixque virtutum; qua deficiente una pereunt omnes, quam penè sequuntur

illicò, nisi fortè ponatur a nobis obex, in Deum amor, & timor, reverentia, spes & fiducia, ceteræque virtutes omnes; Quare seriò nobis auscultanda, pensandaque Domini verba ista sublimia, queis Judæis olim legem, & mandata ferens est alloqutus, ut imis æternùm illa hæreant insculpta præcordiis quæ duntaxat ea sunt Deuteron. cap 6. v.4., *audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est:* & Exod. cap.20. v. 2. *ego sum Dominus Deus tuus*, ac si diceret, ego omne bonum, tibi sum; quibus alludens verbis, eorum vim in psalmis expositurus Propheta David mille modis, & nominibus divinum ipsum propria vi, significationeque referentibus compellat Deum dicens psalm. 17. v.1. *Dominus fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus*, & psal.26. v.1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, Dominus protector vitæ meæ. Deus auxilii mei, & spes mea;* innumerisque aliis Deum interpellat titulis hoc uno mystico, & inenarrabili Dei nomine complexis, quare jure subdidit Deus ibidem Deut.6. v.13 dicens: *diliges Dominum Deum tuum, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies:* in eo uno erit fiducia tua, non in terræ principibus, non in divitiis, amicis, atque necessariis, aut in alia quavis creatura. At licet sanctos etiam invocemus, ad eos scilicet, ut mediatores, & patronos, atque apud Deum pro nobis intercessores, interpellatoresque confugimus.

CAPUT QUARTUM.

De secundo Decalogi præcepto non jurandi: non assumes in Vanum nomen Domini Dei tui.

PRiori quidem omnes Deum in corde tenemur habere præcepto, unum scilicet eum Deum habentes, & adorantes, in eoque uno confidentes, & sperantes: hoc autem altero jubemur, eum & lingua venerari; eâ, ne quoquomodo scilicet erga eum irreverenter, & contumeliose nos habeamus, nomen illius in vanum assumentes; sed qua Deum ipsum venerari tenemur, & observare reverentia, ea & nomen ejus sanctum habeamus, laudibus illud, benedictionibusque cumulantes. Quod certe promptum, & facile videtur, nisi mos aliquorum obstaret impurus, & consuetudo nequam, quorum os occupavit, & linguas, usurpavitque Satan iniquus, iisque frequentissime utitur adversùs Deum, ut innumeris eum, atrocissimisque quotidie contumeliis afficiat, & injuriis. Quid enim, amabo, convenientius, atque facilius, quàm ut servus ore semper, & lingua Dominum revereatur, nec injuriis eum, & verbo lædat. Quidve incompositum magis, & alienum servo, mendacem, & implanatorem Dominum compellare. Idipsum verò tu & in Deum agis, qui juramento, quod revera non est, aut ignoras verum affirmare audes, dum dubium certo asseveras, aut quod verum est præfracte negas, nimirum qui sic operte quidem, sed impie falsi testem iniquum appellas Deum, eumque facis mendacii vadem. Dic, quæso, nequam, et ingratum hominum genus, numquid non parum tibi, Deum, ut teneris, toto corde non amasse, nec ejus opere ipso complevisse mandata, despexisse? Quia et lingua ipsa conviciari illi amas? Qui sic assuetus es occasione qualibet, et causa dicere: *juro per Deum, voveo per Deum, per Evangelium Christi*, vel innumeris a te sic excogitatis bis mille modis, ut Deo ludibrium, et contumeliam inferas tuo. Linguam ab eo habes, ut eum confitearis, et laudes, ut ipsum in necessitatibus, et cum opus aliquid

ab

ab eo habes in voces: & eâ tu in derisum ejus, & contumeliam abuteris? Quam tu feliciùs elinguis natus fuisses, vel saltem orbari lingua, obmutescereque præstitisset, quam ea potiri nunc, & uti in Dei contumeliam, & injuriam, in animæ tuæ ruinam, & interitum; Proh miser, & cœce, quid tibi tandem ex juramento proveniat lucri? Nec enim eo tibi apud alios augetur honor, nulla inde tibi, carnique tuæ delectatio, vel illecebra, non crescit nummus. Quid ergo falsum juras, aut vanum? Non alia certe causâ quàm, quod nullus apud te Dei timor, adeoque quod vilis ille tibi fit, & despectus in corde tuo in hæc tam pudenda, probrosaque erumpit, effunditque se dicteria contra majestatem ejus lingua tua. Jam o vir infelix, perjure, & blaspheme, ceteros cum admoneant, hortenturque hominum Scripturæ Sacræ, sanctique patres, Deum ut ore, menteque semper habeant; rogandus contrà tu, jubendusque ne memineris: nimirum cujus apud te nulla memoria, nisi, ut opprobriis, & contumeliis oneres. Tu Diaboli membrum, & Satanæ lingua: quid Deum invocas, cur in ore Deus? cujus nomen venerandum, nisi ut illud probrò afficias, efferre non soles, ut illud per forum, & compita, per aleas, in quæ tuis excessibus, & aberramentis ubique traducas, circumferas, & conculces? Huic non temerando præcepto sufficit, ut qui juret, in veritate juret, sed etiam cum necessitate, scilicet adjuratus a judice, vel alias, ubi legitima causa compellit, & necessitas, atque adeo vanum tu pejeras, non modo si cum mendacio falsum, sed si verum etiam non necessario juras; quamvis autem haud lethaliter pecces; verùm qui sine necessitate juramento confirmas gravius tamen veniale peccatum incurris præter illud, quod subis, & addis inducendæ falsum, aut vanum dejerandi consuetudinis, facilitatisque discrimen; Gravissimo vero sacrilegii peccato lethaliter peccas, ubi cum mendacio dejeras longe graviori, quam furti, vel homicidii! idcircòque tam strictè, severeque nos admonet in Evangelio Dominus Matth. 5., a juramento cavere: vanum enim qui dejerare solet, & sine necessitate, falsum, & facile inclinatur asserere, & jurare, sapiensque sic in Eccl. cap. 23. v. 9. de eo ait: *jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa*, in falso quippe dejerando vix abstinere poteris; præterea ait ibidem v. 12. *vir multam jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.* Et ibidem cap. 27. v. 15. *loquela multum jurans horripilationem capiti statuet.*

Nec homo, qui per Deum, ejusque nomen dejerare cavet est a peccato liber si per viscera Mariæ, nomenque venerandum, aut cujusvis Sanctorum Dei jurare præsumpserit, idem ut ait sapiens Eccl. cap. 23. v. 10. *nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis quoniam non erit immunis ab eis: sicut enim servus interrogatus assiduè a livore non minuitur, sic omnis jurans, & nominans in toto a peccato non purgabitur.* Ideoque non per vitam caputque tuum, per animam, salutem tuam, aut aliorum tibi jurare licet, nec sic dicere; ita me Deus salvet, sic me adjuvet aut ejus Evangelium, id omne quippe juramenti genus est execratorii, quo scilicet ultrices a Deo pœnas apprecamur, si mentiamur. Quare idem prorsus dicere videtur, qui per caput suum jurat, ac si diceret mala me morte Deus perdat, si verum dejerem, idemque de execrationibus, & juramentis aliis omninò dicendum. Cum ergo nobis est assertione firmandum sufficiat dicere: vere ita est: sic se res habet, ut dico, nec mentior, vere & bona fide ista est: hæc enim in juramentum non cadunt.

In illud etiam peccant mandatum non ii tantùm, qui quod revera non ita esse sciunt, aut dubitant, verum asserunt juramento, sed qui quodlibet volueris facturos se Sacramento dato pollicentur, animo non implendi promissi, sic & qui

mali quicquam patraturum se dejerat, quod peccato nefas implere.

CAPUT QUINTUM.

De tertio præcepto: memento ut diem sabbati sanctifices.

His edicitur in lege Moysis Exodi 20. v. 8. præceptum istud Dei tertium verbis: *memento, ut diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die, sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit. Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum:* nobis autem idem aliis est preceptum impositum verbis videlicet diem Domini sanctificabis, quasve celebrari jubet alias Ecclesia Santa Mater Catholica præscriptas solemnitates.

Ad quorum intelligentiam advertendum eadem ipsa, qua Deum unum conferi, colereque lege tenemur divina, & naturali, eadem & esse congruum, omninoque oportere sepositis, ablegatisque quibusque negotiorum domesticæ rei perturbationibus, atque diverticulis statis horis, aut temporibus uni Deo, divinisque rebus, & cultui toti serviamus, & incumbamus, quo laudis ei concinamus cantica,& de acceptis ab eo gratias referamus beneficiis,novaque postulemus,& impetremus,ut auxilium ab eo contra ingruentes quotidie tentationum, adversitatumque tempestates, atque medelam imploremus, utque maxime sacrificium illi labiorum nostrorum offeramus,& incruentum.Quamvis enim omne, quod excurrit, tempus ejus sit, meritoque a nobis in eo cogitando, diligendoque debeat impendi,quando singulis horis, atque momentis, uti Bernardus habet, ab eo beneficiis afficimur, nihilominus qui propria vel infirmitate, vel certe desidia, aut occupatione vetamur id assidue præstare; in id certe, vel aliquod, statumque tempus deligere, lumine naturali tenemur, adeoque vel jure ipso naturæ perspicuum videtur teneri nos status deligere dies, & horas, quas incolendo, recogitandoque, qui nos condidit, Deo, divinisque illius mysteriis celebrandis, & offerendis illi certo ritu sacrificiis impendamus. Qui vero, quot, & quanti dies illi, naturali lege quidem, haud certi deprehendi potest. Judæis quidem in lege Moysi præcipitur a Domino dies illa sabbati, nimirum ea quod ille requieverit ab opere, quod patrarat in creatione mundi die, non sic tamen; ut ille prius in eo condendo laborarit, & insudarit, sed nimirum, quia tunc creandi in posterum finem fecit, novasque condere eâ cessavit die creaturas, ideoque diem hanc sabbati nomine dici voluit, quod idem sonat ac *quietis dies*. Verum ab illa, qua cœlos conscendit Dominus die, Spiritu Sancto desuper inspirante, Christique discipulorum, & Apostolorum ipsa per antiqua traditione, & lege mutatus ille sabbati dies apud Christianos omnes in Ecclesia Catholica in sequentem Domini diem, sic ut ab ejus prærogativis, & excellentia per antonomasiam appellatum, quia scilicet dies ille Dominicus, & sacer, uti Leo advertit ille Papa magnus non tantum Domini rutilat fulgore resurgentis, qua tamen sanctificatus ille maxime extitit causa, sed innumeris insuper præceteris eminet adhuc ille privilegiis, quibus anteponi, majorique apparatu celebrari mereatur; eo namque die fuit universus a Deo conditus orbis, ipso eodem Apostolos alloquutus dixerat Christus Joann. 20. v. 22.: *accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* plurimaque demum alia miræ excellentiæ mysteria operatus est

eo

eo die Dominus. Itaque, chariſſimi, cum is ille ſit dies, Dominus quem ſibi delegit Altiſſimus; hoc quæſo, nos ne fraudemus eum die, nec furemur Domino diem ſuum, quando & is indictus ille eſt, quo cum Deo agamus, tractemus, & colloquamur, bis eum inpendamus, illeque ſic a nobis agatur dies: ſi reliquos hebdomadæ dies corpori permittimus, curandiſque rebus illius, terreniſque terimus, vel unicus his ſaltem animæ cedat dies fovendæque illi, & ſaginandæ totus a nobis impendatur; hoc eſt audiendo Dei verbo, orationi, myſteriorum Chriſti ſervatoris noſtri meditationi, beneficiorumque Dei recogitationi.

Quomodo vero coli velit a nobis Deus, quove ritu, ſolemnitateque jubeat Chriſtiano homine celebrari diem hunc ſuum, alioſque feſtos Eccleſiæ dies jam expono. Quatuor in id exiguntur a nobis, ac primo quidem, quod & caput illud eſt, id vel præſertim a nobis vult, ne Dominico hoc, feſtoque alio die peccemus; quamvis enim nulla peccandi nobis conceſſa ſit temporis pars, nefasque ſit omnino in Deum quoquo peccare momento, vel tempore, horrendum nihilominus maxime, & intolerabilius ipſo, quem ſibi delegerat ille, laudarique a nobis debuerat, & coli; hoc, vel inhonorari, offendique die; ideoque Judæis olim apud Iſaiam cap.1. v.13. ajebat Deus: *ne offeratis ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi Neomeniam, & ſabbatum, & feſtivitates alias non feram: Iniqui ſunt cœtus veſtri; calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens*. Quæ ideo dicebat eis verba, quod, quos ille juſſerat eis celebrari dies, tranquilleque cum eo agere, beneficiorumque memores eſſe perceptorum, ipſos abominationibus, & ſcelere multo contaminarent, conceſſo ſibi per legem abutentes otio corporali, atque in ſpiritus interturbationem, aberrationemque, animæque perniciem ſuæ commutantes. Cum vacare eo ideo præceperat, volueratque Deus a labore corporis, & quieſcere, facilius, ut & ſpirituali tranquillitate potirentur. Ut ergo die ſabbathi Deus a viſibilium omnium creatione ceſſavit, ſic & cor implicitum a corporalium affectu, mentenque noſtram, terrenorumque cogitatione liberemus, ſolvamus, & erigamus ad inviſibilia, ac cæleſtia contendamus. Adverſus id adeo peccant, dies qui Dominicos, feſtoſque ludis inanibus, choreis, ſaltationibus, epulis, compotationibus, commeſſationibus, ingurgitationibuſque janeis, hiſque ſexcentis ſimilibus illicitis, pudendiſque diſſolutionum exceſſibus, & aberramentis totos inſumunt. Secundum autem & nobis ea die prohibetur, & edicitur, ne rei domeſticæ curam negotiorumque, vel quotidiani laboris opus manuale, quo vitæ nobis ſubſidia comparare ſolemus, exerceamus.

Tertio jubemur, ut peccato mundi, laboriſque corporei onere, vel terrenorum omnium anxietate, negotiorumque ſeculi hujus ſollicitudine liberi, cor noſtrum, & animam offeramus in holocauſtum, & ſanctificemus coram Domino Deo noſtro cum amaritudine animi de peccatis, quæ per hebdomadam, ac tota ipſa perpetravimus vitam dolentes, ſupplicemque illorum a Deo veniam cum lacrymis, ac firmiſſimo emendationis propoſito flagitantes. Quod certe opportunius præſtaretur, ſi ſactam ad exomologeſim accederes quibuſdam ſaltem Dominicis, feſtiſque diebus aliis. Quod ſi tibi non vacat ſingulis, vel alterutris Dominicis confiteri: coram Domino Deo tuo ſaltem in corde tuo præterita plange delicta omnia, errataque tua, ſicque coram eo mundatus ab illis, cum illo conciliatus ſurſum cor erige, vivaque fide, ſpe, & charitate ad illum tende verus enim ille eſt, & præcipuus, quo coli velit Deus a nobis cultus: dicente Joanne cap. 4. v. 24. *Spiritus eſt*

est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare. Hoc est actibus sinceris spiritus, quos firma fide, spe inconcussa, ardentique præstamus charitate memores assidue, quæ ab illo suscepimus hic, tot beneficiorum, quæque tandem in futuro suscepturos fore speramus seculo. Quarto demum exterior etiam à nobis exigitur religionis cultus, & ritus, statis ut ad Ecclesiam accedamus horis, menteque, & corpore compositis, attenti divinis intersimus officiis, & laudibus, Deique verbum audiamus, & intelligamus, unaque nobiscum, & liberos, & domesticos, totamque familiam sollicite convenire curemus; maxime ut divino cum devotione omnes intersint & incruento Missæ Sacrificio. Quod autem intoleranda videatur Christianorum hujus ætatis irreligio, & frigiditas maxima non parùm intererit hìc eos arguere, erudireque, & monere quomodo sit ab eis audienda missa.

CAPUT SEXTUM.

Quomodo se teneantur habere, qui Missam audiunt, & incruento adstant Altaris Sacrificio.

PRimò quidem advertendum, incruentum hoc, tremendumque missæ Sacrificium non ab uno tantùm offerri Sacerdote ministro, sed a Christianis omnibus, præsertim ab iis, qui præsentes intersunt eidem, qui omnes unius Sacerdotis publico tunc ministerio defungentis manibus illud offerunt, cujus & manibus hoc ipsum altissimo offert Ecclesia mater Sancta Deo pretii sacrificium infiniti; ideoque Sacerdos mox ab hostiæ peracta oblatione circumstantem ad populum versus ait: *orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium in conspectu Domini fit acceptum*. Ne putetis itaque unum spectare Sacerdotem, unique illi incumbere attentum esse eidem, ac devotum: omnes quippe tenemini vos eidem adstare devoti, & attenti passionem Domini Salvatoris nostri, quæ tunc ibi repræsentatione peragitur animo revolventes, quando & omnes unà cum Sacerdote Sacrificium illud offertis; atque idcircò Sacerdos, antequam ad tam ineffabilis hujus accingat se Sacramenti consecrationem, & sacrificium, populos evangelica præparat, præmunitque doctrina, & Apostolica, devotionemque illius ad instans mox Sacrificium peragendum ea lectione, admovet, & excitat; primò itaque lectionem habet ex Apostolorum, Prophetarumque doctrina: quod *Epistolæ* nomine venit: tum & aliam seligit ex ipsis Domini verbis, & Evangelio Christi, exinde diebus Dominicis, festisque præcipuis fidei recitat symbolum: *Credo &c*; quasi veritatem profitens eorum, quæ lecta fuere, sive prælectam antea doctrinam Apostolicam, vel Propheticam, Evangelicamque esse veram; eaque fidei se confessione præmuniens, & accingens ad unicum hoc offerendum fidei, & Ecclesiæ Catholicæ sacrificium: nec ea dispositione contenta propius instante sacrificii mora, ut ulteriùs adstantes ad illud se præparent, eos admonet, & excitat: mentes, & corda sursum uterigant, Angelorumque se choris adjungant, ac laudes concinant, proque immensis, quæ contulit ille nobis gratias omnes agant beneficiis; dicens primò: *Dominus vobiscum*, quasi dicat cum vobis sit Dominus: respondet populus, *& cum spiritu tuo*, hoc est sit ipsemet Dominus cum tuo spiritu; addit Sacerdos *sursum corda*: idest, corda sursùm erigite; respondet populus: *habemus ad Dominum*, stant illa jam ad Dominum erecta: idest ità contendimus, quo audito subjungit Sacerdos: *gratias agamus Domino Deo nostro*: ac si diceret, quando cor vestrum

in

in Deum erectum afferitis. Convenientisfime nos una omnes Domino Deo nostro habebimus; iterumque respondet populus *: dignum, & justum est*: hoc est, convenientisfima res est, & æquisfima, sic ut agamus*:* moxque sacerdos aggreditur suo, populique totius nomine Deo gratias agere dicens, *verè dignum, & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æternæ Deus* ob immensa: quæ contulisti nobis beneficia *per Christum Dominum nostrum, per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Archangeli, Cherubim* quoque, & Seraphim, *omnisque militia cœlestis exercitus* beatorum spirituum, *cum quibus, & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur*, supplici namque nos, ut illi, te corde confitemur, & laudamus dicentes: *Sanctus* Pater, *Sanctus* Filius, *Sanctus* & Spiritus Sanctus, unus idem Deus, & Dominus totius Creaturarum exercitus, pleni sunt cœli, & terra gloria tua, signisque bonitatis tuæ manifestis, salva nos, & recipe in excelsis; benedictus unigenitus ille filius tuus, ac redemptor noster, qui venit in nomine Domini, descenditque de cœlo in terram, ut redimeret nos, & salvaret.

Hæc ergo volui hîc omnia referre, prosequique verba, charissimi, ut percipiatis, quid cum missæ interestis, Deo promittatis, & profiteamini, illudque tandem opere compleatis. Cum enim ait Sacerdos hæc verba *: sursum corda*, tunc uti jam suprà diximus, asseris cor tuum in Domino collocatum habere, atque adeo nullo terrenorum affectu, cogitationeque teneri implicitum. Siccine se res habet apud te? Vide ne & tu cum Anania, sapphiraque conjuge mentitus sis Spiritui Sancto, de teque verè dicatur a Domino, quod aliis Isaia cap.29.v. . dixit *populus hic*, qui huic adest missæ *labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me*: Væ qui nec ibi labiis Deum laudant, linguamque suam inanibus seculi rebus, negotiisque secularibus impendunt; Hoc maximè, quo missam audis tempore tenendus, agendusque tibi spiritualis est sabbatismus, ut scilicet a terrenis omnibus liberum ad Deum feratur cor tuum, totoque corde tremens reverenter, & attente consideres hoc ad altare ipsum idem & offerri sacerdotis manibus sacrificium, quod in ara Crucis ipse pro nobis obtulit Christus immensi scilicet ante Deum & valoris, & fragrantiæ, una tu cum ceteris illud offerens pro peccatis vestris, & postulans, ne culparum immanitate, gravitateque nostrarum apud Deum hujus tam suavis, & immensi virtus, odorque sacrificii minuatur, sed in vobis efficaciter operetur, & utile fiat; horrendum itaque nugari vos, & fabulare, dum missa peragitur, nec enim, qui sic se habet, ille missam audit, eique attendit, sed sibi ipsi, vel cui fabulatur, nec sufficit in missa cum nemine miscere colloquia, sed & nullas insuper rerum secularium, mundanarumque cogitationes voluntarie debemus admittere. Interest quippe nobis plurimum huic tam sublimi, tam arduo cor intentum habere mysterio, mortisque, & passionis Domini Jesu Christi (cujus in ea memoria peragitur, cujus & ibidem adest & sanguis verus, & vera caro) mysteria singulari devotione recogitemus, terrenorum insurgentes quasque cogitationes, ceu fucorum involitantium molestias, comprimentes, ociusque, & fortiter abigentes, prætéritaque delicta cum lacrymis, & amaritudine animi recolamus certi & ab iisdem nos tandem hujus, quod in ea peragitur virtute sacrificii liberandos iri: si modo nec nova tunc ibi superaddas, multiplicesque crimina; ideò namque tu vel in missæ principio generalem omnium tuorum peregisti delictorum cum sacerdote confessionem de præteritis omnibus iis accusans te, male quæ, vel ociose perpetrasti, cogitasti, & concupivisti, de probrosis, otiosis, obscænisque omnibus verbis factis, cogitationibusque tuis, sic ut Deo jam conciliatus, & solutus ab his ma-

majori cum animi pietate posses hoc illi offerre sacrificium tuum. Qui ergo jam a missæ principio de peccatis tuis,de verbis otiosis & cogitationibus apud Deum, idcirco confessus es, veniamque precatus ab eo,quid audeas iterum ipso sacrificii tempore iisdem otiosis animum inficere, contaminareque verbis, & cogitationibus? Si missam audis, ut in Ecclesia tibi, quæ foras egisti, peccata dimittantur, nova quid audes accumulare præteritis, eadem in ipsa Ecclesia, ipsumque pro te dum offertur & peragitur puritatis ineffabile sacrificium; attende miser, ad Ecclesiam te non ideo accessisse, gravius ut infirmareris, animaque valeres, sed ut baberet illa melius, sospesque domum ab illa recederet; adeoque totus esse debes in offerendo pro salute ejus hocce sacrificio, deinde & pro omnibus, quæ tibi collata sunt ante hac a Domiuo, beneficiis, & gratiis, sive communes illæ tibi cum cæteris fuerint sive singulares, sive ad corpus illæ pertineant, sive ad animam; nec satis tibi esse putaveris missæ partem audivisse, & interfuisse integram enim audivisse, legitimo ni forte tenearis impedimento, sub mortali teneris, integrumque debet esse sacrificium tuum.

CAPUT SEPTIMUM.

In quartum decalogi mandatum: honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

Post tria hæc, & præcipua, quæ prioris vulgo dicuntur mandatá tabulæ, quibus ad Deum anima componatur posteriora septem alia, septemquæ secundæ dicuntur & tabulæ, consequuntur, quibus quam recte nos habere debeamus ad proximum erudit nos Dominus, atque in eis omnino caput est, & maximum, parentes honorare, & observare: nec enim erga quemquam alium a Deo striciori tenemur vinculo necessitudinis, & officii. Parentum autem nomine non uni veniunt carnales illi, quibus & orti sumus, & geniti, sed spirituales omnes, prælati, præpositi, rectores Ecclesiarum, & quilibet Sacerdotum. Demum & principes temporales, sæcularisque regiminis magistratus, & optimates.

Notandum etiam honoris deferendi verbo hocce in mandato expresso, non unam intelligi reverentiam exteriorem, & urbanitatem, sed insuper obedientiam, quin & præter observantiam, & obedientiam etiam, illis adesse in necessitatibus, auxiliumque tenemur impendere, si que quid indigeant & vestem, & obsonium, & quævis alia ministrare illis,& providere;stultum enim est, hoc optime se complevisse mandatum arbitrari eum, qui quocumque in parentes incurrerit loco plurimis eos excipit salutatibus, honorifice tractat, & habet, multaque in illos utitur verborum urbanitate, reverentia, & lenitate, si necessitatem illis patientibus pro virili statim occurit eis, affertque levamen, sæpissimeque; nam honoris voce munus, & auxilium intelligit Sctiptura Sacra, ac quidquid vitæ corporali necessarium occurrit; quare cum jubet nos Patrem, & Matrem honorare Dominus, vult & nos illis ad honestam, commodamque sui sustentationem occurrere, & subvenire quantum illi indigent, nobisque pro posse datum, ac licet aliis omnibus ab his etiam in necessariis adesse teneamur in temporalium distributione principem obtinent locum, & præire Pater, & Mater, illisque ante quoscumque alios auxiliari nos oportet; post ipsos vero liberis, uxori, fratribusque, ac cæteris aliis pro gradus proximitate consanguineis, atque parentibus.

Quare & in illud peccat mandatum, qui debitum non defert honorem, hoc est

est officium, solamen, & auxilium in necessariis Patri, & Matri: ac subinde similiter & consanguineis, contribulibus, gentilibusque.

Peccat, & in idem qui majorum quorumcunque suorum quantum, & ubi quisque tenetur ex officio, & debito parere detrectat, aut negligit imperio, & voluntatis.

In illud etiam graviter delinquunt, qui contra cœlum ponunt os suum, hoc est adversus prælatos suos, reipublicæque principes, & magistratus obloquuntur famam eorum proscindentes, eorum authoritati detrahentes, indecoreque eos habentes, & despicientes, quorum turpitudinem, & vitia etsi comperta sibi forent, & tenerentur occultare. Qua de causa Chamo Noë filio jure componuntur, cui maledictum, & imprecatum a patre, quod videns nuditatem ejus non operuisset, quia derisisset, accitisque fratribus deridendam exhibuisset.

Videntur & illud idem violare præceptum, qui beneficiorum immemores sunt, ingratoque feruntur in eos, qui promeruerunt, animo. Cum autem grave sit, & pudendum ingratitudinis hoc scelus, solliciteque fugiendum, observandum tres posse dari gratitudinis species, & gradus; primò quidem acceptum mente tenere beneficium, & meminisse; secundò gratias ore ipso, verboque ei agere, a quo beneficium accepimus; tertiò denique pro virili, si ferat locus, & tempus, remunerari, & retribuere, vicemque opere ipso rependere, eodem plane modo de contrario dicendum ingratitudinis vitio; primò quidem beneficium nec fateri, nec agnoscere, despicere, oblivisci; deinde dissimulare, reticere, nolleque debitas largienti referre gratias, & honorem: iniquius verò eò si deveniret, ut sibi beneficum ore maledico, conviciis, opprobriis, & contumeliis afficeret; Tertius demùm gradus est ingratitudinis, cum loci, temporisque ratio poscit, & vales, re ipsa, & opere nolle beneficio vicem rependere, beneficiumque, quod potes, & debes impendere; quid si eò perveniat, ut injuriam, & malum illi pro bono reddat.

CAPUT OCTAVUM.

De quinto præcepto Decalogi, *scilicet*: non occides.

Expeditis, quæ Deum spectant, & qui vicem illius apud nós gerunt, parentes, sive temporales, & vernaculos, sive spirituales, superest ut & optime cum proximo nos habeamus, nullumque ei damnum inferentes in aliquo, nullamque injuriam, atque molestiam. Quod autem nobis omnium maxima res sit vita temporalis, quæque carius à nobis habeatur: omnibus etiam, quæ proximo possumus inferre, documentum majus est, cui ei vitam eripimus, & interficimus; quare & primum, quod vetat nos Deus operari malum adversus proximum, est non occidere, dum dicit: *non occides*: Quod sane præceptum sic apud Matthæum cap. 5. exponit ipse Dominus, ut cum vetitum sit occidere, non de gladio tantum, & manu perimere prohibeatur, sed affectu etiam cordis, & desiderio; Qui enim optat, deliberateque constituit, animoque proponit alium interficere, quamvis eum gladio, manuque non perimat, nec consilium opere compleat, coram Deo, cui cor patet & voluntas, homicidii reus est. Idem enim est apud Dominum velle, & operari, adeòque non ille tantùm apud illum homicida, qui gladio cædit, & mactat, qui occidere jubet, consulit, suadet, innuit, approbat, cædisque proximam silet, aut dissimulat occasionem.

Observandum hic autem, & ad hoc homicidii scelus alia etiam revocari posse, deberique peccata, odium scilicet proximi, quæque possunt ejus inferri personæ damna alia, velut membro mutilare aliquo, percutere, fustibus, & virgis excipere, vel alapis, aut quovis alio modo personam ejus lædere; tandem & prædictorum omnium aliquod illi fieri peroptare. Debeot, & qui proximum odio prosequuntur inveterato meminisse verbi Joannis epist. 1. cap. 3. v. 5. *qui odit fratrem suum homicida est*.

Hoc ergo præ oculis habeant assidue mandatum, qui rixari solent cum aliis, quique natura sua sunt iracundi, in quavis data occasione, vel levissima litem intentant & jurgium, percutientes, & cædentes, quibus & sæpe contingit non corporaliter modò, sed spiritualiter etiam & æternum ut interficiant; nam & plerumque fit, ut quos interimunt lethali constringantur. Et quid iniquius, magisque diabolicum, quàm tui causa, & per te rationalem aliquam creaturam, & vita simul occumbere, & anima, ea scilicet in impœnitentia finali discedente? Præterea quid horrendum magis, odisse te fratrem tuum, & proximum? Vel hinc certe coniice, quod sicut sicarius, & homicida corpus interimit alterius, ita qui alterum odit, propriam ipse perimit animam, quæ & tandiù mortua jacet, quantum & ejus perseverat odium; at licet homicida vanam aliquando capiat, & acerbam ulciscendi titillatiunculam, infelix ille tamen, & nequam, odium qui corde tractat, uni sibi gravis est, amaroque semper animo, fastidio tabefactus, venenoque proprio fatur intus infestante, mordenteque conscientia, & assidue cruciante, præter aliorum, quod ille patitur, præbetque scandalum. Quin etiam plerumque fit, ut dum ipse mœrore conficitur, odioque tabescit interius, ipsi, quos odit miser, quibus & male precatur, læti, tranquillique vivant, ac impavidi, dormiantque suaviter. Quare nemo vestrum, charissimi, tortor sibi sit, nemo sibi noxius sit, & seipsum torqueat odii, livorisque in fratrem aculeis, quando nec iis aliud agat, & proficiat, nisi ut quos æternum hæreditabit olim, cumque maneat a morte, vel in hac vita prægustet, experiaturque cruciatus inferoi. Petite a Domino, & satagite, cor vestrum ut ille repleat amoris sui dulcedine, & proximi, quo certe si donati fueritis, & erga Deum devoti, & recti, suaves erga proximum, & accepti eritis, sicque conscientiæ suavitate tranquille, suaviterque viventes ad æternas patriæ dabitur & vobis transire delicias.

CAPUT NONUM.

De sexto præcepto Decalogi, quo dicitur: non adulterabis, non fornicaberis.

PRohibito nuper homicidio mox vetatur, & adulterium: nimirùm quia post vitam homini nihil acceptius, & charius, quàm uxor propria, et legitima, adeoque vitam ejus si non attingas, gravius illi nihil accidere potest, et acerbius, quàm si uxorem tangas: idcircò Dominus mox ut præcipit dicens: *non occides*, subjungit statim: *non adulterabis*, quo etiam intelligitur verbo prohibita quævis cum qualicumque femina fornicatio, vel copula; hæc enim omnis, quæ mariti cum uxore non fuerit, etsi soluti cum soluta scelesta est, et mortifera: quod certe præceptum sic exponit ipse Dominus Matthæi 5. v. 28., ut non ipso tantum actu, tactuque corporeo violetur, sed ipsa etiam citra corporis exercitium, et opus interiori voluntate, et concupiscentia, quod sic ille habet: *ego autem dico vobis, quia omnis*

omnis, qui viderit mulierem non suam ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo: jam, inquit, fornicationem implevit, aut adulterium, reusque est eorum in oculis Domini, nimirùm, uti jam diximus, apud quem humana voluntas, atque propositum facti vicem implet, et subit.

Super omnia autem alia vitium illud, & scelus, totaque industria cavere maximè debet Christianus omnis salutis suæ quisquis sit ille cupidus, tum ob immensam, quam infert animæ cladem, tum quod aliorum sit fons, & origo vitiorum. David olim Rex adeo pius, sic facilis, & benignus, semel in illud peccatum lapsus sit, alter evasit, & insanivit, ut jam ipse non videretur qui prius erat mitissimus crudelis evasit, ut etiam iniquissimi mox author homicidii. Salomonem ejus filium ad idololatriæ scelus, amentiamque plurimam adduxit, qui prius habebatur hominum sapientissimus, Deoque prædilectus. Nullo turpius excæcatur anima, vel emollitur hoc peccato: omnem prorsus extinguit in ea contemplationis lucem spiritualisque consolationis dulcedinem. Quare ex Gregorio magno luxuriæ progenies est cæcitas animæ; solemnibusque Paulus admonet nos, incutitque formidinem verbis bis epist. 1. ad Corinth. 6. *fugite fornicationem, an nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi, & templum Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo & non estis vestri; empti enim estis pretio magno* ex pretioso sanguine Christi Jesu, qui in vobis habitat & corpore, &, spiritu, *tollens ergo membra Christi* quomodo *facias membra meretricis*; *an nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum illa:* scriptum est enim Genes. 2. *erunt duo in carne una* qui carnaliter uniuntur, sic & qui Deo jungitur unus & cum illo fit spiritu. Quare fornicationis peccatum omnino fugite, quamvis enim omnibus etiam inquinetur aliis anima peccatis, hoc non una conspurcatur anima peccato, sed corpus ipsum inficitur; atque adeo, charissimi, macti estote animo & ad immanem, & fædam hanc a vobis, & toto abigendam, profligandamque orbe belluam, a qua tanta oritur strages, tantum & lethale vobis imminet exitium, accingamus ad comprimendum extinguendumque sulphureum hoc, fœtensque incendium; quo sic & terra voratu universa, animæque simul & corpora. Caveamus nobis ab ejus occasionibus, & incentivis, quibus ignescit, & erupit; hoc est ab obscenis, impurisque tactibus, & turpiloquio, cantionibus inhonestis, lascivisque cantibus, & quibusvis aliis occasionibus; ab omni voluntario, & meditato mulierum intuitu vel improviso: scriptum est enim quoniam a specie mulieris multi sunt perituri: & Jeremiæ 9. dicitur quia *ascendit mors per fenestras nostras* in animas. Sapiens vero a consortio mulierum, & familiaritate fugere nos cupiens, a quibus tanti nobis est periculi, Proverbiorum cap. 6. v. 27. *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo?* Et non ardebit? Otiositas præterea fugienda est, nimiusque cibus, & potus, & crapula: scribit enim Ezechiel Propheta cap. 16. v. 49. *quod iniquitas Sodomæ fuit superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius*, unde luxuria nata est, ita ut cum aliis igne de cœlo deleverit eam Deus; Ut autem eo, quo viri cœcutiunt errore solvantur, qui gravius longe conjugatæ putant mulieris, quam uxorati conjugis adulterium, audiant Augustinum tom. 6. de conjugiis adulterinis ad Pollentium lib. 2. cap. 8. dicentem; *sed nos viri sumus* (inquiunt) *quasi non propterea magis debeant illicitas concipiscentias ideo frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant a libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant lascivienti carni servire quia viri sunt; & tamen indignantur, si* au-

audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt caput mulieris, viri ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Graviter enim quamvis uterque peccet adulterio, gravius tamen delinquit vir hac de causa, quia videlicet & viribus, & prudentia præstat, quibus tentationum obsistat assaltibus, tum quod & ipse mulierem bono tenetur exemplo provocare. Verum & præter hæc omnia deterrere nos ab hoc vitio maxime debet, quod omnium illud altius animæ hæret, ceterisque difficillime curatur, & emendatur, ex quo se quisque vinci passus est; denique nec feverius a Deo plecti visum illud isto, hoc ut maxime vindicaretur, gemino mundus absorptus olim est diluvio per aquam quidem uno, quo orbis stagnavit, & deletus est universus; altero vero per ignem, quo civitates absortæ, voratæque sunt quinque. Ob hoc quippe scelus tria supra viginti hominum millia Judæorum internecioni dedit in deserto Dominus, uti numerorum cap. 25. dicitur, ac innumeros alios, quos hic referre prolixum, & tædiosum.

CAPUT DECIMUM.

In septimum Decalogi præceptum scilicet: non furaberis.

HOc septimo prohibet nos Deus mandato proximum injuria ne afficiamus, & lædamus in rebus scilicet, & substantia sua, hanc illi vel omnino subripiendo, vel imminuendo, sive furto, & rapina, sive usuris, emptionibus iniquis, aut venditionibus, conventionibusque fraudulentis, & contractibus, quibus damni aliquid, & gravaminis alienis accedat.

Hic nihil attinet, hujus augere peccati gravitatem omnium certè omnibus compertissimi. Una cunctis sufficiat deterrendis hominibus, & alienandis a tanti perpetratione sceleris memoria restituendi necessitatis indispensabilis, obligationisque perpetuæ, qua constricti tenentur illatum resarcire proximo damnum; ac ubi dum illis vacat, non resarciant, & restituant, nullum eis amodo superesse remedium, salutisque spem habere, quamvis & supra Magdalenam in fletus, & suspiria solvantur, austeriorisque pœnitentiæ rigores impleant, nunquam enim a Deo dimittitur peccatum, nisi proximo restituatur ablatum.

Verùm advertendum hic vero Christiano non satis esse, ut non subripiat alienum, debet ulterius erogare libenter aliis, partirique quod habet & suum; atque, ut Christus loquitur Luc. cap. 16. v. 9. *Amicos sibi facere de mammona iniquitatis*. Suis eum qui juvent orationibus, & meritis, ac inducant, *recipiantve in æterna tabernacula*. Quibus verbis sedula nobis eleemosynæ, misericordiæque operum praxis, usufque frequens commendatur, cum & de iis in judicii supremi die strictior nobis apud Deum sit reddenda ratio; singulariterque sit inquirendum an, & quomodo nos hic ea opere compleverimus. Atque, uti loquitur Dominus Matthæi cap. 25. v. 34. *iis, qui à dextris ejus erunt*, & opus misericordiæ perfecerunt, *dicet: venite benedicti Patris mei possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me: amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: eos verò qui ista implere ne-

neglexerint opera, mittet in ignem æternum nefando illo, horrendoque ut æternum addicantur inferorum imperio. Quare tenemur omnes, quantum cuique datum, ac licet, hæc omninò implere opera: maxime vero quibus præter ea, quæ ad vitam omninò necessaria sunt, statum ve congrue sustinendum, vel quid aliud verè necessarium aliquid superest census: tenentur enim hi sub mortali totum id, quod superest erogare pauperibus, piisve destinare, collocareque operibus. Præterea tenetur omnes quamtumvis etiam pauperes extrema laborantibus occurrere necessitate, sive sit illa alimenti, sive nuditatis, sive medicamenti, sive & hospitii, vel alterius cujusvis ejusmodi: itaut iis illi destituti subsidiis omninò pereant, aut in certum mortis periculum, gravemque incurrant infirmitatem, quibus tunc nullus non tenetur occurrere, quantum in se est, iis tamen exceptis, qui eadem urgentur, & necessitate, vel periculo, iisdemque ipsi opus habeant auxiliis, nec tunc vere habent quantum simul, & sibi sufficiat, & aliis: atque hæc ipsa, quæ tenemur omnes, tàm stricti juris est, & naturalis obligatio, ut in ea commendanda, urgendaque prope continua sit Scripturæ Sacræ doctrina; sed hic ne prolixiores videamur, sufficiat præclara illa Joannis 1. cap.3. v.17. verba referre: *filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?*

Præter hæc autem opera, quæ misericordiæ nuncupamus corporalis, septem & alia supersunt etiam dicta spiritualis, scilicet primò monere, sive corripere delinquentem, blande utique, prudenterque, quo resipiscat. Secundo rudes, ignarosque docere. Tertio indigentem juvare consilio. Quarto Deum exorare pro salute proximi. Quinto solari mœrentes, & afflictos. Sexto injurias patienter sustinere. Septimo denique acceptas pro Deo dimittere, donareque libenter injurias, quæ utique omnes egregiè a Sacra Scriptura commendantur, & injunguntur; nunc in id verba Pauli sufficiant ad Ephesios cap.4 v.2., & 32. & ad Coloss. cap.3. v.12. Ad Galatas 6. v.1., & 2. Thessalon. cap.5. v.14.: *Fratres alter alterius onera portate, supportantes invicem in charitate; Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis:* corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes; tandem in his omnibus misericordiæ, qui corporalis, qui & spiritualis operibus exercitari debet in præsenti seculo quisquis apud Deum optat, & expectat invenire misericordiam in futuro; dictum enim a Domino: *beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.*

CAPUT UNDECIMUM.

In octavum Decalogi præceptum: contra proximum tuum falsum non dicas testimonium.

Hoc etsi videatur unum contra proximum probiberi falsum in judicio, vel extra illud testimonium, omnes nihilominus, quæ contra illum offendimus verbo, contumelias, injurias, ac cetera, quibus ille lingua lædatur a nobis, eodem & præcepto vetari certissimum, quod quinque scilicet contingit fieri modis; nimirùm primò cum bonam proximi famam eo absente falso pessundamus apud alios, minuimus que, & inficimus testimonio, sive vitium aliquod ejus occultum revelamus; duplici namque hoc modo proximus à nobis infamari contingit. Secun-

cundò cum improperia, convitiosaque verba coram, & in faciem proximi conjicimus, & eructamus, quod certè murmuratione non levius est, sed atrocius ob manifestum, quem sic proferimus ejus contemptum, nihili ducentes vel coram probris eum afficere. Tertio cum absenti, præsentive malè precamur, dicimusque proximo, verbi gratia sic illi imprecando, malè pereat; indirectum abeat, & malam crucem; hoc, vel istud eum occupet malum, & infortunium: quod grave certè peccatum, dum lingua non prævertat mentem, quodque ore promimus, & corde premamus, optemusque tunc illi malum, quod imprecamur ore: nec excusatur is a peccato, qui sic imprecatur, quod ex ira loquutus, qua compressa, vel extincta, sic, ut imprecatus illi contigisse doleret, ac dolet. Quartò lingua damnum inferimus proximo susurrationibus, falsisve delationibus, fraternamque iis amicorum solventes charitatem, inimicitias, & jurgia seminantes inter unanimes, & schismata. Quod certè peccatum quàm grave sit, & horrendum in oculis Dei satis ex eo coniicere est, quod contra præceptum charitatis in proximum a Deo latum manifestè pugnat, pacemque, & concordiam Deo sic amicam, & commendatam apertè convellat: unde & Salomon Proverb.6. v.17. & 20. super alia, sex quæ Deus odit vitia, *septimum quod detestatur anima ejus* adjicit hoc peccatum *ejus, qui seminat inter fratres discordias*, & amicos. Quinto denique, ac ultimo proximum lingua lædimus, dicteriis eum lacessentes, salibusque illudentes ei, pudoreque suffundentes eum procacibus verbis, & morsibus impetentes, quibus tantò gravior infertur injuria, quantò & despectus major est, cujus verecundia, confusioneque delectamur, nec moneamur, palàm sic omnibus facientes eo nos, quem sic mordemus, & confundimus, non habere loco, ejus ut honor & pudor attendi mereatur.

Has omnes in proximum oris injurias acriter perstringit, & vetat Scriptura Sacra, ac primò quidem proximo detrahentes serpentes in silentio mordentes appellat Sapiens Eccl.cap.10. v.11. *si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit*. Paulus verò ad Galatas 5. v.15. de iisdem loquens, ita habet: *quod si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini:* nec qui proximo detrahit unus, ejusque famam arrodit ille tantùm reus, insuper & qui detrahentem auscultatur; Ideòque Bernardus dixit: ambiguum uter graviùs peccet, an qui fratris famam arrodit, an qui virus id evomentem intelligit, & non arguit, molestum id esse sibi non testatur. Quarè rectè nos admonet Sapiens, cum dicit Eccl. cap.28. v.28. *sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras*: hoc est, cum audieris detrahentem, quæ audivisti, comprime, nec effundas apud alios. De susurronibus autem ibidem ità loquitur Sapiens v.14. *susurro, & bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes*. Et in illud idem peccat mandatum, qui contra conscientiam suam, & in proximi perniciem falsum dejerat: in eum namque dicitur Sapient. cap.1. v.12. *os quod mentitur occidit animam suam*. David verò ait psalmo 5. v.7. *perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Quare, charissimi, sic nos habeamus ad proximum, ut lingua nostra sit verè lingua, non novacula acuta, stilus, & sica, sint que verba nostra merè verba, non sagittæ, & cruenta vulnera: non ut percutias fratrem tuum, & cædas, tibi concessa est lingua a Domino, sed ut ejus lingendo vulnera cures, ut medearis piis, utilibusque consiliis, sanctisque monitionibus, hortationibus, amicis reprehensionibus, blandisque consolationibus tuis; demum ut illud erga eum impleas, quod Eccl.6. v.16. dicitur: *amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis*. Linguam autem iniquam

quam aptè Jacobus æquat cap. 3. v. 6. igni, qui magnam incendit sylvam, parem enim infert illa cladem ubicumque illa furit, qualem ignis in sylvis quas comburit.

CAPUT DUODECIMUM.

De nono, & decimo Decalogi præceptis scilicet: non concupisces uxorem proximi tui, nec omnia, quæ illius sunt.

Hujus scopus, & finis mandati præcipue est, ut mundum sit semper cor nostrum, & a labe purum; ut enim recte David psalmo 18. v. 8.: *lex Domini immaculata convertens animas;* adeoque non satis illi est, ut ab apertis ipsius operis, & linguæ culpis eximat & maculis, easque prohibeat, insuper & quæ imo conduntur, & delitescunt corde inordinata videlicet concupiscentiæ desideria conatur evellere; quare unum hoc a nobis exigit maxime Deus, cor mundum ut habeamus, ideo & Proverbiorum 23. v. 9. ait: *fili præbe mihi cor tuum:* & Matthæi cap. 5. v. 8.: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Linceis quippe Domini perspicacissimisque oculis, ceu facta numerantur, quæ vere concupita sunt: quod enim agere aliquando constituisti, ac si ipso rem complevisses opere Dominus habet, ac reputat.

Verum hic advertendum, duobus hisce præceptis attingi nihil ipsos concupiscentiæ, pravorumque desideriorum impetus, ac primos motus, quæ nec nostri sunt juris, & arbitrii, quando scilicet caro concupiscit adversus spiritum, nec assentimur ei, sed violentiam obsistendo patimur, liberarique iis efficaciter, & continuo satagimus; ut enim habet Apostolus ad Romanos 8. v. 7: *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, & vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ,* & carnis suæ desideria patiuntur nec perficiunt, sed reiiciunt. Similiter & idem Apostolus ibidem cap. 6. 12. ait: *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus:* hoc est non dominentur vobis, & prævaleant affectus pravi: quod aliis exprimit Sapiens verbis Eccl. cap. 18. v. 3. *post concupiscentias tuas ne eas,* sed comprime illas, nec subsis eis.

Itaque duobus hisce mandatis aliud a nobis haud exigit Dominus, nisi ut pravis hujus carnis non assentiamur desideris, quia, ut habet Augustinus, illud pius non castigat in nobis Dominus, quod ineluctabiliter vitare non possumus. Demum & notandum, quod etsi posteriora duo præcepta hæc sexto, septimoque superius jam expositis complexa videantur, uti revera eadem complectuntur, quia dum adulterium ille prohibet, haud dubio & alterius uxorem concupiscere vetat; & cum idem non furari jubet, perinde nos & rem velle alienam arcet: nihilominus cum rudis adeo, & omninò terrenus Judæorum esset populus, cui primùm exhibitæ Decalogi tabulæ, ut nec intimum penetrare posset priorum sensum mandatorum, hisque operis ipsius prohibitionibus exterioris interioris etiam actus, & desiderii simul; & prohiberi delicta, ideo specialiter addidit & hæc posteriora præcepta duo, ne mulierem concupiscerent, & rem alienam. Quamvis autem, & longè plura sint his hominis prava desideria, uti velle quemquam occidere, infamare, falsum asserere, pejerare; quod tamen homo facile feratur, & proclivis sit ad concupiscendum uxorem, aut substantiam, remque alienam, quam ad alia quævis concupiscenda, ideo duo hæc tantùm singillatim, specialique gemino pro-

hi-

hibita fuere præcepto. Ceteri vero pravi quicumque hominis affectus, & mala desideria, iisdem & prohibita censenda sunt mandatis, quibus & operis, & linguæ peccata vetantur.

Quare, charissimi, non nobis sufficiat mundas habere manus, & linguas à labe puras, & sanctas; sed conemur insuper, & contendamus & mundum obtinere cor & sanctum. Sunt enim hi, qui corde puro nitent, *sicut tabernacula cedar* Cantic. 1. v. 5., assimilanturque *domibus eburneis*, quarum meminit Propheta David psalmo 44. v. 9. in quibus delectatur habitare Deus hîc per gratiam, & in cœlo demùm per gloriam. *Amen.*

Finis Tractatus Tertii.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS

De septem Vitiis Capitibus, eorumque filiabus, ac remediis contra ea.

PRÆFATIO.

CUM jam de legis divinæ mandatis superiori tractatu egerimus convenienter hîc subinde nobis tractandum videtur de peccatis septem præcipuis, atque, ut vocant, capitibus, deque nefandâ, quæ ab illis originem trahit, sobole & progenie, de remediis, quibus ea vitemus, aut expugnemus breviter agentes. His quippe capitibus peccatis divina mandata violantur, & ab illis oritur, quod Dei præcepta prætergrediamur.

Ac primum quidem observandum nobis est, superbiam uti Gregorius Magnus, Aquinasque docent inter capita septem haud recte computari debere vitia, quæ vere fons omnium, & origo est, parensque, ac regina vitiorum, a qua & illa septem capita suam ducunt originem, itaut superbia, quæ nimius, & inordinatus est excellentiæ propriæ affectus, & appetitus septem hæc alia trahat vitia principaliora, ac septicipis hujus hydræ capita serpentisque venenosæ, cujus veneno mundus inficitur prope universus, ceu pestiferam generet sobolem, & ab ea nascantur ceu filiæ omnes videlicet 1. *Vanagloria*; 2. *Invidia*, 3. *Avaritia*, 4. *Luxuria*, 5. *Gula*, 6. *Ira*, 7. *Pigritia*, sive tepiditas, atque torpedo spiritualis. Sunt enim hæc capita septem, scaturigines a quibus cætera omnia manant, & sobolescunt vitia; ab illis septem, tanquam a radice propria fructus illi prodeunt omnes, oriunturque pestiferi vitiorum, malorum, spiritualiumque omnium infirmitatum, corruptionum, ac scandalorum, quibus humani generis coinquinatur, & laborat universa propago, de quibus septem singulis hic pauca breviter, & succincte delibabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Vanæ gloria vitio, primo septicipis hydræ capite:

PRimum ergo vitiorum caput est *Vana gloria*, quæ in eo maxime versatur, ut homo laudari appetat, & magni fieri, nomenque sibi facere cupiat, & satagat apud homines a vanis, illicitisque rebus, a quibus nulla debetur illi gloria. Qui vero famam sibi parat, & optat a veris, sanctisque rebus, velut a litteris, eruditione, pietate, & vitæ sanctimonia, vanam sectatur & ipse gloriam, quam non apud Deum optare debet a quo æstimari, laudarique, & magni fieri vere possumus, & debemus: quod nobis optare non licet ab homine, nec enim ille sincerus, & legitimus in eo testis, aut judex admittendus; quod plerumque apud homines etiam indignissimi, contemptibilioresque magnum obtinent, usurpantque sibi

ſibi nomen ac claritatem, obſcurique ſunt apud illos, & viles optime quique, meriti, ac æterna laude digniſſimi.

Porrò vana illa, inaniſque gloria, quamvis genuina ſuperbiæ filia ſeptem aliarum ejus, ut Gregorius ait, nihilominus ipſa parens eſt filiarum, & vitiorum, inobedientiæ ſcilicet, & rebellionis, jactantiæ, hypocriſis, audaciæ, ſive proterviæ, pertinacitatis, diſcordiæ, præſumptioniſque novitatum ſtudioſæ.

Ad hoc porro ſuperandum, curandumque vitium, optimum primò videtur amuletum, & utile pharmacum vilitatis propriæ, & infirmitatis attenta conſideratione culparum, & reatuum innumeram prope multitudinem attendere, pœnarum denique, & defectuum, quibus, & corpore, & anima ſumus obnoxii, copioſiſſimam ſegetem. Unde ſi quid in nobis boni videatur, nihil nobis gloriandum, quia nec illud noſtrum, ſed Dei donum eſt: plerumque ſic abutimur, illud ut inſita nobis gravitate corrumpamus, & inquinemus ipſum orationis, eleemoſynæ, piumve quodvis aliud exercitationum, quod in nobis operetur opus omnipotens, ac per nos innumeris, milleque modis vitiantes, & contaminantes. Nec minus conferre poteſt ad inanis gloriæ fugam, ſupremam ſi Chriſti Jeſu Salvatoris, Sanctorumque plurimam humilitatem animo revolvamus, ut illi contemptibiles fuere mundo, ut illi gaudebant contumeliis affecti, opprobriis ſaturati, mundum, & ſeipſos nihili facientes; demùm & ſi ſerio cogitemus humanam omnem gloriam, fumo, quod evaneſcit illico, eſſe vere ſimilem, a qua nobis tantum, & perpetua confuſio manet.

CAPUT SECUNDUM.

De Invidia ſecundo capite vitio.

Alterum eſt capitale vitium invidia, quæ nihil eſt aliud, quàm mœror quidam, & dolor quem habet homo de fratris ſui, & proximi proſperitate, & commodo, quibus ſcilicet, & propriam imminui ſibi falso ſuadet, & imaginatur excellentiam, & dignitatem; conſtat enim omnino ſtolidam eſſe, & ſtultam hujuſmodi triſtitiam, cum & ipſum doleat homo, quod gaudere præſtitiſſet.

Ex invidia vere (inquit Gregorius) quinque peſtilentiſſimæ naſcuntur filiæ 1. Odium videlicet in proximum flagrans. 2. Delectatio in adverſis ejus, & in proſperis ejus afflictio. 3. Murmuratio. 4. Infamatio contra proximum, ac 5. Suſurratio.

Huic abigendo, debellandoque vitio haud dubie ſufficeret intueri pallidam invidi ſpeciem. Eſt enim illi vermis invidia ipſa depaſcens viſcera, cor arrodens, & crucians, ut vere in ſeipſum tortorem agat invidus, & ſeipſum eo contorquens, & interimens, quò vel ipſe, cui invidet, ſi noſſet, ſubſannaret eum, irrideret, ac lætaretur. Debet & meminiſſe qui vitare cupit invidiæ morſus, ejus quod habetur Sapientiæ 2.cap.v.24. *invidia Diaboli*, quâ ſcilicet humani generis invidit ille ſaluti, primum occupavit, tentavitque hominem, ac per eum *mors introivit in orbem terrarum*.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De tertio capite vitio, quod est Avaritia.

Vitiorum caput tertium est avaritia, quæ scilicet inordinatus est, & inexplebilis corrogandæ, & coacervandæque pecuniæ, & divitiarum appetitus, cui contraponitur effusio, facilitas, liberalitas. Ideoqne Paulus loquitur 1. ad Timotheum cap.6. v.9 *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

Ab hac autem septem procreantur filiæ neqnam, nempe cordis obscnratio contra pietatem, & misericordiam, delusio, fallacia, proditio, pejeratio, violentia, spiritusque turbatio, & irreqnies, quæ una minor, & postrema avaritiæ soboles. Avaris omninò sufficeret, si saperent, ut & matrem ipsam a se longius ejicerent, & mandarent, quando vel ipsa compertum eis experientia quantis assidue premantnr, & obruantur angustiis, interturbationibus, molestiis, amaritudinibus, & nauseis, qui cumnlandis opibus, & thesaurizando laborant, qui demùm & mœrore confecti tabescentes intereunt, dimissisque omnibus, atque in alienos, aut ingratos etiam abeuntibns, quæ tantis coacervaverant anxietatibus, divitiis suis deducuntur in infernum misere.

CAPUT QUARTUM.

De Luxuria vitiorum capitalium quarto.

Quartum càpitale vitium est obscæna, pndendaque luxuria, de qua cum jam suprà tractat.2., cum de sexto Decalogi præcepto pluribus egerimus, hic nobis plures, & præpudiosas, quæ ab illa oriuntur, sufficiat enumerare filias, quæ octo sunt numero, scilicet 1. Obcæcatio mentis, quæ circà spiritualia caligat; 2. Eorum, quæ ad salutem conferunt oblivio, & inconsideratio; 3. Præceps ad voluptates, & delectabilia propensio, vel impetus, quo quid agat nihil attendit; 4. In caste vivendi proposito levitas, & inconstantia. 5. Cæcus sui amor, & carnalis; 6. Nimins, terrennsque erga secnlum hoc affectus; 7. Futuri seculi, vitæque perennis futuræ despectus, & fastidinm; 8. Demùm & odium Dei, quod omnium est peccatorum horrendum, & maximum. Ad hocce vero tam Diabolicum odium Dei luxuriosus addncitur, & devolvitur ex eo, quod carnis illecebras, quibus tantùm afficitur, inhibnit, & vetavit. Præterea demùm, quæ suprà, cum de sexto egimus Decalogi mandato, contra illud attulimus peccatum pharmacum, & remedia, valet egregie studium orationis, & devotionis, quo ros ille cœlestis obtinetur a Domino cæcos hos æstuantes in nobis libidinis extinguens, ac compescens ignes: præsertim ubi cauti ambulemus, & solliciti primos quosque tentationis, ac diabolicæ suggestionis impulsus infringere, & superare ab hujusmodi mox revocantes animum, & ad pium aliquid utile meditandum avocantes, & colligentes, aut ad Christi servatoris & passionem, & mortem, ad quæ tuam ipsius meditandam, quam forte pancos ante dies, aut horas sis obiturus, ut marcescat tunc in sepulchro tua, & ipsius quam deperis, formosa mulieris caro; ut computrescet illa, ut immutabitur species vultus ejus, & elegantia *si pulchritu-*

do aspectus animam tuam impetit: vade ad monumenta, & thecas tuorum parentum, & vide quomodo sunt positi, & in pulverem, ac terram resoluti, & magnam ex eo capies occasionem ut te ipsum reprimas. Chrysostomus. Demum ad æternos, & immensos, quibus sic obnoxius esses, inferni cruciatus, ad perpetuas, & eximias paradisi delicias, quarum & jacturam facis hujus tàm vilis, & umbratilis amore illecebræ; Quod si tuam causaveris imbecillitatem, & infirmitatem, memineris, te nec nudum esse, nec inermem; His, quæ dedit, contulitque Deus utere; *Induite vos ergo armaturam Dei* (hæc enim ille tibi paravit) *loricam justitiæ, scutum fidei, spei sagum & gladium spiritus, quod est verbum Dei* inquit Paulus ad Ephesios 6. v.7., & 15. super hæc & trophæa tibi misit in manus crucem suam Dominus (inquit Chrysostomus in psalmo 126.) ut quid illa concidit e manu tua? Quid hæc non arma tractas? Quid hæc in terram projicis, ubi tempus advenit certaminis? Quid arma projicis, cum in arenam descendis? Habes enim innumerabilia victoriæ adminicula. *Carnem tibi fecit morigeram: arma tibi donavit, thoracem justitiæ, cingulum veritatis, galeam salutis, clypeum fidei, gladium spiritus, arrbam dedit, corpore suo te nutrit, sanguinem suum tibi bibendum porrigit, crucem tibi tamquam lanceam in manus tradidit, lanceam, quæ nunquam flectitur: illum alligavit, humi projecit. Non habes itaque, quo te deinceps defendas, ne vincaris &c.* Chrysostomus in Psal.123. sub finem.

CAPUT QUINTUM.

De Gulâ quinto capite vitio.

Quintum vitiorum caput est Gula, quæ nimius est, & ordinatus bibendi, comedendique voluptatis appetitus; Quod certe peccatum haud leve tibi videri debet, quando tantam mundo labem, & stragem intulit universo, una, quod gustavit Adam, nolente Deo, pomi comestio. Quippe nos admonet Christus apud Lucam cap.21. v. 34. eo ne inquinemur: *attendite (* inquit *) vobis, ne forte graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate.* Isaias autem cap. 5. v. 22. sic invehitur*: væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*; sed ingurgitationis fugiendæ spurcitati sufficiat a gulæ sordibus & ingluvie generari luxuriam, & filias præterea quinque nihil matre meliores: scilicet. 1. Ingenii tarditatem, & hebetudinem, qua circa spiritualia nihil homo sapiat; 2. Obscænitates, fœdasque plurimas, & corporis, & animæ spurcitias; 3. garrulitatem, ac loquacitatem. 4. Scurrilitatem; Ac 5. demùm inanes lætitias, & otiosa diverticula, vel pœnitenda.

Huic vitando, compescendoque vitio non parùm conducet attendere, quàm brevis, & modica gulæ voluptas, quæ vix duorum spatio digitorum, qua forte cibus, potusve homini per angusta faucium in ventrem dilabitur metiri debeat; Quamque triste sit, & miserum adeò levi gutturis titillatiuncula tantos mercari plerumque cruciatus, & infirmitates, quibus ut plurimum helluonum, ganeonumque corpus atteritur, & animus etiam enervatur, ac fædari omnino necesse est.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Ira, quæ sextum est vitium capitale.

SExtum caput vitiorum ira vocatur, quæ vindictæ prurigo est, in ordinatusque appetitus, quo mansuersus homo missis æquitatis, rationisque legibus in alium furit: qui enim in inferioris, & subditi culpam irascitur Judex aut Dominus, si ad juris metas, & rationis ulciscatur, & corripiat inferioris, & proximi vitium haud iræ peccato vere peccaverit. Iracundis autem sic Christo comminatum Matthæi cap. 5. v. 22. *omnis qui irascitur fratri suo reus erit Judicio*, adeoque & supplicio. Ab ira vero (ut ait Gregorius) quinque procreantur ejus filiæ nimirum 1. indignatio, 2. tumor, 3. probra, atque convicia, boatus, atque clamores inconditi, 4. jurgia, & contentiones, 5. demum atrocia contra Deum, & blasphema verba.

Huic extinguendo, comprimendoque vitio proderit iracundo mente revolvere, quantum sibi noceat ipsi, damnique accipiat ab ira, & furore quo corripitur, non una sui conscientia, sed corporis, & animi tranquillitas, habitudoque, & dignitas ipsa, atque bonâ sui fama. Turbatur etenim interius ipse, longiusque a se Spiritum Sanctum abigit fugatque, nemini denique contuentium non gravis est, & scandalo. Quare mox ad iram te commoveri ut adverteris, cave ne accendatur, & erumpat: sed antequam ignescat in ipsis ejus exordiis te ipsum attendas, melioraque tecum consilia tractes & saniora. Atsi forte flammam intus accensam omnino comprimere nequis & extinguere, ne saltem excites, aut nutrias illam: non manum illi, non linguam admoveas, & præbeas, nec furere patiaris, ac erumpere foras; sed obmutesce, tacitusque cum Psalmista Regio psalmo 140. v. 3. Dominum rogando dicas: *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*.

CAPUT SEPTIMUM.

De septimo capitali vitio, ac ultimo quod Acedia nuncupatur.

SEptimum, ultimumque caput vitium Acedia dicitur, quæ tepiditas est, & nausea spiritualis animæ ad virtutis opus, & exercitationes, maxime ad ea quæ cultus divini sunt, ubi de Deo tractandum, aut cum Deo: quæ certe gravis est animæ morbus, & exitialis, cum friget, ac mæret illa ad spirituales exercitationes, velut ad orationem, ad meditationem, ad piam utilemque lectionem & sanctam, ad audiendam, celebrandamve missam, ad peragendam exomologesim, & synaxim, ad verbum Dei audiendum. Quam lethalis porrò venenosusque sit ille mæror & tristitia, facile colligitur ex contraria illi spirituali, beatæque animæ lætitia & tranquillitate in Spiritu Sancto, quæ germen est, & fructus charitatis, qua perfusi olim Sancti leve putarunt, & facile quodvis etiam arduum audere pro Deo, & pati: ideoque Paulus hortatur ut hanc toto animo conemur consequi, retinereque lætitiam dicens Philip. 4. v. 4. *gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete &c.* de se sic aiebat ille 2. ad Corinthios cap. 7. v. 4. *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: adeo ut & iis, qui sunt in tribulatione consolari possim, & opitulari.

Quam

Quam lethale sit etiam hocce spiritualis animæ tristitiæ peccatum facile conjicitur ex his, quæ male sana parens pessima enixa est, & parturiit filias sex nempe I. Malitiam, quæ horror est, & odium rerum spiritualium II. Rancorem, qui est aversio, & contrarietas, quam habet piger in eos, qui secum de spiritualibus tractare volunt. III. Pusillanimitatem, qua pro salute sua, cultuque Dei nihil audeat, & agere velit. IV. Pigritiam, seu tepiditatem in implendis Dei præceptis. V. Varietatem, & inconstantiam, seu distractionem mentis, & affectuum, qua nusquam consistit, sed sollicitus est circa plurima, divagaturque continuo ad secularia, quibus delectetur, quod illi spiritualia nauseant. VI. Denique & ultimo, quæ est ceterarum scelestissima, salutis propriæ desperationem ubi quippe cœlestia semel etiam desipiant, & fastidiant, mox adipiscendorum etiam spes ab eo fugit, quod sibi comites sint spes firma, spiritualisque illa lætitia; ad quod alludit Paulus ad Rom. cap. 15. v. 13. dicens: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti*. Præstantissimum vero contra tam pestiferum acediæ, spiritualisque fastidii malum, amuletum est, ut ipsis spiritualibus excitare se studeat assidue, ac iis maxime, quorum sibi fastidium majus, & odium; Hoc est ut totis viribus incumbat, totusque sit orando, legendo, studendo piis utique libris, peccatis discutiendis, & confitendis, missis audiendis, horisque canonicis, Eucharistiæ sacramento frequenter, ac devote, suscipiendo: demum quo majori cujusvis exercitii spiritualis laborare se perspexerit fastidio, hocce idem frequentius exercitare contendat tam pestiferam omnino frigiditatem, & tepiditatem assidua, ac irremissa pugna debellans; ubi enim quod in se est, quò veternum hunc excutiat agere eum viderit Dominus, præsto ille utique aderit laboranti; nec eum in necessitate tanta deseret, gratiamque largietur illi & devotionem; ut recte Bonaventura, plus meretur qui contra tepiditatem hanc, & acediam luctari conatur, quam qui nullo labore, & certamine devotionis gratiam experitur.

Finis Tractatus Quarti.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS

De præceptis Ecclesiæ Matris Sanctæ.

CAPUT UNICUM.

Excussis suprà Divinæ legis mandatis, & quæ ipse nobis Ecclesia Matris ore tulit præcepta breviter hic commemorare convenientissimum est, sunt enim hæc, & scitu, & observantia dignissima.

PRimum igitur Ecclesiæ præceptum est Sabbati, sive Dominicæ, festorumque cultus, & sanctificatio, seu ut Dominicis, festisque de præcepto diebus integre, devoteque incruento Altaris, & Missæ Sacrificio teneamur adesse. Nec hic de eo nobis præterea pluribus agendum est, qui suprà jam satis, ubi de tertio Decalogi præcepto, quomodo debeat interesse missæ Christianus ut præceptum impleat, egimus.

Secundum verò præceptum est, ut semel in anno saltem péccata sua Sacerdoti confiteri teneatur.

Tertium ut ad Eucharistiæ sacramentum accedat, Christique corpus accipiat, & communicet ad Paschatis sanctissima, Resurrectionisque Dominicæ solemnia. Circa quæ duo posteriora mandata dicendum hic puto nihil, cum de iis infrà tractatu sequenti convenientiùs, ubi de confessionis, & Eucharistiæ agemus sacramentis.

Quartum præceptum est, ut in dictis ab Ecclesia diebus, nimirùm per integrum Quadragesimæ tempus, per quatuor tempora, & quasdam præcipuarum solemnitatum vigilias jejunemus, quæ sanè omnia prudentissime constituit afflata Spiritu Sancto Mater Ecclesia: ac primò quidem, quàm sacrum, & veneratione dignum Quadragesimæ tempus evidentissime constat exemplo Christi Salvatoris, qui diebus quadraginta jejunans, & noctibus illud idem sanctificare dignatus, & consecrare, quem certe dierum, & jejunii numerum olim in veteri testamento viri insignes, & Prophetæ sanctissimi Moyses, & Elias jejunantes etiam impleverunt, & observarunt. Secundo inde, ut Gregorius animadvertit, Quadragesimæ dies isti dierum anni totius decimæ sunt, quas Deo pendimus quibus cum eo tractemus specialiùs, & reconciliemur carnem affligentes, corpusque nostrum crucifigentes, & sacrificium laudis ejus offerentes divinæ majestati; quod utique convenientissime fit eo tempore, ut qui tunc sacratissimæ passionis ejus, & mortis Dominicæ mysteria tractaturi sumus, sacrique illius corporis, & sanguinis sacramenta suscepturi castigationibus, atque jejunils ad ea nos digne præparemus ejusdem Salvatoris exemplo, cui *sic priùs oportuit pati, & ità intrare in gloriam suam* quique resurrectionis suæ gaudia non accepit, nisi postquam amara passionis pocula de-

deglutivit, & nos prius etiam afflictationibus, & jejuniis maceremur, deinde cum eo postea resurgente gaudeamus.

Demum ut intelligamus, nullum nobis ad æternum illum, & verum pascha hic esse aditum, & transitum, nisi per angusta laboris, & tribulationis temporalis; vitæque præsentis spatium omne vere Christiano viro continuum esse Quadragesimæ tempus, quo angustiari illum oporteat, & laborare, nec nisi functo illi, supremaque tandem die, qua cœlestem induit vitam, & ad æternum illud pascha perveniet, aliud hic pascha putandum, & sperandum. Itaque, charissimi, sanctissimos hos devote, ferventerque præstolemur quadragesimalis jejunii dies. Est enim hoc tempus (ut advertit Leo Papa sanctus) efficacissimum ad profligandos hominis hostes, ad evertenda adversariorum castra, ad redimenda peccata, quia nimirùm omnes simul coeunt equitatus omnis, & exercitus Christiani copiæ ad arma, promptissimeque certare contendant, & vincere, ac pro nobis intercedant omnibus, & victoriam simul impetrent & veniam.

Nec minus sacra, minusque religiose constituta quatuor anni temporum observantia christiana, ut enim, idem ait Leo Papa, quatuor in partes optime dividitur annus, ac tempestates: hiemis scilicet, veris, æstatis & autumni, quarum qualibet tribus coalescit mensibus: harum ergo mense quolibet priori congrue, cujusque tempestatis primitias diebus tribus divinissimæ pendimus Trinitati, præteritique temporis emendamus errores, & vindicamus; Hiemali tempore, quod Decembris, Januarii, Februariique menses amplectitur, Decembrique ideo, quo priora tempora quatuor incidunt, tres & pendimus, jejunamusque dies; Veris vero tempus Martii, Aprilis, Maiique statis excurrit mensibus;adeoque Martio totidem diebus jejunantes, easdem Deo solemus offerre primitias. Tertia subinde tempestas anni est æstas, quæ Junio, Julioque decurrit, & Augusto mensibus, adeoque & Junio, quod caput illorum, est in hebdomade Pentecostes, quæ Junio mense cadere solet, idem exnluimus Deo primitiarum debitum. Demum autumnus posterior anni tempestas reliquis anni mensibus Septembris, Octobris, Novembrisque perficitur; adeoque Septembri quarta, sextaque feriis, & sabbato post diem Exaltationis sanctæ Crucis eo mense festum jejunantes idem illud tempus implemus omnes, Deoque primitias offerimus, consultoque, & merito præ cæteris hebdomades elegit Ecclesia non alios dies a feriis, quas diximus, quarta, & sexta, ac sabbati, quod iis maxime Christiano pœnitere conveniat, & speciatim; Ut enim Sanctorum Patrum authoritate fertur, die Mercurii, seu quarta hebdomadæ feriâ consilium collegisse Judæos ut Jesum apprehenderent, & occiderent, pactique sunt cum Juda Iscariote quomodo eum caperent, & constituerunt illi triginta argenteos. Feria sexta consilium istud impleverunt, Christumque Dominum crucifixerunt, & interemerunt, uti narratur in Evangelio. Sabbato vero jejunamus, quia sepulturæ traditus est ea die Dominus Jesus; quia perfidis fuit illa tripudii, lætitiæque dies: demum quod & hic vespera sit & vigilia Dominicæ, qua Christiani lætamur ob Dominicæ resurrectionis, quam ea die recolimus, celebramusque memoriam, atque adeo die illa sabbati jejunantes per labores, inedias temporales has, & corporis, & animæ beatitudinem æternam, & gloriam assequuturos fore nos sperare significamus, & protestamur. Quintum sanctissimæ matris Ecclesiæ præceptum est decimas solvere, atque primitias.

Finis Tractatus Quinti.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS

De quatuor hominis Novissimis.

CAPUT UNICUM.

Postquam ea, quæ nobis servanda sunt, præcepta recensuimus, opportune jam ut ea impleamus, exhortatione aliqua commonendi, commovendique videmur: verùm ne diffluamus hic verbo sufficiat hic breviter commemorare, mortaliumque oculis subjicere cuique novissima quatuor, quorum attenta meditatio conferat efficacissime nobis, & inducat ad Legis Divinæ observantiam, atque ab ejus contrariis avertat.

Sunt autem ista quatuor homini posteriora: Mors, Judicium, Infernus, & Paradisus, dicunturque posteriora, seu novissima hominis, quod ab iis illi nihil contingere possit: post mortem enim sequitur illicò severum illud judicium, ac per illud impletur, quod dictum olim à Domino. Joan.3. v.29. *& procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem judicii:* in supplicium, & ignem æternum: & ad mortem quidem ut parati simus semper, & accincti frequens est, & tota nos admonens, & provocans Scriptura Sacra dicens: estote parati, quia nescitis quando Dominus vester venturus sit; Sapiens vero Eccl. cap.14. v.17. ait: *ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum*, sive meritum. Dominus vero Christus Jesus Joann. cap 9. v.4. dicit: *venit nox, quando nemo potest operari*, & mereri, quæ totum illud est, quod post vitam hanc durat, quo nec quid boni facere, vel mali, mererique datur. Itaque qui laborat, & infirmatur optimum audiat Chrysostomi consilium psal.123. *quemadmodum (* inquit *) qui febre laborant postquam a morbo liberati fuerint puro aere indigent, ita etiam quos animi perturbationes ad insaniam adigunt, si admonumenta accesserint, tamquam qui in prædium saluberrimum pervenerint multas expellunt ægritudines.*

Est enim id efficax, & præsentissimum ad spirituales infirmitates remedium. Quis enim adeo superbus, & tumens, qui non resipiscat ad cœmeterii conspectum, fœtorem illius, & putredinem attendens eorum, qui in eo sepulti dormiunt, nec humilis jam in domum redeat certus brevi sibi etiam, quod in illis horreat eventurum? *Sufficit* (inquit Chrysostomus in psalmo 123.) *solus urnæ aspectus ad eum deprimendum, qui est valde insolens.* Quare rectè dictum à Hieronymo difficile peccaturum eum, qui quotidie moriendum sibi meminisset. Bernardus vero summam in eo philosophiæ voluit, mortem ut assidue meditemur.

De secundo vero novissimo hominis, sive supremo scilicet illo, tremendòque, quod a morte nobis instat universis judicio sic exclamans habet Apostolus 2. ad Corinthios 5. v.10. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Adeoque rectè monet Sapiens Ecclesiast. cap.18. v.13. *Ante Judicium para justitiam tibi*: hoc est proba te ipsum ante judicium, discute peccata tua, & plange,

 & in-

& invenies misericordiam apud Dominum, de quo Paulus etiam 1. ad Corinth.11. v.31. dicit, si nos ipsos dijudicaremus non utique judicaremur, dum judicamur autem a Domino corripimur. Isaias autem cap.30. v.27. tam severi judicis adventum verbis hisce portentosis exponit: *ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans ad perdendas gentes in nibilum. Ecce*, inquit Malachias Propheta cap.4. v.1. *Dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens. Dicit Dominus exercituum quod non derelinquet eis radium, & germen*. Nobis itaque peccatoribus optimum, sanumque consilium erit imitari Hieronymum, qui de se ita loquitur, & fatetur: *quoties ego comedebam, & bibebam, vel quodvis aliud agebam semper auribus meis insonabat, & clangebat vox illa, terribilisque buccina, quæ cunctos ciebat, & vocabat dicens: surgite mortui, venite ad Judicium*. Est quippe multum efficax hæc, & urgens cogitatio, quæ torporem excutiat, & evigilet nos, ut bonum operemur, nostramque frænet illa vecordiam, ac modum imponat, ut non peccemus. *Ab his* (inquit Chrysostomus in psalmo 123. circa medium) hoc est post mortis imaginem *deinceps transmitte tuam cogitationem ad futurum diem illum terribilem ad habendas de te quæstiones, & reddendas rationes, ad supplicia, quæ nullum omninò habent solatium, ubi nemo te defendet, & his omnibus, veluti quibusdam carminibus, seda tuas animi perturbationes*.

Novissimum hominis tertium est *infernus* tantis acerbus cruciatibus, ut fingi nihil possit sic atrocius, & intolerabilius: Ideo Scriptura Sacra variis nobis expressit acerbitatem figuris: aliquando dicit ibi fore (Matthæi 8. v.12.) fletum, stridoremque dentium; Alibi futurum ignem (Isaias 66. v.24., & Marc.9. v.43.) inextinguibilem, & conscientiæ vermem, qui non moritur; Nunc (Daniel.7. v.10.) igneo fluvio, rapidoque similem facit: modo (Apocal.20. v.9.) stagno ardenti ignis, & sulphuris, atque idcirco nos ipse monet Judex Lucæ cap.12. v.5. *ostendam vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ità dico vobis: hunc timete*. Verum (ut Chrysostomus ait epist. ad Philippen. cap.3.) cruciatus istos sensuum, ignisque gehennam longe superant spirituales, quas ex privatione visionis beatificæ, Angelorumque consortii patiuntur angustiæ. Has qui sincere recogitet, & expendat haud dubie tristius quid, & immensum acerbius, intolerabiliusque facile perspiciet æternùm ineffabili divinitatis arceri, & exulare consortio, atque præsentia, quam alios quoslibet, quantumque velis, acerbissimos & corpore, & anima, quibus addicuntur, inferno sustinere, patique dolores & cruciatus. Hæc ergo cum ità sint, quid etiamnùm ita desipis, ut peccare audeas, levique & momentanea delectatiuncula tantorum jacturam facere gaudiorum, æternosque hos mercari dolores? Demum, & spreto cœlestium inenarrabili consortio Angelorum cum horrendis perpetuo, quod eligis versari Dæmoniis! Qui tam horrendis trium hominis novissimorum non emendantur malis, quod minis frangi nesciant, propositis forte regni cœlorum, & paradisi, qui novissimorum est hominis quatuor ultimum inenarrabilibus, æternisque flectentur deliciis, quibus certe bonorum omnium, & optabilium, quin & longe quam & optari possit, & intelligi summa continetur: Etenim hic scire sufficiat, eam esse felicitatem a Deo paratam, & constitutam amicis suis, qua quantum illi licuit, eos cumulate & sapientia, veris, purisque saturentur oblectationibus. Væ tibi certe, si nec tantorum comminatione malorum, nec æternorum hac firma

pol-

pollicitatione bonorum, & gaudiorum adduceris, ut Deo tandem te dedas, & obsequaris. Quæ tandem ultra tibi spes fuerit emendationis, ut ultra non pecces, & errata præterita corrigas, quando nec servus irati vereris heri comminationes, nec filius æterni patris tui cœlestis hæreditate leniris, & moveris? Veternum hunc excute, ac vel saltem obstrictus, & vinctus imminentis Domini flagellum time. Tum ultrà progressus aliquid, & devotionis adde, sicque erumpent in corde tuo desideria hæc gloriæ cœlestis, suis quam Deus promisit filiis, ardentissima. Tandem amore filiali, timoreque proficiens ad integram, perfectamque mandatorum patris tui intimi, & amantissimi filii præcordiis, & affectu deveniens observantiam unà dumtaxat eis ratione instans & animo, sanctissimam ut ejus impleas voluntatem, quod sic ab æterna jussum est bonitate, sic illa voluit, sic placuit illi, cui proinde reverentiam omnem, amoremque debes, & obedientiam. Denique quantum & attenta hæc novissimorum hominis horum quatuor ad coercendos, continendosque peccatores meditatio prosit & valeat, aperte declarat Sapiens Eccl 7. dicens: *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: de iis verò, qui hæc meminisse despiciunt sic loquitur Moyses Deuteronomii 32. v. 23. *gens absque consilio est, & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima praviderent*.

Finis Tractatus Sexti.

TRACTATUS SEPTIMUS
De Sacramentis Eccleſiæ.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

Poſtquam ſuperius tres jam doctrinæ Chriſtianæ partes expoſuimus, quibus fidei, ſpei, & charitatis exercitamur operibus: de articulis ſcilicet fidei primùm, tùm de diviniſſima illa oratione Dominica, qua ſpei plurimum erigitur, & innutritur virtus, quæcumque vel ſperare debemus, & optare per illam a Deo poſtulare docti: demùm & de præceptis Decalogi, quibus integre præcepta charitatis implentur: ſupereſt jam ut & de Sacramentis Eccleſiæ, quæ ceu pharmaca nobis inſtituit efficaciſſima, præſentiſſimaque remedia medendis animis, & emundandis à peccatorum ſordibus, prædictarumque fidei, ſpei, & charitatis virtutum ſublimiori conſequendo culmine.

Sunt autem hæc Sacramenta ſeptem, totidem, & ſacra Spiritus Sancti gratiæ ſigna, quæ per illa cunctis confertur digne recipientibus. Quare non nuda illa putanda ſunt, & vacua, quæ per ea confertur gratiæ ſigna; ſed ipſa etiam inſtitutione divina cauſa, ceu ſpiritualia quædam amuleta curandis animabus, ſanandiſque ſpiritualibus animorum infirmitatibus opportuniſſima. In eis eſt enim, & operatur Chriſti Redemptoris noſtri Jeſu paſſionis, & ſanguinis pretioſiſſimi vis omnis, & energia: ſuntque illa nobis, ceu tubi, quibus ad nos uſque ſanguinis ejus virtus derivatur, & ut infinitæ poteſtatis ejus inſtrumenta, quibus mira operatur in nobis ejus gratia, bonitatiſque ejus, & charitatis ſuaviſſimos delibamus fructus: ſunt hæc pretioſiſſima ſeptem, quæ ſponſæ ſuæ contulit Chriſtus Eccleſiæ monilia, quibus illa mundior fieret, & venuſtior in oculis ejus, quæ & nobis eſſe arram voluit ejus, quam promiſit nobis, futuræ felicitatis, & æternæ gloriæ; ideoque hæc ipſe ſeptem, nulliuſque alterius adminiculo inſtituere voluit.

Obſervandum tamen hic, ſeptem horum extrema duo Sacramenta, ſacri videlicet Ordinis, & Matrimonii, nulli ſingillatim hominum ad ſalutem eſſe neceſſaria, ſed generatim, & in communi tantùm univerſo humano generi, cui proinde neceſſe eſt omnino ut connubia celebrentur, & nuptiæ, quo legitima propagatione ſervetur integer, & perſeveret orbis, ſintque ſacerdotes, & presbyteri ſpirituali ſervientes, & addicti animarum regimini, qui Dei verba populis annuntient, ſacramenta miniſtrent, Deoque pro illis offerant ſacrificia. Adeoque priora quinque nullius omninò ſingulorum non ſpectant, neceſſariaque ſunt ad Chriſtianorum incrementum, & ſalutem: meritoque quinque illa nec minùs inſtituit Sacramenta ſuprema Dei bonitas, & ſapientia in cujuſque ſpiritualem animæ vitam, & incolumitatem. Baptiſma videlicet, Confirmationem, corporis ſanguiniſque Domini venerabile Sacramentum, Pœnitentiam, & ſupremam unctionem, ut enim ad temporalem hanc ineundam, ſervandamque nobis vitam quinque conducunt

cunt totidem & nobis alia quinque vitæ spirituali consequendæ necessaria sunt, & comparandæ; Ad vitam enim corpoream obtinendam nasci necesse est, & crescere, ac comedere, & bibere: pravorum autem ingruentibus, invalescentibusque humorum intemperiis purgatione opus, aut enemate, quorum evacuentur, & abigentur erexiria, vel phlebotomia, qua putridus eliciatur sanguis, ac nocivus: pravis autem ejectis humoribus, reficiendis exhaustæ naturæ viribus, & corroborandis opus est alimentis: adeoque nobis haud aliter sapientissimus ille, peritissimusque animarum medicus hæc deesse quinque non tulit animæ valetudini necessaria: per baptismum utique spiritualiter nascimur, confirmationis chrismate roboramur, & crescimus, tum pane illo cœlesti, qui sanctissimo altaris exhibetur Sacramento spiritualiter pascimur, & nutrimur: peccatis verò lethaliter ubi laboremus, & ægrotemur pœnitentiæ medicina sanamur; humili, laboriosa, & afflictiva confessione latentis intus iniquitatis venena foras eructantes, & evomentes. Quod autem ad vitæ exitum, & in mortis articulo magno nobis opus sit esse animo, maximaque nitere munditia debeamus, ceu cum Diabolo tum maxime contra nos fortius instante, difficillimumque, ac fortunatissimum simul hunc nostrum in cœlum ascensum, & transitum insidiante, & præpudiante diu acturi: idcircò Sacramentum unctionis extremæ, quod mortis periculo laborantibus duntaxat impenditur instituit Dominus. Quodlibet verò Sacramentum sua uti dicemus infra, cùm de singulis agemus, & materia coalescit, & forma: quod utique breviter, & succinctè peragetur a nobis, quod hic non sacerdotes erudire contendimus, sed plebem, cujus & necessitati studemus & captui, ideoque quæ ad ejus instructionem aliqua tantummodo sufficiunt, & necessaria sunt hic a nobis attingentur.

CAPUT SECUNDUM.

De Baptismi Sacramento.

OMnium Ecclesiæ Sacramentorum caput, & primum est baptisma sanctum, ac janua, quod & ideò fidei Sacramentum jure vocatur, cum eo Christi fidem profiteamur, efficiamurque Christiani. Hoc scilicet in Christo Spiritu generamur, & nascimur filii Dei, regnique cœlestis cohæredes, & participes: per ipsum & infusas in nobis virtutes omnes morales, atque theologicas accepimus. Hoc autem materia constat, & forma Sacramentum, illa quidem aqua est elementalis omninò, & a natura fluens; hæc verò verba sunt ab ipso authore Christo constituta: videlicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ nec priùs, aut postea, sed dum ipse baptizandus immergitur, aut intingitur aqua, quod advertere summopere debent Obstetrices, & Laici omnes Sacramentum hoc aliquando, qui ministrare coguntur, secùs enim ipso breviter aberrarent a salutis limine; Quare omnes omnino convenit, hæc apte scire proferre verba Christianos sive masculos, sive fœminas, ut cum alius ab ipsis nullus adfuerit, qui Baptismi Sacramentum urgente necessitate ministrent debitè tum ipsi perficiant.

Hoc quippe sacramentum illud est, quod lavacrum esse renovationis, & regenerationis Paulus ait, in sanguine Christi; Per hanc enim aquam vere regeneramur filii non veteris Adam illius, sed Dei, novaque facti sumus in Christo creatura; cum autem ab hac extrahimur aqua spiritualem in vitam a mortuis resurgimus cum Christo, & innovamur mundati, justificati, & in similitudinem Dei reformati, inque novam transformati creaturam omnis reatus macula jam, pœnaque

que liberam ad imaginem, & beneplacitum Dei, qui si tum antequam alia nos peccati macula fœdaret e vita migraremus nullo interjecto obice mox ad perennem gloriæ felicitatem introduceremur, meritis haud quidem ex propriis, sed Christi Jesu, quæ per baptismum ita conferuntur nobis, & exhibentur, ut vere sint, dicanturque nobis propria. Per hoc vero sacramentum cum ea, quæ nobis infunditur gratia signum quoddam, & character in anima spiritualis imprimitur, quo Christi servis, & Ecclesiæ suæ membris aggregamur, cæterisque illius amodo sacramentis participare conceditur.

Quo circa baptizato Domino Spiritus Sanctus in columbæ specie visibiliter apparuit, ut intelligeremus eum, qui baptismatis aqua regeneratur, novum fieri Sancti Spiritus habitaculum: quo certe mysterio sic mutuo interse convenite, pacisciqueque videntur Deus, & baptizatus, ut Deus Filium eum habeat, sanctumque baptizato largiatur spiritum suum, donans ei propter amorem Filii sui Domini Jesu Christi omnia delicta sua, vicissimque baptizatus abrenuntians Satanæ, mundo, & pompis ejus totum se Deo dedat, æternumque illi se tradat obstrictus amodo crucem Domini portare jugiter in corpore suo, carnis desideria mortificatione comprimere, totisque viribus peccati regnum, & tyrannidem, carnis scilicet concupiscentiam evertere. Quare convenit omnino Christianis initum hujusmodi eum Deo pactum ob oculos habere assidue scrutantes apud nos, num sicut cum ipso pepigimus ita corde,& opere compleverimus securi certæ retributionis si perfecerimus Apostoli verbis ad omnes, qui baptismatis lavacro sunt regenetati ad Coloss. 3. *si consurrexistis cum Christo* per baptismatis aquas spiritualiter regenerati, *quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Recordare (inquit Ambrosius Lib. 1.) quæ tibi ante baptisma sunt postulata; memineris & responsi promissionisque, quam fecisti: Dixisti te renuntiare Diabolo, & operibus suis, mundo, & concupiscentiis delectationibusque suis: recordare ergo eorum, quæ dixisti, nec obliviscaris eorum, quæ promisisti.

Porrò jus est omnino necessitatis, hocce Sacramentum, ut recens natus puer, nisi pro Christo per martyrii palmam in sanguine suo laureatus absque eo salutem adipiscatur. Væ itaque illi cujus errore vel negligentia ab utero matris ad mortem transiens eo caruerit infans, & creatura aliqua rationalis, nec qui rationis usum adepti possunt etiam absque suscepto revera baptismatis sacramento salvari, vel saltem sine illius fide, & voto suscipiendi.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Confirmationis.

QUi per Baptismum regenerati jam, factique Filii Dei, & membra Christi sumus, gratiâ demùm, & fortitudine Spirituali crescere nos convenit, quo tentationes omnes facile superare, hostiumque nostrorum, mundi videlicet, carnisque nostræ, & Diaboli, quibus nihil aliud est officii, quàm ut assidue nos ad peccandum inducant, & ad æternæ perditionis viam adducant, assaltus innumeros, & continuos impetus comprimere valeamus, atque inter potiora, quæ nobis immensa Dei contulit, excogitavitque misericordia, nobisque ad id prælii genus oportuna remedia, vel arma deffensiva locum obtinet principem chrismatis hoc Sacramentum, quo firmiores, altioresque radices agit, augetur, & crescit in anima nostra virtus, & gratia Spiritus Sancti, quo tentationibus obsistamus, fidemque

que, ubi tulerit occasio, fortiter, & alacriter etiam in faciem inimicorum ejus profiteamur. Quare sicut per baptismum nascimur in Christo, & regeneramur, sic per confirmationis gratiam milites ungimur Christi, armaque illius induimur in hujus mundi castris, & acie positi, ut adversus omnes, qui fidem ejus, & amorem in nobis extinguere vellent indefesse præliemur, & dimicemus. Atque idcirco, quando quem ungit Episcopus (cujus unius est munus, & opus hocce ministrare chrismatis Sacramentum) baptizandi frontem in crucis modum, quæ Regis nostri signum est, sacro signat & ungit oleo, ut ex eo teneri se Christianus intelligat, crucis tenere, profiterique mysterium, vitamque suam ad illius instituere modum, carnem suam crucifigens cum vitiis, & desideriis suis, omnibusque, quæ se ab amore crucis, & mortificatione quærerent avellere, fortiter obsistens ratus omnino Christiani nomen aliud sonare nihil & professionem, nisi strenuum Domini pugilem in hujus acie seculi media positum, qui adversus infensos Dei hostes irreconciliabile bellum prælietur, & assiduum, omnesque pro illo quantumvis gravissimas alacriter, fortiterque sustinere paratus sit injurias, & contumelias; In quorum certe fidem, atque memoriam confirmati maxillam alapa percutit leviori tunc Episcopus, quo jam meminerit amodo si Christi fides; & bonor exigat non alapas dumtaxat, sed verbera, laminam, & mortes ipsas plurimas esse sustinendas, unaque se percussum alapa, alteram insuper percutienti se maxillam exhibere teneri.

Hoc etiam in anima chrismatus accipit Sacramento spirituale signum, invisibilemque characterem, qui militaris est Christi tessera, quam nec unquam abjicere debet, & amittere. Cum autem ipse, qui militem accingit, & ad bellum provocat eidem, & victoriæ spem facere videatur indubiam. Idcirco recte virtutis, & spei Sacramentnm hoc, uti fidei baptismus appellatur.

CAPUT QUARTUM.

De Sanctissimo Eucharestiæ Sacramento.

PEr lavacrum spiritualiter regenerati sumus, & per confirmationis sacramentum uncti, conscriptique spiritualis vitæ propugnatores, & athletæ Christi huic fovendæ, sustinendæque jam omnino opus, & quo vivamus alimento; neque enim arma tractare, præliaque valet, cui vita deficit, annona negatur: proinde tertium hic adjungitur Ecclesiæ sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui verus ipse panis, animæque cibus, & potus est. Sacramentorum istud omnium caput est præexcellentissimum cæteris, quippe Christi dumtaxat exhibetnr virtus, & gratiæ efficacia. Hoc autem non jam excisa Dei virtus, & energia; sed Deus ipse realiter, substantialiterque factus homo, bonornm omnium author, sons, & scaturigo gratiarum exhibetur. Nobis certe scrutari curiosius hic illicitum, quâ tandem id arte tantum ipse libuerit patrare miraculnm, aut quomodo prolatis, quæ ipse constituit, divinis hisce verbis ad Sacerdotis vocem in veri corporis sui substantiam transeat substantia panis, inque sanguinem suum vini substantia commutatur; sed mirari in amoris extasim, & gratiarnm actiones largius abundare ob acceptum tam insigne beneficium ob immensam ipsius hanc gratiam, ob amoris ejus excessum, quo tandem adductus ille, compulsusque carnem suam in cibum, & sanguinem etiam in potum nobis propinare, quo jam dudum ille eadem in arâ crucis redemptionis nostræ litrum obtulerat:

Hoc

Hoc ergo maxime intereſt, & a nobis exigit Altiſſimus fide, ſinceraque devotione, cordiſque noſtri intimo amore diviniſſimum hocce veneremur, proſequamurque mysterium firmiſſime credentes, his ipſiſſimis hoſtiæ conſecratæ ſpeciebus, atque figuris verum adeſſe, contineri que Chriſti corpus, ſubque vini, quæ oculis objicitur imagine & ſimilitudine ſanguinem ejus exhiberi, verumque illud animæ noſtræ pabulum eſſe, & ſacrificium pro peccatis noſtris offerri quotidie conſueſcimus omninò nihil alienum, & aliud ab eo, quod in arâ crucis a Chriſto palàm oblatum eſt: hoc ipſum ſcilicet inviſibili modo quotidie Sacerdos in aris opertum repetit, & obvolutum hiſce panis, & vini ſimilitudinibus, ac ſpeciebus, ut citra nauſeam, & horrorem illud & ſorbere, & comedere valeamus, atque ſic ab illo emundemur, illuminemur, inflammemur, tandem in eum transfundamur. Sciebat utique Chriſtus mox uſque verbis, & auditu moveri homines tactu, & guſtu: ideoque nec ſatis illi fuit myſterium hoc ſanguinis, paſſioniſque ſuæ litteris commiſſum voluiſſe, vel ab Apoſtolis prædicari, & linguâ gentibus, & populis annuntiari, inſuper & manibus ipſis voluit a nobis contrectari, palpari, dentibus, & ore comminui, intimiſque thoracis receſſibus contineri, noſtrum in ſe quo vehementius amorem provocaret, tantaque animas ſuavitate pelliceret, & ſatiaret.

Adeoque hoc a nobis ille maximopere quærit, & optat, ut ad illud frequenter accedamus, fruamur ut hoc epulo, ut ad ſanctiſſimi, pretioſiſſimique corporis ejus participationem digne nos, & ſæpiſſime componamus, & præparemus.

O ſeculi cæcitatem! O temporum horum ingratitudinem, quibus vix in anno ſemel ad hoc ineffabile Domini convivium plerique Chriſtianorum accedere ſatagunt, & ſolent! Proh miſeri! Hoc ſi bonum omne haberi putas, & credis animæ tuæ hinc ſalutem tibi pendere, cur ab illo tantopere fugis? Quis tandem abhorret a vita? Quis non optat vivere? Vitam ergo tu ſi concupiſcis, vitæ tibi fons hic & ſcaturigo perennis eſt ab hoc ſacramento divino: ſi juvat, aut lubet ardere amore, vel ſatiari habes hic inexhauſta flammarum incendia, puriores ſi titillent, ſpiritualeſque te deliciæ, habes hic immenſum, & altiſſimum æternæ felicitatis pelagus gaudiorum, vis a culpis omnibus eximius fieri, mundarique & liberari? Ecce tibi Agnus Dei vivi, qui tollit omnia peccata mundi. Deficis adverſis tibi ingruentibus, concutientibuſque tentationibus quibus te parem velles, & ſuperiorem? En tibi exercituum Dominus omnipotens victoriarum Deus. Si quis noſtrum (ait Bernardus ſermone in cœna Domini) ſe vel iræ, vel invidiæ, luxuriæve, vel cujuſpiam alterius vitii vi ſe impeti, vexarique deprehendat, corporis, & ſanguinis Dominici, cui participavit, ſacramento gratias agat. Etenim ſi mulier a fluxu ſanguinis, quo vexabatur in corpore, mox ut fimbriam tetigit veſtimenti Domini Jeſu liberata narratur, ut in Evangelio, quanto ceſſaverit in te facilius turpis concupiſcentiæ fluxus, ejuſdem ſi Domini carnem ipſam, & ſanguinem non ſemel tantùm, ut illa devotè tetigeris, ſed in pectus ipſum, & animam tuam induxeris, & repoſueris? Age nunc anima, corque ſylveum, num tu tandem hiſce Domini verbis in ultima cœna tibi prolatis cum diviniſsimi Sacramenti myſterium iſtud ab eo fuit inſtitutum emollieris, & eliqueſces? *Accipite & comedite:* hoc facite in meam commemorationem, amore mei ſcilicet: ac ſi diceret, tanto vos ego complector amoris affectu, ut carnem ipſam, & ſanguinem meum in cibum, ac ſacrificium animæ veſtræ tradere cogar, & relinquere: quare ſacrificium iſtud in tanti erga vos amoris mei memoriam curate quam frequentisſime, quæſo, peragere, ac renovare, ſpiritualemque cibum hunc eſurire, atque idcircò Sacramentum iſtud charitatis ſacramentum eſt, & nuncupatur, haud ſecus ac baptiſmum

mum supra jam diximus fidei sacramentum; chrisma vero, sive confirmationem spei sacramentum, quod in se vim habeat efficacissimam jugem in nobis excitandi passionis Dominicæ memoriam: Vix enim, eo dempto, vigeret in nobis illa: quippe comprobarum ipsa nobis est experientia, longe nos in admirationem ire facilius, & amorem rapi cum intelligimus, & credimus, Christum Dominum Dei filium unigenitum ad altaris aras etiam nunc immolari quotidie pro nobis, & offerri sacrificium, quàm si nude quondam ante annos plus minus supra mille quingentos, & amplius in arâ Crucis semel pro nobis oblatum, & immolarum audiremus: efficacius namque præsentibus excitamur, & movemur objectis, quàm absentibus, aut præteritis; ideòque necesse omninò fuit divinissimum hoc a Christo condi mysterium, quo perennem in nobis excitaret, & vivam passionis suæ memoriam, & amorem, delictorumque veniam ab eo consequeremur uberiorem: nam ei plus dimittitur, qui plus diligit, uti Christus ad Magdalenam air: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 7. v. 47. atque hæc prima ratio, cur charitatis istud dicatur sacramentum & habeatur.

Altera verò ratio est, quod charitatis illud invicem mutuæ, totiusque sit Ecclesiæ Catholicæ signum unitatis, & argumentum, arctissimumque illius vinculum; ut enim habet Augustinus, ideo sub panis, & vini symbolis institutum hoc a Christo Domino fuit sacramentum, ut indicaret nobis, quod sicut ex multis tritici granis unus panis efficitur, & ex multis uvis, ac racemis vinum confluit: sic unum corpus multi sumus, & esse debemus in ipso per hujos efficaciam sacramenti, fidei scilicet, & spei, & charitatis unitate. Quamvis autem Ecclesia gravioribus, urgentibusque omnino de causis usum calicis in Cœnâ Dominicâ non facilè concedat Laicis, cæterisque non celebrantibus, sed unum illis exibeat panis symbolum; non ideo se sanguinis Dominici participatione fraudatum autumet. Qui enim Domini corpus suscipit, & ipsum ejus accipit sanguinem, nec enim hic exangue Domini corpus, uti nec separatum anima; nimirum quia non ibi minùs, quàm in cœlo vivus: adeoque & in calice corpus adest, & anima cum sanguine, quia nec a corpore sanguis, unitaque pariter & corpori & sanguini divinitas adest; sic pani ut calici præsens. Itaque, charissimi, paratos nos habeamos omnes sincera peccatorum confessione, quo frequentius ad hoc ineffabile convivium accedamus; sed si singulis non liceat hebdomadibus, & Dominicis, saltem mensibus singulis, vel certè diebus per annum festis principibus. Dic, quæso, hoc ita si constitutum foret a Domino Jesu Christo, unus ut Romæ Pontifex Maximus ab eo potestatem accepisset hæc Domini mysteria peragendi, & ministrandi; quantis non eò contenderes laboribus, & impendiis tàm sublimi, tamque Divino participaturus, & adsuturus epulo? Quam ardenti animo, & reverenti gestires huic interesse sacrificio? cum ergo voluerit ille diebus singulis, ac ubique terrarum hæc divina celebrari mysteria, nullis ut possint omnes eo frui beneficio laboribus, profectò videtur indignum, ut ranta illius facilitate, & liberalitate ingratitudinis ansam accipias, tibique ergà divinissimum hocce sacramentum, & mysterium, unde augeri debeat, intepescat amor, devotioque minuatur, atque reverentia. Atque idcirco sicut omnes ad hoc invitat epulum peccatores, utique pœnitentes, atque paratos; sic induratos ut ab eo fugiant arcet, & inquinatos, quia sicut animæ nihil utilius communione prævia com dispositione, suorumqoe contritione, & confessione peccatorum accepta, sic nec ullum eidem noxius, præsentiusque venenum ea cum conscientia peccati lethalis, nulloque emendationis, & pœnitentiæ proposito recepta. Dic o Juda proditor, qua tu fronte Christum oscularis?

Quid illum in os tuum, fœteosque pectus tuum excipis, quem nec diligis? Quando præ illa tu mulierculam, & delectatiunculam eligis, quando sic legem ejus conculcas, & despicis, dic, fili Belial, & Satanæ membrum, unde tanta tibi protervia, ut ad altare Christi præsumas accedere, divinæque ejus assidere mensæ? Væ tibi certe sacrilego corporis, & sanguinis Christi, contumelioso que, & impio susceptori! An forte quod hians te mox non absorbuit terra, pendentemque capiti tuo nondum expertus es ultionem, sic tranquillo animo vivis, & alacer? Væ tibi, inquam, o infelix! Melius tibi foret utique, si nefandi tui ausus illico pœnas dedisses, si tibi mox oculos eruisset, aut excæcasset Satanas, aliove quovis modo corpore cruciasset, quàm in ejus potestatem incidisse animam tuam, atque imperium, uti illa incurrit, ut io qualibet impulerit ille, vel libuerit, crimina, nec sentiens ultro devolvaris. Charissimi Fratres, oro vos, nullus ad communionis Dominicæ Cœnam indignus accedat, unusquisque vestrum antequam se ad hoc cœleste convivium accingat, conscientiam suam examine diligenti discutiat, peccata sua confiteatur ingenue, & integre cum sincero dolore cordis, & compunctione; tuncque fidenter ad hanc summi regis mensam, & securus accedat, nec satis sibi esse putet ad hæc digne sumenda, peragendave mysteria sincero corde doluisse de peccatis suis, nisi & eorum actuali confessione, dum sacerdotis adest tibi copia obtentâ facultate deleveris, uti sacræ constitutum authoritate Synodi Tridentinæ; qui vero contraierit lethalis peccati reus, & sacrilegii erit. Sed & oportet omnino te prius reconciliari fratri tuo, quem læseris odiumque ponas e corde tuo, quod sacramentum istud, uti supra diximus, unitatis est sacramentum & vinculum charitatis; His ita compositis securus accede, Dominicique corporis, & sanguinis mysteria sacrosanctâ suscipe fide certus indubiam te peccatorum indulgentiam accepturum, ac si propriis eundem in cruce pro te pendentem, delictorumque tuorum veniam offerentem, & pollicentem, demùm & ad effusi pro te sanguinis, & passionis suæ meritorum participationem invitantem intueris oculis.

CAPUT QUINTUM.

De Sacramento Pœnitentiæ, sive Confessione.

OMnia sufficiunt ad observandam, servandamque spiritualem animæ vitam tria, de quibus jam supra egimus Ecclesiæ sacramenta, Baptismi scilicet, Chrismatis, & Eucharistiæ; nec ad eam alio nobis opus est, si vellemus, sacramento, pulsanti gratiæ si renuere nollemus, & obniti, si non eam a nobis abigeremus, animæque compelleremus excedere, si quos sacramentorum ope collegimus immensos, & assequuti sumus, frui, servareque vellemus gratiarum thesauros: at vero quia ex quo baptizati jam ex ignorantia, vel infirmitate, vel malitia frequenter in letbale peccatum incurrimus, quo simul & a Domini gratia excedimus, comitibusque illi deoudamur donis, atque & virtutibus deturpatur anima, fœdisque tota conspurcatur, inficiturque sordibus: immensæ placuit omnipotentis clementiæ & misericordiæ, etiam in his occurrere nobis, aptumque malo parare pharmacum, atque remedium, pœnitentiæ videlicet sacramentum. Non enim ille vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ab iniquitate sua, & æternum vivat: ac licet ultionem in sontem ulla, si liberet, injuria statim exercere posset, eumque in profundum inferni detrudere gratiæ suæ despectorem hominem, qui sponte cadens, & a tutissima baptismatis innocentiæ

rate

rate prosiliens, qua lubricum, & procellosum hujus seculi leniter, & prospere navigare pelagus, & ad salutis æternæ portum appellere potuisset, in altissimas se proiicit, cœcasque peccatorum aquas, & voragines cum merito suffocatum aquis submergere posset in profundum etiam illi naufrago tabulam, qua posit enatare, liberarique concedit, & aptat.

Hæc verò tabula post naufragium, sanctorum ut scripta docent Patrum, confessionis sacramentum proprio scilicet factæ sacerdoti, cui animarum cura commissa vel commendata, cui vices, & commisit suas, authoritatemque contulit Christus a sibi confessis omnibus absolvendi delictis, cum ille sic ad discipulos dicit: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Joann. 20. v. 25. iterumque alias ad eosdem: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo*. Matthæi 18. v. 18. Quam ergo tulit hic ab absoluta tui confessione Confessarius cœlo probata manet & sententia, qua dixit: *ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis*: quibus videlicet hujus constat forma sacramenti, uti & ejusdem materia, quæ tu confiteris errata, atque delicta. Hanc porro ratam haberi sententiam in cœlo, si modo prudenter, & ex ordinatione Dei fuerit a Confessario lata: hanc enim ille si tulerit absolutionis sententiam in pertinacem reum, & impœnitentem, omnino nulla est, & irrita, nec cœlo probatur, quando & contra supremi judicis, legislatorisque Christi leges, & instituta Vicariis suis, sive Confessariis commendata profertur. Quare operæ pretium fuerit præcipuas hic afferre, & exponere confessionis legitimas circumstantias, & conditiones, quibus utiliter, & fructuose promereatur absolui reus, & pœnitens. Prima quidem est, ut accedat examinatus, hoc est ut peccator, antequam ad Confessarii provolvatur pedes se ipsum probet, conscientiamque suam excutiat, & prioris vitæ delicta serio revocet in memoriam, ad quod examen eo majori illi opus otio, quo longius antea diuturniorique tempore non confessus: hujus vero defectu discussionis, & examinis, ubi lethale quid oblitus sua culpa fuerit, haud integra, validaque confessio censenda est, sed ex integro repetenda. Si quis autem, quid hoc intelligendum putemus examine diligenti: hunc ego puto pœnitentem examinis onus implevisse diligentis, qui quod æqualis sibi conditionis, & status homines in usu habent integritate vitæ commendati, vel certe qui tantum impendit operam revocandis in memoriam prioris vitæ culpis, quantum quis hominum solet in eo, quod sua summe referre putet, negotio; Quæstorem puta, vel quemlibet alium rationibus obnoxium, quibus totus insudat componendis, computandisque, quos in rem Domini sui, vel ejus causa, mandatoque contulit sumptus, ne quid in Domini damnum, aut periculum excidat a memoria.

Secunda confessionis conditio est, ut integra sit, nempe ut ità sit animo comparatus, qui ad confitendum pœnitens accedit, nullum ut volens omittat aperire Sacerdoti commissum, sive reatum, nec enim aliquid valet, & prodest ei, qui ad confessionem accedit, si quicquam eorumquæ sibi conscius, ac tum meminit in ea reticet, aut dissimulat; teneturque sic a se factam non modò repetere confessionem ex integro, pressamque apud se sic iniquitatem, sed insuper & gravissimi, quod sponte reticens, & occultans admisit, ac irretivit se sacrilegii reum accusare debet, & integra fieri confessio. Quoad lethalium cujusque speciei numerum peccatorum, quem, ut reus exacte teneat, & meminerit haud illi levis esse cura debet. Sed & ad ejusdem spectat integritatem confessionis, ut graviores etiam peccati circumstantiæ detegantur; In peccato carnis videlicet, & sensualitatis: an

 cum

cum uxorata, cum affine, & consanguinea, an cum Virgine, aut Sanctimoniali peccaverit, sicque de ceteris.

Tertia confessionis conditio est, ut sit irrigua compunctionibus, & fletibus æstuans: nimirùm ut intus vere doleat, pœniteatque peccatorum, unde dictum ab aliquibus viris piis, & sanctis Patribus lacrymarum baptismus hoc sacramentum, atque in eo vim omnem, curamque ponendam esse sibi persuasum habeat reus, ut rigidum Deus cor emolliat, sibique dolere de peccatis tribuat: qui enim pertæsus nihil, & dolens erratorum confitetur gratis, & otiose confitetur, proficitque nihil cum exterior una, si non interiori fulciatur inanis sit, & vacua apud Deum pœnitentia: utique qui nihil a nobis optat, & quærit ardentiùs interiori cordis conversione, ac propositorum emendatione: ut scilicet quæ priùs amabamus horreamus quodque delectabat fugiamus, & fastidiamus. Quis porro tam durus, & siliceus, qui criminum expendens enormitatem, numerum, & fœditatem, immensamque graviter offensam a se Dei bonitatem, ab ejus se gratia sentiens alienum, donis omnibus exutus spiritualibus, præsentissimæ mortis addictus periculo, pœnisque gravioribus, & æternis in inferno sibi, peccatoribusque paratis justissimo, strictissimoque Dei Judicio damnandum iri, & cruciandum nec horreat, contremiscat, & compungatur? Hisque stimulatus ad pœnitendum, dolendumque se provocet? Ac licet ad perfectam usque peccatorum haud perveniat contritionem, quam tamen possit habere conetur intentissimam, hocque doleat ipsum, quod, quam optaret non satis dolet. Quamvis autem & ipso gehennæ metu dolere sufficiat sincero corde de offenso Deo, quia tamen ad justificationem, nisi pœnitentiæ sacramento conjunctus hic dolor unus non sufficit, summopere contendere debet, ut non ab inferni metu, sed amore Dei dolor ille suus oriatur, dicens: pœnitet me te Deum meum, & Dominum offendisse, quem toto corde diligere, colereque teneor, & cupio; nec jam ob æterni supplicii pœnas, & metum conteratur, & doleat.

Hac porrò conditione simul, & intelligitur firmissimum illi debere esse de cetero non peccandi propositum; nec enim alias absolutionis gratiam est assequuturus; sed id insuper advertendum, quod quanta licet maxima peccatorum contritione dolens ad confessionis accedere libeat sacramentum, nullam in ea tamen habere licet ei fiduciam, sed in immensa Dei clementia, Christique passione, & sanguine, cujus efficacissima virtute nititur a sacerdote concessa remissionis sententia, a qua suum & obtineat ejus confessio robur, & complementum, qua demum ablata nullius illa momenti fuerit, & utilitatis. Quarta tandem confessionis est conditio, sic ut ad eam animo comparatus accedat pœnitens, ut quamlibet sibi datam, & impositam a sacerdote humili, devotoque complectatur, & exequatur animo pœnitentiam, nec lucrum sibi putet, aut gaudeat, quod sibi levis imposita, memor ingentia criminà pœnis duntaxat ingentibus, lacrymisque purgari, & emundari debere, nec gigantem interimi putet arundine, hoc est exigua, levique pœnitentia magnum expiare nefas. Hortetur autem Confessarius, & excitet pœnitentem ad subeundam his, quibus laborabat, malis, & culpis opportunam salutaremque pœnitentiam, puta luxuriosos, gulososque jejunia; fœneratores, aut avaros eleemosynas; tepidos, & irreligiosos psalmodias, orationes, missarumque, & officiorum in Ecclesia frequentationes: demùm ut a pravis consuetudinibus, inveteratisque, vel proximis peccandi fugiant occasionibus.

Jam ergo, charissimi, frequentius confiteri satagite, qui tam sæpe spiritualiter ægrotare soletis anima: Divinum ad hocce sacramenti pharmacum sæpius accurrite: ad hoc pietatis, & indulgentiæ, confessionisque tribunal advolate, tremen-

mendum, & acerbum ut illud tandem effugiatis Dei judicium. Propera qui sordes, ad fontem, & lavacrum Christi, cujus in te derivatur per Sacerdotis absolutionem sanguinis virtus, sicque mundaberis a turpitudine, nitereque jam incipies, & valere ab ægritudine tua. Quid, amabo, suavius homini, quam ut a gravi se peccatorum sarcina liberum, & ab assiduis interioris conscientiæ morsibus, & aculeis se sentiat exemptum? Haud aliter (inquit vir quidam sanctitate conspicuus) ac cui nauseat stomachus, gravaturque putridis humoribus, ejectione, vomituque gaudere solet, & levari, sic corrupta peccatorum illuvie laboranti conscientiæ nihil optabilius, & conducibilius sacro confessionis, & pœnitentiæ vomitorio. Ut quid ergo moraris, aut in annum eam rejicis? Hinc dubio procul nec, quæ priùs egisti, memineris; sed & si nihil te prorsus erratorum fugiat hoc saltim tibi triste accidit, ut adeò frequenter impingas, eoque toties, & pejor fias. Quid ergo tam facili parato tibi pharmaco non uteris? Ut enim Gregorius habet, qui semel peccat, & cadit, ni citò resurgat peccati sui pondere depressus in aliud, & gravius facile recidit. Huic porrò sacræ si assuevisses, & frequenti confessioni, nihil ab ea tibi certè laboris esset, & molestiæ: quin haberes in deliciis, essetque tibi solatio illa, non oneri. Nunc ergo, ex quo tu post annum integrum confiteri negligis, nulla prorsus ad illam illecebra traheris, & animi dulcedine; nihil quod ad tuorum horrorem, & memoriam inclinet, & moveat erratorum: te ipsum respicere veretis, & intueri; pigetque spurcissimam hanc tot jam anni spatio cumulatarum sordium, & peccatorum excutere, movereque latrinam. In eas certè nusquam incidisses angustias singulis, alternisve si mensibus id assuevisses: patratorum ab ultima sacramentali confessione reatuum facilis occurreret, & parata tibi certe memoria, gratiam, & robur a Domino, quo facile stares assequereris, expedita sic utereris, & liberâ conscientiâ, compasatâ ad mortem animâ; ac ubi purgatorius ab illâ te maneret ignis, minùs hinc saltem ille tibi foret, & gravis, & diuturnus. Quoties enim humilis, & dolens ad confessionem accedis, toties & cum noxæ reatu pœnarum etiam pars aliqua, nec minima decidit, dimittiturque tibi debitarum, & quandoque tota remittitur. Super omnia verò singulariter advertendum, ut quoties in aliquod incidisse te peccatum adverteris, hujus te contrito mox corde, sinceroque pœniteat, & doleat, ab eoque, & quovis alio tibi cavere proponas in posterum, & opportunitate data, statoque ab Ecclesia tempore confiteri. Hæc enim interdùm, ac sæpius ad consequendam a Deo remissionem, & gratiam tibi sufficere possunt etiam antequam ad confessinnem accesseris. Demùm quod in hoc sacramento jus in se reus ipse dicat, & peccator spontè se ipsum accusans, suaque ipse detegens, & aperiens scelera, vindictæque se paratum offerens, & pœnæ sibi a Dei ministro proponendæ: rectè sanctis Patribus ad justitiæ virtutem spectare visum est hoc pœnitentiæ sacramentum.

CAPUT SEXTUM.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

UT ingredientibus in hunc mundum commune sacramentum est Baptismus, sic exeuntibus ab eo communiter adhibetur Extrema unctio. Hoc scilicet adeo salubri voluit immensa Dei clementia communitos amuleto morituros: ut enim illi gravius laborant periclitantur & nutant, sic & ope indigent, & auxilio præsen-

sentiori; Tunc enim maxime totis in eos insurgit viribus, & armis adversarius ille salutis humanæ Diabolus, nullisque in eos non agit dolis, & artibus, ut tandem animam suas in casses, dominiumque detrudat certus hanc æternùm periisse sibi, si tunc in ea suam ille luserit operam: atque eam ob rem institutum est a Christo Domino sacramentum hoc, ut adversus hostiles Dæmonis impetus, & æstus in hac suprema, decretoriaque hora tanto discrimine suos communiat, ac corroboret pugiles Deus corpore jam deficientes, & animo. Atque idcirco volunt Theologi sacramentum hoc fortitudinis æquiparari respondereque virtuti. Quod plane sacramentum Christus Dominus per Apostolum suum Jacobum instituit & aperuit his verbis Jacob. 5. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentesque eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei*: nec spirituali tantum aliquando liberatur infirmitate, interdum simul, & corporali, utique dum hæc & ad salutem animæ cònferre potest, aut cum tanta flagrat infirmus animi fiducia, ut huius susceptione sacramenti certo sibi restitutum iri a Domino sanitatem credat, & reparandas corporis vires. Quæ nihilominus ipse, nisi conditione posita, nempe si ad majorem Dei gloriam & cultum cessura sint, Deum nec rogare debet, nec expectare. Quare summa animi devotione sacramentum istud suscipere debent, qui graviter, & periculose decumbunt, suæ si consultum velint animæ, saluti, & tranquillitati; quod ubi non attenderit æger, vel meminerit, ut illo muniatur omni studio, charitateque monere eum debent, & hortari, qui laboranti ministrant, & adsunt: nempe urgentes eum quo non imparatus, & improvisus ad instantem, & supremum hunc cum humani generis hoste conflictum, & agonem accedat, quo certe totis ille viribus hominem aggreditur, nec mortis horrore modo, sed viva flammarum inferni, vitæque prioris criminum apprehensione, conturbare nititur & perterrefacere, inque desperationis baratrum detrudere. Quare tunc maxime viribus eget anima, salutisque fiduciam in Domino sacramenti hujus susceptione confirmare debet, cui vel id virtutis inest, ut si quæ supersint animæ culpæ, peccatorumque reliquiæ prioribus sacramentis nec dum abstersæ, hujus tandem virtute deleantur.

CAPUT SEPTIMUM.

De duobus ultimis Ordinis scilicet, & Matrimonii Sacramentis.

DE duobus hisce posterioribus sacramentis ad Reipublicæ Christianæ dumtaxat non ad cujusquam in singulari statum omnino necessariis, Ordine scilicet, & Matrimonio, non est quod hic pluribus agamus: boc unum id advertimus, & monemus, ut qui cujuslibet horum se libere constringi patitur sacramento, muneris impositi sibi partes intelligant, & implere satagant.

Ac primò quidem de iis, qui ad Sacerdotij sunt apicem evecti suam attendant oportet, qua super alios eminent dignitatem: Christiano scilicet præsunt hi, præcelluntque populo, ceu Christi militum Centuriones, & Duces: animarum œconomi, & medici, dispensatores mysteriorum fidei Dei ad homines legatione fungentes, caduceatores, pacisque cum Deo conciliandæ mediatores hominum: cœlestis ærarii quæstores, & præfecti: fulgida caliginosi seculi hujus sydera, & Omnipotentis Angeli, a quibus & salutis omnes accipiant, erudianturque scientiam, mundumque, ad quod intendant, componantque se omnes speculum. Denique ab

ab illis est, & ut præstant, quod in orbe catbolico belle, tristeque se res babeant; perspicuum enim est in his, si zelus, & studia dignitatis suæ responderent sanctitati, nec Laicos tanta dissolutione ruituros iri, nec Christi gregem, & oves extra cœlestis viæ semitas aberraturas. Væ vobis (ait vir quidam sanctus) excelsa cacumina ubertate spiritus infima! Væ vobis cathedra sublimis, & prima vita demissa! Manus quidem sacra, sed & manus sacrilega in sacra quotidie manus vestræ involant, vasa sacra contingitis,& contrectatis olea, & cbrismata, cum sacramenta populis quotidie ministratis, Dominicique corporis, & sanguinis mysteria peragitis, & iisdem audetis ipsis manibus obscæna tractare: bis si lubet apponere manus, has ab istis abstinete. O nefandum certe sacrilegii genus! Nec enim peccaret ille gravius, qui spurcitiis totus intenderet, quam qui manus ab immunditiis ad sacra tractanda convertit. Verum cum liber iste non sacerdotibus emendandis, sed populis erudiendis instituatur, hic abrumpimus digitum ori superponentes, & coram Domino lugentes, atque rogantes, ut tales in hunc orbem ille Sacerdotes efficiat, & mittat, quorum vita, & opera gradus sui conveniant majestati, & auctoritati.

CAPUT OCTAVUM.

De iis, qui conjungalem vitam ducunt.

AD vos vero, fratres cbarissimi, sponte qui matrimonii sacramentum suscipitis conditionis vestræ, quæso, dignitatem attendite, ac sanctitatem. Licet enim status hic ille vester sacerdotali longe inferior, nec ita præcellat, nec sanctitate tamen, nec mysterio vacat: *magnum est* (Apostolo Paulo teste ad Ephes. 5. v. 32.) revera matrimonii *sacramentum boc:* rationemque subdit Apostolus ibidem: *boc autem dico in Cbristo, & Ecclesiâ:* quia nimirum Ecclesiæ, Cbristique conjunctionem exprimit, unionemque refert. Itaque quando sublimis adeo sponsi, & sacrosancti connubii vera est, & expressa repræsentatio vinculum conjugale, indignum omnino est, & indecorum divini mysterii, tamque mysticæ repræsentationis, conjugatorum spurcitia contaminari majestatem. Attendant itaque conjuges quantus intersit amor, quanta pacis, & fidei consensio Cbristi cum Ecclesiâ Catholicâ, atque si se mutuo diligant, & colant, & pax Cbristi fulgeat super illos supportantes invicem, uti monentur ab Apostolorum principibus Petro, & Paulo: *viri* (inquit Paulus ad Ephesios 5. v. 25.) *diligite uxores vestras, sicut Cbristus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea* ut illam sanctificaret *mundans lavacro aquæ* Baptismatis in sanguine suo, *in verbo vitæ, ut exbiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non babentem maculam, neque rugam, aut aliquid bujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata; Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, nam qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: propter boc enim* (hoc est propter mulierem) *relinquet bomo Patrem, & Matrem suam, & adbærebit uxori suæ.* Et in alio loco illud ipsum iterum commendat dicens; *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Ad Colossenses 3. v 19. Iterumque Petrus epistola prima cap.3. v.7. *Viri similiter cobabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes bonorem omnes unanimes compatientes*, cum discretione scilicet infirmitatem earum sustinentes, & dissimulantes. Ad mulieres vero idem Petrus ibidem cap.3. v.1. *mulieres subditæ sint viris suis .... sicut Sara obediebat Abrabæ Dominum eum vocans.* Quod ipsum

ſum, & Paulus ait Ephef.5. v.22. *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.*

Quod autem ad matrimonii debitum ſpectat, & uſum, ſic eos Paulus admonet 1. Corinth.7. v.3. *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro; Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Quapropter *nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Porrò mulieres, quarum tranquillior eſt, & minùs laborioſa conditio ſpiritualibus exercitiis, orationique, & pietati ſedulò etiam intendere tenentur, quo non ſibi tantùm lumen, & ſolatium accipiant a Domino, inſuper & viris ſuis participent, ut cum ad eas advenerint illi laborum, ac negotiorum pondere preſſi, propeque ab hujus ſeculi moleſtiis, & ſollicitudinibus exanimes facti optatum apud illas ſanctæ conſolationis aſylum inveniant, & portum: ſuis ſcilicet, & ſanctis eos fovendo conſiliis ad patientiam, divitiarumque contemptum, & hujus ſeculi vanitatum fugam exhortando, & ad bonorum immarceſcibilium, verorumque proſecutionem inflammando. Verùm inveniuntur, inquit Chryſoſtomus, quæ fatigatis a diei, & æſtus pondere viris non refrigerio ſint, & optati ſolatii portus, ſed lapis offenſionis, & petra ſcandali, in quam impingant, conterantur, & effodiantur eorum oculi, fiantque illis quaſi navis, quæ poſt longisſimos, duriſſimoſque navigationis, tempeſtatumque labores exantlatos ad portum, quem ſibi ſecurum appellabat, allidit.

Demùm conjugatos univerſim admoneo, ſive viros, ſive mulieres hujus meminerint, quo tenentur in filios obſtricti, cujus & olim apud Omnipotentem in ſupremo diei judicio rationem ſunt reddituri juris, & officii ſui filios probatisſimis, & Chriſtianis inſtituere moribus, docereque illos, quæ ſcire Chriſtianus quiſque tenetur, & ut Deum colant, venerentur, ejuſque mandata cuſtodiant: nec ita exiſtiment, ut ſatis ſibi feciſſe putent in eos, quod in ſubrumis bellua, egiſſe: lac ſcilicet, & mammam, aut eſcam præbuiſſe, corpore quò creſcant, & adoleſcant; ſed intelligant, & ſollicite curare ſe teneri, ſpiritualibus, ut & augeantur illi, cumulenturque bonis, & virtutibus, animaque, quam corpore plus valeant liberi ſui, ut in Dei cultu ſenſim in dies, & annos ſive cognitione ejus, & amòre, ſive mandatorum obedientiâ proficiant, & roborentur; utque, præſertim a puero, conſueſcant a peccato lethali, tanquam a facie colubri fugere, horrere, vereri, ideoque illud plus hoſtiliter proſequi. Demùm & benè ſibi ſemper cum Deo eſſe, integramque illi ſervare animam ſuam, & incontaminatam appetere, ita ut illi vel a cunis ipſis, & crepundiis altisſima mente repoſitum habeant, & intelligant, quàm turpe, triſte ſit, & horrendum in Deum offendiſſe, quamque decorum, & ſuave homini ſit in Dei gratia conſtitutum vivere.

Præterea ſciant uxores, viros etiam obſervare ſe tenéri, diligenter eis inſervire, remque curare domeſticam, laborare manibus, nere, ſuere, columque, & fuſum ducere, aut aliquid hujuſmodi faciendo, vel orando tempus terere, aſſiduam in rebus eſſe domeſticis, quieteque intra lares proprios ſe continere, ac in receſſu vivere, non nugari, otiari, vel circuire domos, ad vicinas, & amicas ludendi, confabulandi, vel otiandi cauſa divertere, quod omninò interdictum illis Apoſtoli verbis epiſt.1. ad Timotheum cap.5. v.13. atque adeò ſint *in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona*: uti Paulus ait primâ ad Timotheum 2. v.9. & Petrus epiſtola 1. cap.3. v.3. hoc eſt a vanis, & illecebris abſtinentes ſicut decet mulieres Chriſtia-

ſtianas, quarum affectus, & converſatio in cœlis eſt, quibus hoc maxime conſtitutum animo, ne cuiquam offendiculo ſint, & ſcandalo, aut obvios ad malum inducant, ſed ut omnibus Chriſti bonus odor ſint, tum maximè cum ad Eccleſiam accedunt, in habitu ſimplici, & modeſto procedentes, memoreſque verbi Chryſoſtomi, non ad choreas & tripudia, ſed ad orandum, & plangendum pro peccatis ad Deum, & Eccleſiam incedere.

Finis Tractatus Septimi.

TRACTATUS OCTAVUS
De Salutatione Angelicâ.
CAPUT UNICUM.
Brevis expositio in Orationem Angelicam: Ave Maria &c.

HIS, quibus salutis humanæ ratio constituitur ab authore jam expositis: virtutibus scilicet theologicis fide, spe, & charitate, quod ad eas obtinendas, & conservandas haud parùm conducere possit invocatio Sanctorum, unde cum meritò rogantur, a nobis, & interpellantur, ut apud Deum interveniant, ejusque nobis implorent, & impetrent auxilium, visum & huic tractatui subdere brevem, & compendiosam Angelicæ salutationis: *Ave Maria*, alteriusque vulgaris in Ecclesiâ ad eamdem Virginem orationis, quæ *Salve Regina* vulgo dicitur, expositionem, cum utramque hanc Ecclesia intra Christianæ Doctrinæ modum, & capita referre soleat, quo divini nobis auxilii rationem implorandi proponat.

Ut ergo nos ad pium illud exercitium, & salutare magis ac magis afficiamur, dominaque nobis adeo utilis, atque necessaria clarius intelligatur, & elucescat, operæ pretium est exponere, quomodo Virgo sanctissima Deipara, & Mater, & Soror nostra, Sanctique omnes, qui in cœlo regnant cum Christo nostras & ipsi conscii necessitates experti pro nobis ad Deum preces suas, & qua apud Deum valent, gratiam interponant atque id primum ex fide certum constat eo: de quo jam supra egimus, & exposuimus articulo symboli, quo Sanctorum aperte profitemur communionem, quo certè non qui modo præliantur hic in terris, & in vivis agunt virtuosi censentur homines, & Christiani, sed et hi similiter qui bonum certantes certamen victoriam adepti trophæum agunt, & cum Christo regnant in cœlis intelligendi sunt, qui cum omnes copulatim juncti unum, idemque Christi corpus efficiant, ejusdem & ipsi pariter omnes esse corporis membra necesse est, uti inquit Apostolus ad Romanos 12. v.4. & 1. ad Corinthios 12. v.12. membris autem ejusdem corporis omnibus a natura institutum est *ut pro invicem sollicita sint membra, & si quid patitur unum membrum compatiantur omnia membra, sicut gloriatur unum membrum, congaudent & omnia membra*: ibidem v.26. Unde facile colligitur divos omnes, & cœlicolas ejusdem & nobiscum esse societatis, fraternitatisque participes, ejusdem & corporis membra, adeoque de nostra salute sollicitos eo vel maxime, quod de sua securi nulla jam eos urgeat alia, quàm nostri cura, quos intima charitate diligunt, æternæque qua fruuntur, optant felicitatis esse comparticipes. Quod ipsum etiam authoritate scripturæ facile comprobatur, & manifestatur: etenim Zachariæ Prophetæ cap.1. legitur v.12., Angelum oravisse apud Dominum pro populo Judaico: & lib.2. Machabæorum cap.3. qui jam migraverat Jeremias Propheta pro populo civitateque sancta Jerusalem orare continuo narratur; Et iterum Jobi cap.12. dicitur: *clama*, si forte respondeat, & re-

ver-

vertatur aliquis Sanctorum ad te; sed nec tantum obsecrant illi pro nobis, & orant, sed eorum efficacissimæ sunt apud Deum orationes, & valent egregiè: hoc enim habent a Christi Salvatoris oraculo, qui sic promisit, & dixit ad eos: *amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* Joann. cap. 16. v.23. quæ Christi certe promissio nullis coarctatur, nec temporis, nec loci limiribus, sed universim, & indefinite sic pro isto, ac futuro seculo, sic pro valle hujus miseriæ, ac pro beatorum spirituum, & felicitatis loco debent intelligi.

Cum verò Sanctos invocamus, & obsecramus, ut orent, & interveniant ipsi pro nobis ad Dominum, nihil omninò honori Christo mediatori hominum, ac redemptori debito, nec dignitati detrahitur, aut imminuitur a nobis; nec enim sic a nobis illi coluntur, & adorantur, ut Deus; nec salutis nostræ profitemur eos, aut habemus authores, gratiæque quam imploramus originem, sed utique ut fratres nostros, ejusdemque Domini conservos invocamus, quaque jam valent apud illum gratiam, & familiaritatem agnoscentes, & venerantes nos ipsos in nobis, & coram Deo deprimimus, & humiliamur, indignosque nos ipsos arbitrati, qui prodire ante conspectum Altissimi, Deique oculos audeamus, petimus ut advocatos, mediatoresque se habeant nobis, ut eorum orationibus ignoscat nobis, & indulgeat Dominus, nostrisque clementer occurrat ipse necessitaribus: mediatores eos porrò nullatenus agnoscimus, & habemus, quo Christum modo: Longè quippe nobiliori ille modo totius humani generis unicus ipse mediator fuit, & ad majora datus, ut Deo scilicet reconciliaret homines, & iram ejus ab eis averteret, ut unus ipse proprio sanguine debita nostra lueret, & persolveret, idque nullius, cujusquam alterius, sed propriæ virtutis, & dignitatis meritorum titulis: quare non intercessor tantùm Christus est pro nobis, & patronus apud Deum, sed refugium, bonorumque omnium nobis author, & largitor, qui & ipse nos a malis liberat, & peccata remittit. Sancti verò omnes, ut quam nobis omnibus generalem operatus est hominum salutem, & Singulariter obtineamus orationibus suis juvant, & prosunt, non suis tantum, sed Christi præsertim meritis fulti: nam etsi sua nobis illi velint esse communia, partirique merita saluti nostræ comparandæ inefficacia forent, nihilque juvarent nisi Christi meritis, & virtute fulcirentur, factisque ultrò nobis, & illis a Christo promissionibus erigerentur; Ut ergo sic illi nostri sint in cœlo mediatores voluit Deus, & illos orationes nostras intelligere, scireque quæ nos hic indigemus omnia sibi forsan Angelorum ministerio a Deo revelata: uti dictum Augustino de cura pro mortuis cap.16. Angelorum opera Deum audire vocem, orationesque Martyrum, atque juxta illud Joann. Apocal.8. v.4. *ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*.

At cum virgo Sanctissima Maria Deipara sit omnium Sanctorum ipsa sanctissima, Deique majestati proxima atque gratissima, erudire nos voluit Ecclesia, favore ejus nobis, & gratia plurimum opus esse in his, quæ ad salutem nostram assequendam spectant, & conservandam impetrandis intelligens, quo nos instituit, doctrina Catholica Virginem hanc orare continuo sanctissimam, omniumque Sanctorum matrem præstantissimam; quippe quæ vera Christi Jesu Dei Sancti Sanctorum, bonorumque nostrorum omnium originis Mater, & Virgo simul est, hancque tenere nos, & assidue recitare cupit oratiunculam *Ave Maria &c.*, quæ, uti verba sonant, ipsa salutationem habet, & encomium, felicisque nuncii, sive læti, bonique verba sunt Evangelii: encomiastica illa est oratio, eâ cum & Virginis præcellentia Matris extollatur, & Filii ejus Dei sublimitas celebratur, & illa quæ gratiâ repleta est, Dominumque suum

intra se complexa, demum & quæ super omnibus mundi mulieribus est a Domino benedicta laudatur, & Christus qui fructus ejus ventris fuit benedictus, desideratusque gentium, cujus & generationem omnes expectabant gentes, præstolabanturque temporalem, qui solus conterere potuit, & contrivit serpentis caput, in quo, & per quem omnes erant acceptura nationes e cœlo benedictionem, & salutem consequuturæ; Hunc autem benedicti ventris fructum confitentes, & benedictum consequenter, & misericordiæ jam tempus advenisse profitemur, dies nobis advenisse salutis, & gratiæ, deturbatum Satanæ regnum, disrupta peccati vincula, solutumque legis antiquæ maledictum, devictam mortem, hebetatum illius aculeum, spoliatas inferni regiones, & potestates, & adductam demum in terras nostras justitiam sempiternam, inventam nobis esse benedictionem, reseratas vitæ portas apertosque cœlos, completa Sanctorum veteris testamenti Patrum desideria, & suspiria, quibus hanc ardentibus optabant gratiam votis; qua nos frui tandem, & gaudere datum, pro qua sic & ingrati nos erga divinæ clementiæ majestatem, ut ingredienti ad nos vitæ mox adversis peccatorum nostrorum telis aditum præcludamus pravis adhærentes viis nostris, morarique cum morte, quam oblatam accipere vitam eligentes, & contenti. Eja, charissimi, vivificanti, vivificatorique spiritui intimæ fores animæ vestræ pandite; Etenim ubi gratiam ejus experti gustaveritis, exulabit a vobis illico quicquid in vobis aditum ei præcludebat; peccatum scilicet odio prosequentes implacabili. Christum, uti Joannes Evangelista dixit cap. 1. venisse redemptorem in mundum, ut hominibus *daret potestatem filios Dei fieri*, statim addidit, & Deum metipsum factum hominem, *& Verbum caro factum est*, inquit hac inefabili scilicet, & hypostatica unione qua vere dicitur verus Dei filius, qui verus homo: parum est homines adoptivos fieri Dei filios, qui si non fiant, hominum non Dei culpa contingit; quippe cum a Christo *potestatem* habeant *Filios Dei fieri* divino illius obsistunt, & contranituntur ultro spiritui; nec eo volunt uti prævalereque se beneficio, sed esse gehennæ filii malunt, & Diaboli membra; idque tanta pertinacia, & protervia, ut & apud omnes haberi se tales, & audire gestiant.

Sequitur in ea oratione *Maria*, quod quidem adeo præclarum est, & sublime nomen, utque nuncupantur eo mulieres summa præ ceteris, & corporis, & animi puritate nitere debeant, & castitate. De Alphonso sexto Rege legitur is, qui Toletum expugnavit, & Mauris eripuit, quod cum orbus uxore priori defuncta factus Regis Hispalensis filiam nomine Zaydam secundis duxisset nuptiis, eaque Christiano ritu lustralibus tingeretur aquis, Mariæ nomen illi imponere visum, cui mox obstitit, & contradixit Alphonsus omnino religione ductus, & adjecit se nolle sibi conjugem hujus nominis, quod hoc ejus uno audito nomine continua in eam reverentia teneretur, nec conjugali cum ea familiaritate gauderet, & necessitudine.

Subditur, & eo vel solo titulo Virgo commendatur, *gratia plena*, nempe quia gratiæ in Sanctos omnes derivatæ, & distributæ hanc in unam confluxere Virginem; hanc Isaias olim, ea, quam votis ardentibus postulabat a Deo, petitione, justus ut ad terram mitteretur Isaias:46. v.25. plurali numero nubes appellavit corpus illius, & animam intelligens, ut judicaret hanc alio longe quam ceteræ, quæ jure liberorum mulieres, sui fore Matrem Filii modo. Uno quippe omnes concipiunt, ac gerunt utero, hæc anima simul concepit Filium interius, & subinde sicut genuit intemerato Christi corporis materiam e suo purissimam opera Spiritus Sancti conformando subministrans; Hac scilicet de nube vere dici posse vi-

videtur, quod in facris litteris Act. cap. 1. v. 9. de nubibus Christum ascendentem in cœlum fubducentibus dicitur, quem ab oculis Apostolorum fuscepere: Dei namque Filium nubes ista Virgo fanctissima Maria fuscepit ab oculis Angelorum, ut eum exhiberet oculis Filiorum hominis. O nubes vere benedicta, & lucida cæcas peccatorum nostrorum abige nubes. Tu vere nubes, quæ Divinitatis folem obumbrans, & fole ipfo fplendidiorem effecisti diem. Longius ista fane recedit a ceterarum natura nubes: quæ enim obducunt hîc folem, & interponuntur ei, radios illius, & micatus obtundunt, & reprimunt, ne nobis fulgeat; hæc ex adverfo foli cum interponitur Divinitatis, nufquam fic rutilat, & fulget nobis, nufquam abundantius fuorum in nos donorum emittit radios Deus, quam cum ad ejus obtutus hæc fistit, apparetque nubes. Nubes cum ingravefcens, & denfa aëre movetur, in aquam folvitur, aridamque irrigat humum, fic Maria nubes, quæ gratia facta est gravida, ubi devotionis nostræ pulfatur âura, donis diffluit, & gratiarum imbribus arentes irrorat animas. At non hæc ambitionis flatu, vel inanium fecularium que concupifcentiarum æstu, ventoque commovenda nubes, ut gratiis imbrefcat, & diffolvatur; fed pietatis, & devotionis otiis, atque favoniis excitanda divinæ nos ultro dedentes, committentefque voluntati, finceroque, & intimo dolore cordis prioris vitæ peccata plangentes, & pœnitentes quam utique, dum hac vita vivimus, agere folliciti fimus, cum a morte nullus exinde fuperfit pœnitentiæ locus.

Qui figlinum finxit opus crudum figulus quamvis femel, iterumque frangatur, & conteratur nullo faciliori negotio vertente rota restituit illud, ubi vero camino coctum, & induratum duxerit, fi femel allidatur, conculcetur, nullo remedio reparari poteft, fed eft in fruftra comminuendum construendis tectis addicenda: fic qui nos hic in terris agimus, quæ patriæ nobis & habitationis loco mortali hoc corpore, dum animam detinemus, & complectimur, fi lethali forfan illa femel, aut iterum impegerit, allidatque crimine, facile reparatur, levique converfionis aura, fufpirio, confeffione, vel ipfius invocatione Virginis emendatur, & in integrum exurgit: at illa cum exhalaverit, & migraverit e corpore, fi femel ad peccati filicem alliferit, nulla reparari arte poteft, & remedio, miſereque illa periit in æternum in inferni barathrum detrudenda, & ceteris adjungenda pereuntibus. Num audiftis aliquando dicere de perditis illis hominibus ad inferna prolapfis Machumete, Luthero, hifque fimilibus: vide quam illi modo fide, virtutibufque destituti Theologicis non aliter etiam num appellentur, ac fuperfint, quam ut numerum augeant damnatorum.

Quare jam ferio peccator attendat pereunti fibi remedium effe promptiffimum, atque præfentiffimum: dum hac mortali vitâ vivit contritum animæ vas ex integro reftituere in promptu illi eft una converfione vitæ. Hæc vero converfio fit, dum longius a femetipfo recedit, & ad Deum propius accedit, & fugit. Ingens animæ certe labor eft ad feipfam ire: vilem enim, ut ajunt, ille Dominum habet, qui alium a fe non habet, peffimeque regitur, qui proprio tantum obfequitur, & imperatur arbitrio. In prima olim unius ex creatione orbis non priùs fibi complacuiffe dicitur Deus, quàm cum hominem condidit, ut hinc homo difcat nullibi horrendum fibi, dum ad Deum ipfe perveniat, nec in alio fibi quopiam, quàm in Deo complacendum; Hominem ad feipfum ire, feipfum quærere, ad rem omnium eft ire viliffimam, ad cloacam, & fentinam malorum omnium, ac fordium ire, ad obfcenitatum omnium fetentiffimum ire gurgitem, & colluviem a fpurcitiarum in corde computrefcentium inexhaufta fcaturigine, quæ fi confef-

fio-

sionis remedio non evomat ore peccator ad Deum conversus certissimam afferre necesse est animæ pestilentiam, atque perniciem. O si cordis oculos aperire vacat omnium, quam inferre sibimet homo possit ultimam & maximam esse miseriam, atque perniciem facili negotio, charissimi, deprehendemus hanc, ut sibi sufficere putet, seque ipso contentus vivat, nisi adfuerit ejus auxilio Deus. Quem putatis esse hominem nisi vacuum omnibus, & indigentem, quam & ipsissimam egestatem, atque penuriam? Vis ire inficias? Vitales ipsos quibus alitur, & consistit attende spiritus, quorum vi temperarentur impetus, & comprimerentur a Deo moderante, cibum esuriei, sitique potum, ac refrigerium elargiente, num actum tibi videtur de homine? Numquid non intelligitis, qui pro perituris hujus seculi rebus adeo estis solliciti, & laboratis miseri hac ipsa vos accusare rerum anxietate, vestramque publice sic profiteri pauperiem, & egestatem, qui nec iis indigere vos erubescitis qui sic mundum peragratis egeni, seu stipem ostiatim in mundo mendicantes, idque non quo, qui mendicare solent, nomine vel gratia Dei, sed tui. Nunc ergo vos fratres, qui vel ipso corpore, concupiscentiisque vestris egenos vos experientia comprobatis, & miseriarum acervum ipsam egere Deo animam intelligite, & ad illum a vobismet egressi revertimini, qui unus eam, qua verè consistat, & vigeat implere potest gratia sua, uti ab illo Virgo sanctissima Mater ejus facta est *gratia plena*, quam ideo tu cum Angelo confiteris gratia plenam, ut ab illo tandem obtineatis, quæ cum cetera simul elargiri solet omnia bona Dominus, ac infundit, ipseque vobiscum habitet Deus, uti cum Maria fuisse profitemini dicentes: *Dominus tecum:* O si tu frater intelligeres, cum hæc verba profers *Dominus tecum*, quam dives ille sinus, in quo Deus habitat, atque hinc tibi tanto, tamque felici potiri consortio subiret animus, si te privatum eo perspiceres, & hoc tibi miseriæ, calamitatisque saltem accidisse corde doleres, & fleres certus horum alterutrum tibi necessario sustinendum, nec dari medium, nempe ut apud te maneat, & corde tuo habitet Deus, vel Dæmonium: tecum sit Dominus, vel Diabolus. Meditare præterea, quæ ad Mariam Angelus addit sanctissimam, *benedicta tu in mulieribus*: hoc est ut benedictionibus illa repleatur a Deo, & gratia cumuletur plus omnibus hominibus, plus denique puris omnibus, & quibuscunque creaturis gratiæ capacibus quantis seu sanctitatis, seu meritorum gloriæ commendandis: has enim illa sive corporis puritate, sive animæ sanctitate, & majestate longe superat, & præcellit in conspectu Domini, quæ Virginitatis insignito fulsit privilegio, matrisque simul cumulata fuit honorario imperio, utrobique sic a Domino benedicta, nobilitata, & exaltata. Laudatur insuper hæc Virgo sanctissima, quod sit *benedictus fructus ventris sui*, nempe Christus Dominus Jesus benedictus, atque Messias ille, Deique vivi filius, a quo nobis fons vivus emanat, & inexhaustus omnium benedictionum, & gratiarum: Ille quippe ipse est, qui thesaurum hunc inscrutabilem, in quo sunt absconditi thesauri omnes scientiæ, & sapientiæ Dei reseravit nobis, in quo etiam habitat plenitudo Divinitatis substantialiter ipse est, qui ante omnia factus est, per quem, & in quo facta sunt omnia, cujus virtute creata consistunt, nutuque reguntur omnia, qui, & caput est corporis sui, quod est Ecclesia, de cujus plenitudine nos omnes accipimus, & ad nos derivant fluenta gratiarum, qui demum & nobis est via, veritas, & vita. Dicitur autem hic redemptor noster Christus ventris Virginis fructus, quia omnis arbor e fructu dignoscitur, adeoque, qui Virginis intelligere voluerit dignitatem, attendat ad ejus quem ab ea collegimus fructus excellentiam, & boni majestatem, extolletque mox illam cum Angelo dicens: benedictus fructus ventris tui, ceu Proverbiorum cap.31. v.16. extol-

tollitur: *mulierem fortem quis inveniet*? Vis excellentiam ejus aperiam? Hisce duobus abundarem consilio: *procul & de ultimis finibus pretium ejus*: procul, & de longinquo sanctitas allata Mariæ Virgini Deiparæ non uti quibuscumque sanctis aliis, sive qui pridem extiterint, aut in posterum surrexerint mere creaturis, quibus non procul advenit, sed a prope sanctitatis illis est decus: omnes enim quocumque tandem illi privilegio conspicui peccato fuerunt originali, cum conciperentur, obnoxii, fueruntque filii iræ, & inimici Dei, priusquam in Matris utero sanctificationem acciperent, & nascerentur. At verò sanctissima Virgo statim a conceptione sua divinæ gratiæ præventa est aura, ut ex eo non jam dicatur iræ, sed Dei filia, atque dilecta, & probata, a Deo inhabitata, & visitata, templum Dei, & habitaculum Spiritus Sancti. Viden ut a longe acceperit hæc Virgo a Deo dilecta præ sanctis omnibus, ut esset sancta, ut esset fortis, & generosa; sed hæc illi non procul modò venit sanctitas, sed & *ab ultimis finibus pretium ejus*. Duo namque dicuntur ultimi fines, creatorum omnium unus, qui & idem homo est, ad quem scilicet, & quæ creavit Dominus referantur universa: alter verò finis ultimus qui & hominis proprius, intellectualiumque creaturarum omnium est Deus, in quo, ceu in centro, conquiescant illæ omnes supremum illud intuentes bonum, & fruentes. At si tibi divina hæc dicerentur oracula, scis quæ, & quanta hæc Virgo sit? Duobus ex ultimis finibus pretium ejus intelliges, quæ divinam, humanamque simul est enixa personam, quæ cum omnium in se finem complectatur creatorum, nempe hominem, & Deum simul, qui finis hominis est, & creaturarum ultimus, ejusdem unitate suppositi comprehendit, quo certe sensu Virginem extollere cupiens Evangelista Matthæus cap.1. dixit, *de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*, hoc est unicum humanæ, divinæque naturæ suppositum; Quodque sublimis adeò sit, & ineffabilis ista generatio suum orditus est ab ea Matthæus Evangelium dicens: *Liber generationis Jesu Christi*; Quæ verba magnam in se emphasim habent, & sensum; ac si diceret librorum inter se magnum est discrimen, differtque longe liber a libro; Librum namque Moyses edidit, & scripsit, cujus titulus est *Genesis*, quod interpretatum *Liber* est in quo de universarum creatione, creaturarumque fusè disserit generatione; meus at hic liber longe eo præcellit, & sublimiora tractat; quare & ita lubet eum inscribere: *Libar generationis Jesu Christi*, cujus ut vobis tituli pateat sensus, & excellentia attendite, Deum se triplici modo creaturæ dare participem, & communicare; naturaliter scilicet, et supernaturaliter, demùm et hypostatice. Ac primò quidem creaturis irrationalibus seipsum Deus naturaliter effudit, ac communicavit quasdam eis tribuens, infundensque proprietates naturales, quæ quoddam in se haberent sanctissimæ Triadis vestigium, cujus et homini naturalem indidit imaginem. Supernaturaliter autem ille se creaturis participem voluit in modum objecti beatifici, creaturam scilicet intellectualem, ac rationalem ad se superno gloriæ lumine elevans, ut bujusmet objecti intuitiva visione, fruitioneque divini, beatitudine potiretur, qua tamen unus peressentialiter, et vere beatus ex visione Deus: haud aliter ac si Rex aliquis, supremusque princeps sibi quempiam adscisceret eodem, quo se ipsum intueretur Rex, et una secum Regem ipsum intuiturum speculo. Quod et voluisse videtur in Evangelio Deus, cum apud Mat.hæum cap.25. v.27. sic dixit: *serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*: ac si diceret, veni intra, quo ejusdem objecti visione, fruitioneque beatus sis, qua tuus ipse Deus, et Dominus per essentiam, et a semetipso beatus est. Idipsum et voluit Petrus epistola 2. cap.1.v.4. gratulatus fidelibus, et Christianis, qui a Deo gratiam, et *omnia divinæ virtutis suæ* accepissent dona, *ut per hæc efficeretur*

fice-

ficerentur divinæ consortes naturæ eidem accumbentes cum eo mensæ, iisdemque gloriæ deliciantes epulis. Demum hypostatice se creaturæ communicavit Deus, cum unam eandem personam, & humanæ simul voluit esse naturæ personam, & divinæ, idemque prorsus utriusque suppositum, Deum esse & hominem. Hanc vero nec humano fatu, nec cogitatu, capiendam ineffabilem unionem nobis expressit Apostolus Paulus ad Philippenses 2. v. 6. sic de Christo dicens, quod cum in forma Dei esset, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quod utique commisit Lucifer furtum, & sacrilegium cum *similis esse* voluit *Altissimo*, sed cum ipse Deus esset altissimus *humiliavit semetipsum*, *& exinanivit formam servi accipiens* nostram indutus humanitatem, ipsumque Dei suppositum idem, & servi, sive hominis personam faciens.

Advertendum & præterea in sacris litteris créaturam omnem hominis appellatione venire, & intelligi, uti Gregorius habet super Matthæi caput ultimum Homilia 29. hæc Evangelistæ verba tractans, & exponens: prædicate Evangelium omni creaturæ, quo (inquit ille) verbo intelligitur *homo*, ad quod alludens fortè Philosophus ait, hominem esse creaturarum omnium epitomen, vel compendium; qua propter & a Deo conditæ prius omnes creaturæ, quam plasmaret hominem; ut ex iis collectis omnibus mundum & inde novum conderet, & abbreviatum, in quo uno naturæ coirent omnes, & convenirent, sive corporea, sive intellectualis, unaque simul haberentur anima vegetativa, sensibilis, & rationalis. Quare ponderanda valde Marci verba *prædicate Evangelium omni creaturæ*, quibus Deus ipse præcipit, & prædicationis summopere commendat mysterium, ac si clarius, & præcise diceret, attendite vos a me prædicatum homini singulariter electos, & missos, quem tanti proinde facio, ut omnis a me craturæ nomine nuncupetur, ac revera sit, cum & quæ partita singulis omnium in eo uno, quæque coaleant propria. Idipsum voluit Christus, cum Joannes 12. v.30. dixit *ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum*: hoc est cum exaltatus a terra fuero, crucem, seu cathedram conscensus, humanoque generi passione mea prædicavero, *omnia traham ad me ipsum*, hoc est hominem ad me pertraham, quo uno cetera complectuntur.

Notandum tertio Deum assumendo hominem per verbi divini incarnationem omnibus una se supremo modo communicasse creaturis, cum hac unione cuncta fuerint elevata, & consommata, sive Angeli, sive homines, sive cœlestes aliæ quælibet creaturæ, vel sublimares & corporeæ, animatæ, vel inanimatæ. Nec enim Angelicam ille si naturam assumpsisset, corpoream, terrestremque pariter elevasset creaturam; sed humanam dum assumpsit, quamlibet una naturam elevavit, quod omne coalear in homine creaturæ genus: esse namque ille habet cum lapidibus, vivere cum plantis, senrire cum brutis, intelligere cum Angelis: & hoc haud dubio dicere voluit Apostolus, cum de Christo loquens cap. 1. v. 10. ad Ephesios ait, Patrem Domini Nostri Jesu Christi *instaurare omnia in Christo quæ in cœlis, & quæ in terra sunt*. Quod adhuc evidentius alia translatione manifestavit, quæ dicitur ibidem Deus in Christo cuncta collegisse, & coacervasse; in eo namque quicquid in cœlo, vel in terra creatum est adunatur, ac una quicquid increatum dicitur, hoc est Deus ipse, coaluit: sicque ille vere omnium est consummatio compendiosa, qua cum creaturis unum est Deus; cujus consummationis meminit Isaias cap. 10. v. 22. dicens *consummatio abbreviata inundabit justitiam, consummationem enim, & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet, in medio omnis terræ* inexhaustus erumpet gratiæ rivus: ad quod alludens Joan-

Joannes cap. 1. v. 16. dixit: *nos omnes accepisse gratiam, de ejus plenitudine:* hæc illa porro est *omnis*, cujus cum Propheta *vidit consummationis finem* Psalmo 118. v. 96. ad Deum ait *latum mandatum tuum nimis*, quibus ille nobis indicat verbis, se in visione prophetica perfectissimam hanc creati vidisse consummationem, illiusque finem intellexisse: nimirum ejus passionem, crucem, mortem, descensum ad inferos, resurrectionem a mortuis, ascensionem in cœlum, & ad patris dexteram sessionem, qua recreatus ille visione continere præ gaudio non potuit, quin exclamaret, & diceret, legem sub qua vivebat ille sexcentis licet præceptis gravem unico sibi constare mandato visam, eamqne quantumvis aliis asperam, durumque onus in humeros hominum, ut Petrus ipse confitetur art. 15. v. 10. *quod neque patres nostri, neque nos portare potuerimus* imponentem unum sibi nihilominus videri *mandatum latum nimis*, onusque leve, & suave.

Hac supposita Theologia exponenda nobis est Evangelistæ Matthæi supra jam allati tituli vis, & exordii quo dicitur: *Liber generationis Jesu Christi*. Hoc in Mosis libris præcellit exordio, quod sic ordiatur *Liber Geneseos*, quia nimirùm eo de naturali Dei tractat communicatione, qua & creaturis se communicavit irrationabilibus naturales eis infundens qualitates, quibus aliquod appareret sanctissimæ Trinitatis vestigium, & homini, Trinitatis ejusdem in eo obumbrans imaginem. At in hocce Matthæi libro de temporali Christi Jesu Dei, hominisque veri generatione dicitur, qua se Deus unione supernaturaliter, & hypostatice communicavit homini; Deo namque facto homine creata simul eodem uno coeunt cum increatis supposito; quodque Deo proprium est, & singulare elevato, consummatoque commune sit universo, qua ex unione consequitur, ipsum homini communicari beatitudinis objectum, simulque ad eam quæcumque necessaria sunt, ut Joannes loquitur cap. 1. v. 14. ubi cum aperuisset, quo modo *Verbum Dei caro factum est* mox subdit: *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Nemo quippe hominum, ex quo sumpsit orbis exordium ad gloriam evectus, vel salvus factus est nisi per Christum, & virtute, meritisque Christi, quia ab illo tanquam a capite, & origine in omnes gratia derivavit. Viden ut emphatice loquitur Evangelista Matthæus, suumque orditur Evangelium cum dicit: *Librum generationis Jesu Christi* temporalis, qua Deus scilicet omnibus eximie se communicat creaturis naturaliter scilicet, supernaturaliter, & hypostatice; naturaliter quidem cum unus sit cum homine, in quo Deus ipse creatum adunavit omne, cui & sanctissimæ Trinitatis vestigium impresserat: supernaturaliter etiam, ut hoc indicatur Verbo *Jesus*, idest *Salvator*: demùm & hypostatice, quod innuit vox illa Christus hoc est homo Deus, seu Divinum, humanumque suppositum. Ità ergo rem ut concludamus, extollitur a nobis Virgo sanctissima *a fructu ventris sui benedicto* cum ex ea natus sit Jesus Christus, qui cujuscumque creati, vel increati compendium est, & abbreviata consummatio. Sed advertenda, qua hic utitur Ecclesia Rhetorica, quia nos primo docet, extollere Virginem, & laudare, subindeqne rogare illam, & flagitare dicentes: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus*, quæ licet eadem a nobis fieri possit, & sæpe fiat etiam aliis omnibus petitio Cœlitibus, ac Sanctis, nulli tamen, quam Virgini matri convenientiùs fiat; Est enim illa Deo cunctis acceptior, atque apud illum potentior, uti Bernardus habet *totum quippe voluit Deus* (inquit ille) *nos habere per Mariam*, qui per illam, & voluit nos donorum omnium maximum accipere Jesum ejus Filium Deum factum hominem, qui sic ergo illam compellamus *Mater Dei*, ut & pro no-

nobis adsit coram unigenito Dei filio pariter & suo, rogamus eam, utque sinus illi suos expandat, & ubera castissima, quibus ablactavit eum, & misereatur super nos, misericordiaque motus erga peccatores advocatum eum habeamus apud Patrem, quem tandem ille placabit repansis ad ejus aspectum latere suo lanceâ transfixo, manibusque suis, ac pedibus clavis confixis, fusoque demùm in humani generis salutem in cruce sanguine; placatusque demùm æternus Pater ad hæc tanti erga nos amoris filii sui monimenta, quod rogamus, & indigemus benignus indulgebit, gaudebimusque pietatis interveniente matre, quod optabamus, & saluti nostræ quærebamus opportunum, & necessarium obtinuisse.

Addimus denique *nunc & in hora mortis nostræ*: Est hic advertendum hoc a nobis Ecclesiam velle, ut totum id, quantum hac vita vivimus, tempus unum, ac leve momentum, unamque dumtaxat horam habendum esse, proinde pudendum nobis hoc æternitati præponere quod attendens Paulus *gloriatur in tribulationibus*, *& superabundat gaudio in omni tribulatione* quam pro Christo patitur, certus *id*, *quod in præsenti momentaneum*, *& leve tribulationis suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari*: 2. ad Corinthios 4. v.17. scienſque tribulationes hujus seculi licet in se leves, & exiguas vim tamen habere maximam, æternamque promereri gloriam, seu gratiam in hominibus a Deo diffusam, quæ cum in se finita sit, suisque coerceatur ipsa limitibus infinitam in se vim, virtutemque complectitur, quæ nobis æternitatem, quam ea possumus promereri consequitur. Docet nos etiam Ecclesia his verbis *ora pro nobis nunc*, *& in hora mortis nostræ* Virginis auxilium tunc implorare, ut advertamus & confiteamur hanc mortis nostræ horam (tempus etsi vitæ reliquum pro momento, ceù pro nunc instanti dumtaxat habere nos intelligamus, & fateamur) eam esse vitæ nostræ supremam, summopereque pendendam; Ecclesiæque mentem eam esse octoginta, nonagintaque, vel centum & ampliùs annorum, quo vita decurrit, spatium, ceù momentum, instansque nunc unicum a nobis habendum esse brevemque hanc, qua cum morte luctatur homo, morulam, ac afflat animam unius horæ spatio metiendam, & ponderandam tot scilicet momentorum numero gravem: quo nobis illa tremendum illum memoriæ commendare nititur, & revocare mortis transitum ut Basilius habet, etenim quos hic patimur, quibus & angimur in hac vita, labores, & angustias, si cum anxietatibus, & mortis agone componantur, uno sunt illa momento pensanda, hæc verò, vel horæ saltem integræ momentis pluribus metiendæ spatio ponderanda, atque idcircò David psalmo 48. v.25. mortem cum damnatorum acerbo confert inferni pabulo, sicut (inquit) *oves*, *in inferno positi mors depascet eos*: ac si vellet æternos, horrendosque cruciatus eorum deglutiendæ morti propè similes.

Sed & hoc præterea nobis indicat, & tradit Ecclesia, non nostram hujus esse vitæ horam, sed mortis; vitam enim nobis proprio Christus sanguine comparavit, eam ut in ejus impendamus obsequium; at vero mortem hæreditario jure nobis vindicamus, totaque nostra est, nostramque ille esse voluit, à qua nobis æternæ salutis, perditionisve momentum penderet, atque idcirco Joannes ait Apocal. 14. v. 13. *Beati*, *qui in Domino moriuntur*, in ejus amore scilicet, & gratiâ migrantes è vitâ, quia videlicet operibus abundant bonis, quibus comitati decedunt: *opera enim* (inquit) *illorum sequuntur illos*. Atque hic certe juvat unus bonorum operum, non frequens ille famulorum, pullatorumve comitatus, aut feralis pompæ, mundique vanus, ac superbus tumulorum apparatus, ut in au-

aulam æterni Regis admittamur, æternæque vitæ felicitate gaudeamus: vera igitur nostra mors est cum in ea positum sit omne, quod habemus, speramusque bonum, cum thesauros illa nostros vere custodiat, ab eâque pendeat unâ, æternùm ut egeamus, & pereamus. Væ enim illis, qui non in Dominó moriuntur, sed Diabolo: quæ enim operati sunt opera Diaboli, dum viverent, sequentur eos & cruciabunt in inferno. Quare interest omnino, charissimi, ne torpeamus hîc otio, sed expergiscamur, & in hujus mortis, hæc quando nostra est, horam colligamus, & congregemus opera bona, sapientem audiamus Proverb. 24. v. ultim. 34. qui mortem cursorem dicit, egestatemque nostram, & mendicitatem, quæ ad nos veniat *quasi vir armatus*; *Parum (* inquit*) dormies*, *modicum dormitabis*, *pauxillum manus conseres ut quiescas*, *& veniat tibi*, *quasi cursor egestas*, *& mendicitas*, *quasi vir armatus*. Quæ verba (sacro ut e contextu patet) de eo, qui in peccato moritur, intelligenda sunt, cùjus mortem cursori similem facit, quod illi repentina, cursuque veloci, ac pernicibus advolet alis, curasque ei graves pariat, & angustias: quod impiis maxime, peccatoribusque singulare, qui cursorum instar cum caduca sequuntur, & temporalia pernices sunt, & alacres, cum æterna prosequenda, & cœlestia pedibus, manibusque deficiunt. Peccatoris vero propriam ait egestatem, & mendicitatem: quicquid enim hîc peccator habet precario dumtaxat habet, & possidet, sive divitias, sive paupertatem obtineat, non a se, sed ab alio, casuque id habet: fortuiti namque casus est, forteque fortunâ plerumque contingit homini, ut vitâ cadat, famaque, & opibus; interdumque fit ut ab altissimâ pauperie, & egestate rerum ad opulentiæ, prosperitatisque culmen inopinati perveniant. At vero, quæ in morte quis gaudet, opulentia, vel inopia, vere sua est non aliena, vel precaria, nec id fortunæ casuique debet, sed sibi non a læto rerum id pendet eventu, vel alienæ potestatis est, ut eâ fraudari possit, & orbari; Sed sua quæ secum tollit moriens bona Christianus opera, thesaurus illi sunt, quem deprædari fur nullus, quantumcumque solers, & potens, & eripere possit, aut parenticida. Quæ vero mala suæ salutis osor, & incurius peccator habet moriens tam sua sunt, ut nulla redemptione vel gratiâ solvantur, & auferantur: atque adeo, quæ morientem eum manet, bonorum operum inopia, propria dicitur egestas, & mendicitas peccatoris a Scripturâ Sacrâ recte nuncupatur.

Sequitur tandem hoc verbum *Amen*, quod præter alia, quæ significare dicitur, interpretatur *fiat*: hoc est quod a te postulatum in oratione, Dominæ concedatur, & fiat, quod ad omnes, quas ad Deum Ecclesia fundit orationes, addere solet, forte ut in memoriam nobis revocet, quæ tanta contulit olim omnipotens hoc ipsum loquutus verbum *fiat*, & ab eo recipimus hoc verbo beneficia. Hoc enim uno verbulo Pater æternus olim divino mediante verbo, virtuteque Spiritus Sancti mundum, & quæ in eo sunt condidit universa, dictoque *fiat* mox ea facta sunt: fiat lux, inquit ille, & facta est lux: fiat firmamentum, fecitque Deus firmamentum, idque hoc uno verbo *fiat*. Postmodum autem a Deo jam conditi deviantes a recto, vitæque viis erravimus ac misere perivimus, iterumque eodem hoc ipso verbo *fiat* sumus a Deo reparati; Hoc uno scilicet a Virgine nuntianti Angelo reddito verbo *fiat* quo Patris Æterni suscepit in utero, concepitque Verbum, a quo nobis bonum omne fuit, quod idem verbulum adeo frequenter usurpat, & repetit in gratiarum actionem: quod Deo nos velit agere gratias assidue, nec dum cum munificus nobis est, & ab eo quid accipimus; sed & cum sua nobis aufert, & substrahit munera,

grati namque officium animi est, suum non modo cum accipit, sed etiam cum acceptum reddit agnoscere largitorem, & beneficum.

Quæ autem hic habemus omnia, dum vivimus Deo scilicet largiente recipimus, & benefico, proinde cum repetit, illi sunt a nobis etiam cum gratiarum actione restituenda.

Finis Tractatus Octavi.

TRA-

TRACTATUS NONUS

De Oratione ad B. Virginem, quæ incipit: *Salve Regina &c.*

CAPUT UNICUM.

Brevis expoſitio Orationis: Salve Regina &c.

HAnc nobis orationem in Mariæ laudem inſtituit, & edidit pia mater Eccleſia patrocinium ejus imploratura, ac primò quidem *Reginam* ſalutat, & vocat, cum clamat *Salve Regina:* idque jure ſane, cum ea merito *Reginæ* nomen uſurpet, quæ cœli, terræque Dominum edidit, ac enixa eſt Regem; vereque illa *Regina auſtri* dicenda, ut enim ajebat cap.5. v.2. Habacuc: *Deus ab auſtro veniet*, hoc eſt ex aprico, calido ſcilicet, & irriguo, humidoque loco: Quod Mariæ perbelle congruit, & accomodatiſſime, quæ charitate flagrat, & ardet, fluentiſque gratiæ ſemper eſt uliginoſa, & humida: quare & in ſacris litteris colli figura nobis illa repræſentatur, & nomine; Nempe caput Eccleſiæ Chriſtus, & noſtrum, qui corpus ejus nos, & membra ſumus; at Maria collum, qua ſuo hæc hæreant membra capiti, quæ pro illis ad eum intercedat. Ut ergo homini vox pendet a collo, vel jugulo, ſic per Mariam acceſſum habemus ad Deum, & loquimur; neque enim alius nobis ſuppetit opportunior, & ſecurior ea quæ a Rege poſtulamus impetrandi, modus, quam Reginam inducere Mariam, & habere mediatricem. Hæc etiam illa dicitur oratione *Mater miſericordiæ*, quia & Dei mater eſt, qui *Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*: adeoque recte nobis Maria ſit, & vere dicatur juſtis quidem *Mater gratiæ*: peccatoribus vero nobis *Mater miſericordiæ*. Ut enim collo caput inſidet, & in corpus inclinat, ſic & Chriſtus Redemptor, & caput noſtrum per Mariam in miſericordia ſua ſe præſtat inclinem ad nos, & preces noſtras. Utque per collum in membra caput influit, unoque aſpirat corpus, & reſpirat collo, & jugulo; ſic nos per Virginem a Chriſto ſalvatore, & capite vivificos haurimus, & accipimus gratiæ ſpiritus, & influxus, ipſaque tubus, & fiſtula nobis, ſive collicia qua derivetur, & eliciatur ad nos: per ipſam in anguſtiis, & laboribus noſtris ad eum in amaritudine animæ noſtræ reſpiramus, & ſuſpiramus: per ipſam, ceu collum & jugulum auræ cœleſtis amœnitatem aſpiramus, & refrigeramur. Exinde *Vita* nuncupatur, quod idcirco dicimus, quia per illam, quæ benedicta eſt a Domino fructum vitæ communicavimus, & accepimus. Tum & *dulcedo*, quæ Verbum ſcilicet æternum e cœlis attulit, & mundo intulit incarnatum, quod in ore noſtro factum eſt ſicut mel dulce, quo ſuper mel etiam amariſſimi dulceſcant nobis, & ſapiant labores noſtri, tribulationes, & anguſtiæ. *Spes* que *noſtra* dicitur a nobis, & ſalutatur, quod in ea ſpes noſtra omnis poſita ſit, & fiducia; quodque per eam Chriſtus Redemptor noſter homo factus, ſimiliſque nobis natus eſt, datuſque nobis, quem Pau-

Paulus beatam ſpem dixit, & appellavit. Spem quidem habent hujus ſeculi homines, & non beatam habent, ſed plerumque falſam, & inanem, plerumque doloris eis, & amaritudinis fomitem, quam ſi quando illis & conſequi detur, optatiſque frui, eo tandem illi deveniunt, ut ſpem vere non beatam, ſed infauſtam habuiſſe dicamus, nec proinde illi beati dicendi ſint, ſed infelices, & miſeri, quod non raro illis contingere perſpicimus. Nonnunquam enim accidit, ut qui diu, multumque ſollicitus Epiſcopatum ambivit, eo tandem ut potitus eſt, tunc ei vires evaneſcere incipiant, eique & dentes in ore deficiant, quibus offam, & cenſum liguriat, internuſque ſtomachi calor emortuus ingeſtas nauſeat, & rejiciat epulas, moxque mors illi ingruat, ut ex hoc illi doloris ſit incrementum, ſpem eſſe ſe conſequtum, quod nec ea male frui liceat, & tempus deſit. Merito igitur a nobis Virgo noncupatur *ſpes noſtra*, quæ & in ſacris litteris typice dicitur, & *pulchræ dilectionis mater*, *&* *ſanctæ ſpei*: dicitur & *ſpes noſtra* cum ea Mater ejus ſit, qui pro nobis omnibus natus eſt, in quo benedictionem acceperunt ab exordio mundi gentes omnes, & in quo generis humani ſpes omnes poſitæ ſunt: adeoque recte jureque dicitur *ſpes noſtra* iis, qui matrem eam ſciunt, & credunt ejus, qui vere ſpes eorum eſt, filii, cum in mundum allatam hanc ſpem ſuam acceperint a Virgine. Quæ certe verba devota mente penſanda ſunt, & ponderanda nobis, qui beatam hanc ſpem, quam veteris teſtamenti Patres ſancti tot votis, & fomitibus petebant, & expectabant, aſſequti ſumus. Quod expendens Bernardus ait, erubeſcere ſe, confundique cum noſtram, hujuſque temporis tepiditatem, & frigiditatem cum ſanctorum prioris teſtamenti Patrum ardore componeret, quod nil magis dolendum ſibi videretur, probroſumque nobis eſſe puraret, quam eos intelligere in adventum Domini fuiſſe accenſos, & inflammatos, tamque ardentibus eum, concupiviſſe deſideriis, nos vero, quibus ille jam venit, quibuscum converſatus eſt, qui contractavimus eum, myſteria illius apprehendimus, accepimus, iiſque fruimur; qui legem ejus, Evangelium, & ſapientiam audivimus, adeo degeneres, & ignaros eſſe omnibus prope Chriſtianis etiam num adeo carnaliter, & ſine Deo vitam agentibus, ac ſi ſuis ille promiſſis nondum ſtetiſſet, & impleviſſet, ſi natus ille Redemptor noſter non adveniſſet, ac ſi necdum regna cœlorum patefacta nobis. Si denique nondum ille pharmaca Sacramentorum inſtitutione curandis infirmitatibus noſtris exhibuiſſet, & antidota. Iterùm additur *Salve*, hoc eſt tibi ſit a Deo ſalus: hac uſus eſt eadem Angelus Gabriel ad Virginem ſalutationis formula, cum eam Dei nomine ſalutaturus adiit, *Ave* quod idem eſt, ac cuſtodiat te Deus, ut ſalvet te Deus, quo certe ſalutationis genere nulla mulierum legitur olim ante Virginem ſalutata, nempe quæ nobis eum, qui pax vera, ſalus, & protectio futurus eſſet paritura.

Sequitur *ad te clamamus exules filii Evæ*, *ad te ſuſpiramus gementes*, *&* *flentes in hac lacrymarum valle*. Qui ſupplex accedit ad aliquem petiturus, vera fari neceſſe eſt, ut impetret; eo vel maxime ſi certo ſe ſciat apud quem orat, in mendacio deprehenſum iri. Nec enim dubitaverit ſi deprehenſus, ſe non id tantum quod flagitabat impetraturum, aſſequturum, verum & ab illo graviter accuſandum, objurgandumque, & emendandum. Jam ergo nos ad Mariam, qui *clamamus exules filii Evæ*, an ita ſe res habeat inquiramus. Scrutetur quiſque ſemetipſum, ſuæque ſiat ipſiuſmet inquiſitor conſcientiæ, ac forte an mentitum ſe deprehenderit. Quamvis enim hic exulent, ſic tamen illi tranquille ſe habent, & caute, ac ſi in civitate permanenti agerent, & patriâ, nec de futurâ quicquam ſolliciti, quæ manet eos æternùm, vitâ: ſic illi ſalutis incurii, & oblivii:

vii: sic seculi vivunt hujus anxii: sic denique concupiscentiarum suarum implendarum, & affectuum amici, ut in hac valle miseriæ clamantes in suburbanis deliciari palatiis, aut rusticari videantur. Cum tamen eis nihil omnino proficiant Sanctorum orationes, nisi Christiane vivant, & pie, sinceroque convertatur a peccatis, & iniquitate suâ dolore cordis, & pœnitentiâ: audiant illi, quæso, quid apud Jeremiam in id loqutus sit Deus cap. 15. v. 1. postquam ad iracundiam provocatus est Dominus adversus populum suum propter iniquitates ejus: *si steterit* (inquit) *Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, eiice illos a facie meâ:* idest si rogaverint me Moyses, & Samuel pro populo isto, haud dubio non exaudiam eos, & parcam ei propter iniquitatem suam: quantumvis ambo Moyses, & Samuel amici Dei, & magnæ apud illum auctoritatis. Itaque qui supplices ad Mariam confugimus nos, & *clamamus exules filii Evæ, qui ad eam suspiramus gementes, & flentes*, ut sit nobis refugium cordis nostri, oculos, & mentem, quam dudum adversam habuimus a Domino, & ad vilem deflexímus humilemque creaturam, tandem erigamus, & convertamus ad Dominum, quo vere jam nobis ejulare licet ad Beatam Virginem: *eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte*. Advocatam eam dicimus, ceu per antonomasiam. Tres enim optimo cuique conditiones necessariæ sunt advocato, & patrono. Primo nulla sit ei cum adversario societas, & necessitudo, ne doli sit, prævaricationisve suspicio. Dein ut apud judicem auctoritate valeat, & gratiâ, qui cum fiducia coram eo compareat. Demum ut in partem cui patrocinatur, intimo propensus sit cordis affectu, ut ad commodum ei procurandum amore feratur. Quotquot in hac valle lacrymarum exulamus, adversus principes tenebrarum harum, nempe Diabolum, & Angelos ejus asseclas litigatores astutissimos iniquissimosque litigamus, ac contendimus; atque adeo patrono nobis opus est apud Deum, hanc qui litem nostram promoveri, tutarique causam valeat, nec hercle commodiorem nanciscimur, aut oportuniorem, ac Mariam Virginem. Etenim internecinas, & immortales illa cum adversario nostro Diabolo gerit inimicitias, vel teste Deo, qui futurum ita promisit; *Inimicitias ponam* (inquit) *inter te, & mulierem* Genesis 3. v. 15. utique non qualem tu decepisti, & subvertisti veterator, & nequam, ignavam, pusillanimem, infirmam, & amentem Evam; sed validam, strenuam, & sapientem: *& ipsa* (inquit) *conteret caput tuum*. Insuper est apud judicem acceptissima, ejusque Mater est, cum blandiri solet, quam libenter audit, amorisque ipsam compellare nominibus his *amica mea, columba mea* non dedignatur: atque ut non verbo tantum, sed opere, munerumque largitate Dei probatur amor prædilectam omnibus, & prælatam a Deo Mariam evidenter inferimus, quæ præclariora, copiosioraque tulit ab eo dona & munera. Cum opulentus quis horrei sui triticum, & annonam in amicos, aut vicinos usque domesticos elargitur, & dividit, ad cadum, & libellam, eis infundit, impartiturque dona sua, ubi autem in rem suam, ususque proprios erogat, gentilibusque suis distribnit, nec cado utitur, nec flabello, sed abundanter effundit, large, & sine mensurâ congerit, quantum satis sufficit. Sic utique divinâ factum sapientia ea, qua in suos usa est bonorum, & gratiarum petitione, & largitate; sanctis namque suis ceu amicis gratiarum quidem suarum copiam fecit, sed ad mensuram, ac pro sanctitatis suæ, charitatisque modo: Mariæ vero Virgini, ceu domesticæ, gentisque suæ, & Matri copiosam, & totam effudit gratiæ suæ plenitudinem, nempe quæ tanti largitoris Matri congrueret, deceretque dignitatem. Denique ipsa amat nos, amoreque Matris malis facile com-

compatitur nostris: quo circa virgam eam Scriptura Sacra vocat, & virgulam: hæc scilicet vel leviter tacta digito curvatur, & flectitur, sic Maria flectitur, & incurvatur erga nos ad levissimum devotionis in eam nostræ contactum, & pulsum: ideoque sic eam Ecclesia compellat, & orat: *eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*: in quo dumtaxat benedictionem omnes accepimus, quem in cœlo contuentes hominem nostræ, & salutis omnium authorem, simulque Deum vivum, nobis perennis vitæ fontem, & originem, æternis quæ speramus, & optamus, tandem gaudiis perfruemur. Sed advertendum hic ut Mariam flectamus, & inducamus pro nobis intercedat, & oret, nos ei ventris sui fructum in memoriam revocare, & commemorare nomen ipsius, addentes Jesum, quod unum Dei bonitatem, & misericordiam indicat, atque complectitur, quæ scilicet attributa duo ceteris, quibus immensum illud exundat perfectionum pelagus omnibus emicent. Hoc enim nomen *Jesus* interpretatum *salvator* dicit, quod ut impleret nomen immensa bonitate nobis sua contulit dona, divinâque nos, & infinitâ peccatis absolvit, redemitque misericordia. Hinc & propter eximium istud, quod in orbem attulit Christus beneficium *oleum effusum nomen hoc suum* in canticis asseritur: in omnem enim terram, & in fines orbis diffusum est divinum hoc, & suave Christi Jesu nomen, qui terram penetravit, & usque ad inferiores terræ partes, & inferos descendit: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris*. Sed & usque ad cœlos pervasit, exhalavitque nomen illud Jesus, cujus & virtute divina steterunt, ut Bernardus ait, & præservati sunt in cœlis Angeli. O quam magno appenditur, quamque vili simul constat pretio nomen istud: magno scilicet, quia summi valoris est, & infiniti pretii: vili tamen constat, & nihili, quia sicut Propheta dicit, gratis, & propter nos, qui viles, ac nihil sumus, *sicut aqua effusum illud est*, effusumque salutare fuit nobis, qui de ejus accepimus effusione, & plenitudine: denique, ut ait Apostolus, *porro sicut oleum effusum est nomen istud*, quia sicut ignis incendit oleo, flammescit, alitur, lucitur, & crescit; sic per hujus nominis Jesu diffusionem, & prædicationem illuminatur orbis, flammescit anima, divinaque vocantis inungitur, & impinguatur gratiæ suavitate; in hujus nomine *de tenebris nos vocavit Deus, nunc autem lux in Domino*: ad Ephesios cap.5. v.8. Quare & Act.9. v.13. præcepit Dominus Paulo, ut prædicaret, *& portaret nomen suum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel*, qui erant in tenebris: quibus proinde dicebat *nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Alimur etiam hoc nomine, & confirmamur, corroboramurque: num & tu frater, cum *hujus* te meminit novas induis vires? Quid amabo, mancipatos ejus obsequio sensus potentiùs acuit, & excitat hoc nomine Jesu? Quid eo fovet & corroborat efficaciùs virtutis pios affectus, & animi? Hujus oleo deficiente nominis arescit, & contabescit anima nostra, hoc nisi sale condita nauseat, & desipit illa. Si te ad scribendum accingis, sanctumque Jesu nomen non præmiseris male tibi scriptio cedit; Si ad colloquium concertationemque te vertas, Jesuque nomen hoc sanctum apud te non insonuerit, & auditum fuerit, nil a disputatione frugi reportas. Jesu nomen mel est in ore, symphonia in aure, jubilus in corde. Quis non emolliatur, & liquescat a facie radiorum hujusce nominis tam salutiferi? Quis tam amaro animo langueat, & ad hujus nominis non exiliat, ac tripudiet in Domino pronuntiationem, subitusque non eum invadat gratiæ, consolationisque motus? Quis inter angustias,

gustias, & discrimina positus hoc invocato nomine metum non ponat, & resumat animos? Quo circa verè dictum Prophetæ psalmo 49. v.14. *invoca me, in die tribulationis eruam te, & honorificabis me*. Iræ jugulat & comprimit impetus hoc benedictum nomen: superbiæ tumores deprimit, vulnusque sanat, fluxum luxuriæ coercet, ignem extinguit, & incendia concupiscentiæ, sedat accensam avaritiæ sitim, sordes abluit & abigit peccatorum atque colluviem.

Cum ergo nostris insonuerit auribus hoc Jesu nomen, hominem nobis ob oculos habeamus mitem & humilem corde, benignum, prudentem, castum, misericordem, virum denique omni sanctitatis, & honestatis genere præstantem, et eximium, Deum ipsum pensemus omnipotentem, qui suo nos et exemplo sanat sancios, auxilioque debiles corroborat: hæc enim audito sub nomine Jesu subaudiuntur, et complectuntur omnia, ab hoc quippe nomine Jesu, quo resurgamus, et reformemur, habemus exemplum: ab eodem omnipotenti Deo, quo juvemur, et roboremur accipimus auxilium. Hoc in nomine Jesu latet electuarium omni suavissimorum aromatum specie conditum, ad omnes animæ morbos opportunum; Quare semper id in ore nostro sit, et corde, ut ad Deum omnes sensus nostri cogitatus, et opera dirigantur. Ideo namque hortamur, ut ad illud collimare studeat cor nostrum, sicut sagitta tendit ad signum. Tulit olim Judæa quidem nominis Jesu indigitatos homines, quibus et tamen frustra gloriatur, nec enim iis illuminata, sanataque illa fuit, quæ prope fame confecta est, tenebris sepulta jacuit plusquam Cymmeriis, et palpabilibus, dirisque tot afflicta languit malis, donec ad aures ejus verum hoc Jesu nomen pervenerit, huncque regnare regem intellexerit in domo Jacob, et ad ultimos usque terræ fines. Elisæi baculus super mortui faciem pueri positus fuerat, nec vocem mortuo reddidit, nec sensum, nec animam: nempe quia nihil ille, quàm baculus erat. Descendit ad nos verus Elisæus, incubuitque, & incurvavit se supra nos, et calefacta est caro nostra, virtuteque sua mortuo vitam reddidit, et salutem populo suo, oleum effusum est nomen istud, et pharmacum contra quoscunque morbos efficacissimum. Oleum est, quod in peccatorum nostrorum plagas infunditur, ac dolorem sedat: cum enim variis, dissimilibusque mundus hic teneretur infirmitatibus varia fuerunt & adhibita remedia: effudit namque Deus *spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis*, demum & *spiritum timoris Domini* Isaiæ cap.7. v.2. quæ numero septem specie distincta sunt pharmaca, & amuleta humano generi jam mortuo suscitando parata juxtà Bernardi mentem, qui sub hujus ab Elisæo suscitati pueri, cui septies insufflavit adumbratur typo. In infirmum ergo genus humanum, vulneribusque confossum lethalibus, oleum infudit salutare tàm pretiosi nominis sui; infudit & vinum, sed modicum, quia sic infirmo, sic & morbo convalescenti, ut justitiæ superabundaret misericordia. Quid aliud, quæso, spiritus est sapientiæ, & intellectus qui nos illuminat, quàm oleum? Quid & scientiæ & pietatis, quid consilii spiritus est, quàm oleum, quo omnes illinimur, ungimur, emollimur, illuminamur, & erudimur. Quid demum aliud, quàm vinum spiritus fortitudinis, & timoris Domini? Viden ut in vulnus nostrum plus infundat olei Deus, quàm vini? Quid hoc est, nisi voluisse eum misericordiam prævalere justitiæ, vel ut Jacobus ait cap.2. v.3. misericordiam superexaltare judicium? Atque idcircò Jesus in spiritu fortitudinis ad inferna descendit, & in spiritu timoris, ut timeretur a malis, adoraretur a bonis: descendit & ille ad nos, ut ægris mederetur animabus in spiritu scilicet salvatoris medicus, præceptor, remunerator, & glorificator noster, qui *coronaret nos in misericordia* per omnia com-

patiens super doloribus, & infirmitatibus nostris. Consequenter & meritò Mariam rogantes, ut *illos suos misericordes oculos ad nos convertat*, fructum ei ventris sui coram interponimus, objicimusque Jesum, oleum effusum quo illuminamur, inungimur, alimur, & roboramur in hac valle lacrymarum positi, quo illa stella matutina horridas nostræ mentis illustret tenebras, suaque Jesus immensa misericordia rigidum cor nostrum emolliat, sua & nostras abigat, sublevetque miserias gratia, debilitates sua confirmet, roboretque fortitudine, tristitiam exhilaret. Quapropter iterata petitione dicimus *o clemens*, *o pia*, *o semper virgo Maria*. *Amen*. Hac voce *Maria* clauditur Ecclesiæ petitio, quæ lingua Hebræa interpretatur *Stella Maris*: eaque de causa eadem Ecclesia Mariam in hymno compellat hoc titulo dicens: *Ave Maris stella* quia sicut stella corruptionis expers suos emittit radios, sic Maria Virgo intemerata nullam integritatis minutionem passa peperit filium suum unigenitum Dei filium. Hanc adumbravit ænigmatica stella Jacob a Balaamo Num.24. prædicta, cujus fulgoribus orbis terræ faciem illustrabat omnem. Stellam eam maris nuncupat, quæ polaris est in supremo cœli, ceteris splendidior: sic Virgo beata Sanctis omnibus supereminet, & hominibus, & Angelis, vicina Deo: Hæc enim stella ceteris est fulgidior cum omnes charitate superet creaturas, & claritate. Stella, in quam, est quæ quantumvis parva sibi sit, in oculis Dei maxima tamen est, & primæ magnitudinis, unicaque benignos ab illo nobis haurit, ac emittit donorum, & gratiarum influxus, quibus cum illa feramur ad optata gaudia, & transeamus a claritate in claritatem, ad lucem inaccessibilem, qua fruitur, videlicet qua Virgo miratur, & stupet divinæ maternitatis suæ dignitatem, & majestatem.

FINIS LIBRI PRIMI.

CA-

CATECHISMI,
SIVE
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
LIBER SECUNDUS.

Quo faciles, & compendioſæ collationes, & exhortatiunculæ ſpirituales complectuntur a Parochis, & Rectoribus in ſuis Parochiis, & Eccleſiis ad ſubditam ſibi plebem, & Parochianos diebus Dominicis, Feſtiſque per annum præcipuis habendæ.

Prioris verò Libri Doctrina Christiana diebus ceteris Dominicis, aut feſtis, quibus hoc ſecundo ſingularis nulla fuerit aſſignata collatio, recitabitur, aut perlegetur.

COLLATIO PRIMA, SEU PARÆNESIS.

In prima Adventus Chriſti Dominica.

HOdie, chariſſimi, ſequentibuſque ad natale Domini diebus Dominicis, ſublime, ſtupendumque celebrat Eccleſia Divini Incarnati Verbi myſterium, cum ei placuit e cœlo in terras deſcendere, & in utero Virginis pro ſalute noſtra carnem aſſumere, & noſtram induere mortalitatem. Quod autem hoc maximum ſit omnium, quæ nobis contulit beneficiorum origo, fons, & fundamentum, ideo ſingulari nobis commemoratione, majorique ſolemnitate celebrandum, ideſt ferventiori. Cum enim agendis pro tanto, tamque ſtupendo beneficio, Deum ſcilicet pro nobis hominibus factum hominem quantas debeamus congeſtis gratiis, vel recolendo eo, nec anni curſus, nec vitæ vel per ævum duraturæ decurſus integer ſufficeret; hoc leve ſaltem paucorum dierum, & menſis unius ſpatium, qui natalis ejus diem præcedunt, hujus commemorationi myſterii nos impendere jubet Eccleſia mater, quo per illud & gratiarum actionibus inſtemus, & piis in illud ineffabile myſterium affectibus. Quapropter eadem ſancta mater Eccleſia quatuor hiſce, quæ Domini natale præcedunt, Dominicis, precibus, & Officiis Eccleſiaſticis perquam devotiſſimis ad amoris affectus, & gratitudinis erga tam ſancta myſteria nos excitare nititur, dum hæc tam ardentia nobis exhibet ſanctorum veteris teſtamenti Patrum deſideria, & ſuſpiria, ut hanc, qua potimur, a Deo gratiam impetrarent, uti quæ pridem Eſaias cum fletu, & fervore dixit c.16. v.1.: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ, qui tollit peccata*

 mundi

mundi, *deletisque peccatis feliciter est regnaturus super cordibus filiorum hominum*. Et hæc item, quæ David in eodem spiritu protulit dicens: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, *& salutare tuum da nobis*: psal: 84. vers.8. Sic in hujus Dominicæ missæ exordio, sive introitu, quæ audivistis ipsa, quibus David ipse Propheta generis humani personam assumens ardentissime Deum exorabat, ut veniret ad salvandum hominem, & liberare a captivitate de manibus inimicorum suorum, Diaboli videlicet, peccati, mortis, & concupiscentiæ, carnis, & mundi dicens: *ad te Domine levavi animam meam Deus meus in te confido non erubescam* (fraudatus scilicet a petitione mea) *neque irrideant me inimici mei*. *Etenim universi qui te expectant* (seu sperant in te) *non confundentur*: *Veni Domine de cœlo in terram homo factus*, *& vias tuas demonstrà mihi*, *& semitas tuas edoce me*, *quo tam intricato*, *procellosoque hoc in mundo non impingam*, *cauteque ambulem in viâ Regni cœlestis*, *& salutis*. Hæc scilicet missarum exordia, quibus & consonat egregie quæ mox sequitur collecta, verba sunt hæc: *Excita Domine potentiam tuam*, *& veni*, *ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi*, *te liberante salvari*. His scilicet & hujusmodi verbis antiqui illi veteris testamenti Patres adventum Domini præstolari testabantur. Qua de re Bernardus hujusce temporis hominum erubescere frigiditatem ajebat, cum ardens illud priscorum Patrum & flagrans expenderet desiderium, pudendumque magis nihil putare nobis, quam eos ardentiores fuisse in adventum Domini futurum, quam simus nos in præsens, ac præteritum. Demum his acceptis Evangelicæ doctrinæ mysteriis etiamnum adeo turpiter, & carnaliter vivere Christianos, & Deum oblitos, ac si nondum in terram ille descenderit, nec mysteria regni cœlorum nobis patefecerit, ac si sanandis peccatorum nostrorum vulneribus, & emundandis Sacramentorum pharmaca non instituerit. Quocirca tantam Christianorum segnitiem, ac socordiam ferre non valens Ecclesia, pestilentemque veternum eorum hunc excutere cupiens, qui nec in lucem, quæ venit in mundum oculos intendunt, nec ad illius modum vitam instituunt, uti sese per baptismum obstrinxerunt, sed potius in peccatorum sordibus, ac tenebris volutantur, & cæcutiunt, præcones ad nos mittit, ac feciales duos, Lucam quidem Evangelistum alterum, qui supremi nobis interminatum judicii diem, tremendumque, alterum filii hominis Dei futurum in hunc mundum adventum exhibent, quando suprema die sedebit judicaturus omnes gentes. Qui porro Domini adventus idcirco in mundi fine futurus, ut reddat unicuique juxta opera sua, perficiatque regnum suum. Expectatur ab unis, & speratur, timetur ab aliis. Nam boni quidem omnes, verique Christiani sperant, & optant; vereantur serviliter, & horrent mali, falsique christiani fide vacuâ sine operibus nudi, quos accusat conscientia mala, tristeque fore prævidet in die illâ, quod exponens Augustinus ait, bonos hunc adventum Domini præstolari, & ad eum se præparare, ceu casta solet, honestaque mulier, absentem quæ præstolatur avida virum, quem scilicet non veretur ut veniat, sed ne non veniat anxie timet, & moritur, quia magno tenetur ejus desiderio. Malos autem adulteræ similes ait, quàm longius absente viro tota suis intenta pravis amoribus, & obscænitatibus reducem expavescit, optatque ne revertatur ad eam. Sic certe anima Christiana Christi vere sponsa charissima, quem unum amat, ac diligit, non spurcas, & viles mundi hujus illecebras, sponsi sui reditum ardenti præstolatur animo, quando supremâ illâ die revertetur, & veniet accipere sibi regnum, suos ille liberaturus est amicos, & electos ab universis corporis, & animæ culpis, & miseriis. Atque

Atque illud ipsum juxta nonnullos Patres, quod in oratione Dominica postulamus, cum dicimus: *adveniat regnum tuum*: ac si diceremus cito transeat, quæso, Domine mundus iste nequam, & finem accipiat peccatum; fulgeatque libertas, & gloria regni tui; atque idcirco præconem ad nos mittit alterum Ecclesia, Paulum videlicet, quem epistola loquentem audistis, & clamantem in missa: *Fratres hora est jam nos de somno surgere*. Expergiscimini propere, ut quid etiamnum culparum vestrarum somno sepulti jacetis, nec expergescimini? *hora est jam de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*. An nescitis, quia propior est nostra salus quam iis, qui venturum olim Dominum expectabant, jam non tempus in peccato stertendi: *nox præcessit, ignorantiæ*, scilicet iniquitatis, & socordiæ, *dies autem appropinquavit justitiæ, Christus Jesus apparuit nobis filius Dei mundum illuminans, & inflammans: abjiciamus ergo opera tenebrarum*, nempe peccatorum, *& induamur arma lucis, & indumenta, sicut in die honeste ambulantes, non noctе, non carnis curam perficientes in desideriis, non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum*: Hæc ad vos in epistolâ.

Rom. 13.

In Evangelio vero de portentosis, quæ supremi judicii sunt præcessura diem, signis agitur, de quo tremendo judicis adventu, quo vel tepidi illi, segnesque Christiani, qui nec eo pervenêrunt, ut hunc anhelent, & sperent adventum, exhorrescant saltem, & metu contremiscant salutari, quem emendatio prioris vitæ sequatur. Sic autem exorditur hoc in Evangelio Dominus: *Antequam judicaturus in fine seculi mundum adveniam erunt signa in Sole, & Lunâ, & Stellis, quæ densissimis offundentur tenebris, nullaque prorsus* affulgebunt luce, & in terris pressuræ gentium, in mari etiam horrendæ consurgent, & inauditæ tempestates præ confusione sonitus maris, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione malorum ingruentium sibi, & futurorum quæ supervenient universo orbi. *Tunc* (ait Christus) *videbunt filium hominis* (idest Virginis) *venientem in nube cum potestate magna, & majestate*. His autem, filioli dilectissimi mei fideles, & veri Christiani fieri incipientibus ne timueritis, quin respicite, & levate capita vestra, confortamini, & estote robusti, quoniam appropinquat redemptio vestra, qua nulla vos attingant in posterum mala, vel miseria, ab arbore fici discite parabolam: *videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei: amen, amen dico vobis non præteribit generatio hæc donec omnia fiant; cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Has, quæso, dilectissimi domum repetentes adeo tremendas minas alta mente repositas habeatis ex omnibus recitati vobis Evangelii, quas audivistis modo, voces: *tunc videbunt omnes filium Virginis venientem in nube cum potestate magna, & majestate*. *Ecquis* (ait Malachias c. 3. v. 2.) *poterit cogitare diem adventus ejus? Ecquis stabit ad videndum eum*, ipse enim quasi ignis conflans apparebit, & devorans, nempe quod sicut electis humanitatis Christi Redemptoris sui jucundius nihil erit obtutu, sic iniquis, ac reprobis horrendum nihil, tremendumque, ac intolerabilius vultus irati judicis aspectu; meritoque Hieronymus olim auribus suis quotidie, singulisque horis vocis illius a tuba elangorem insonare dixit, surgite mortui, venite ad judicium. Qui tot dissimulavit illatas a nobis injurias, & culpas, qui tam patienter quotidie sustinuit, ac tulit inultas offensas Dominus, tunc haud dubie non obmutescet, non dissi-

dissimulabit, non continebit iram suam; sed ut Augustinus ait, in die illa constituet te ante te stare, teipsum ut intuearis, & videas. Quamdiu hic eras in seculo temetipsum projeceras post dorsum tuum oblitus ipse tui totus in mundi vanitatibus, & illecebris prosequendis occupatus, & inebriatus adhærebas parum, & nihil sollicitus quantis animam tuam denigrares, contaminaresque sordibus, & maculis, quibus eam consoderes, perimeresque lethalibus peccatorum vulneribus. Tunc autem hæc omnia tibi coram objicientur crimina quantumvis illa fuerint gravia, vel levia, ut vel otiosa dicta, vel cogitata in rationem adducantur, & revocentur, probrofeque pœnis addictus æternis in inferni barathrum detrudaris, non ideo tantum, quod male egeris, & crimen admiseris, sed quod reatum, & sordes a te contractas fuso tibi Agni immaculati Christi Jesu Redemptoris sanguine neglexeris eluere, quem sic conculcasti, & despexisti, qui nec Sacramentorum, quæ ille instituit, uti lavacro voluisti, nec ad eam, quam baptismo professus es regulam componere te, vitamque instituere curavisti. *Irritam quis faciens legem Moysi* (inquit Paulus ad Hebræos 10. v.28.) *Sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto majora putatis, gravioraque mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est per baptismi lavacrum, & regeneratus*. Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo. *Math.* 24. *v.*30. vexillum Crucis ea die palam omnibus expandetur in horrorem, desperationemque malorum, maxime vero Christianorum, quæque Christus in ea pro nobis excepit vulnera eorumdem exbibebit oculis peccatores arguens, & ingratos increpans. Ecquid pro vobis, o miseri, vestraque salute superest obeundum? Quo tandem ulterius mea possit erga vos attingere superius infinita charitas, & misericordia? Ut quid immensis hisce misericordiæ meæ thesauris non utimini? Sanguinis mei prętium, tantos denique, quos pro vobis in Cruce, & Passione tuli cruciatus, ac mortem ipsam vobis ipsis non fœneratis? Nunc ergo qui spretis misericordiæ donis thesaurizatis vobis iram meam, *discedite a me maledicti in ignem æternum*, ubi repositum habebitis quem coacervastis vobis iræ meæ, furorisque thesaurum: *discedite*, inquam, *a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*. Matth:24. v.41., ac si diceret ignem hunc recte non vobis ego paraveram, sed Diabolo. Nunc autem quando sic voluistis, & elegistis, ite cum illo. O Deus omnipotens, & supreme creatorum Domine numquid tibi satisfuerit hos a te si abire coegeris? Minime. Sed *discedite a me maledicti in ignem æternum*. Verum, o Domine, quo tandem usque vis eos in ignem abire a te? forte ne ad annorum decies, aut centies mille? non ita plane, sed in ignem æterum abeant arsuri. Jam ergo, Domine, qui nos a te perpetuo projicis, & in ignem æternum detrudis, quibuscum ergo nobis erit ibi consortium? forte, & illud fuerit, a quo solatium aliquod, tantarumque levamen expectandum sit nobis miseriarum? *Discedite cum Diabolo, & Angelis ejus*. Quapropter in Christo, filioli mei, ab hac tam horrenda, si vobis est animus fugiendi, sententia, hanc oblatam vobis arripite misericordiæ morulam; in judicium vos ipsi coram vobismetipsis descendite, accusatores ipsi vestrum estote, inque vosmetipsos damnationis pœnam sumite sincera cordis contritione, oris integra, luctuosaque confessione, constantique demum emendatione vitæ. Ut enim Paulus ad Corinth:X. v.31. *si nosmetipsos, dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino*, a quo mereremur audire suavissima illa, quæ tunc amicis proferet in die illa Dominus eloquia: *Venite benedicti Patris mei possidere regnum, quod paratum vobis est a constitutione mundi*.

COL-

COLLATIO, SEU PARÆNESIS SECUNDA.

In Dominica Secunda Adventus.

SAcræ sunt, ut supra jam diximus, hæ quatuor ante Natale Domini dies Dominicæ futuræ illius Incarnationis mysterio, & in illis quatuor ad ejus adventum suspirat assidue mater Ecclesia, quasi denuo Nativitatis ejus in carne dies esset oriturus: adeoque missam hujusce Dominicæ orditur his verbis: *Populus Sion*, Vos o Catholici omnes, & habitatores civitatis cœlestis Jerusalem audite, & attendite; *huc Dominus*, & salvator *veniet ad salvandas gentes*, *& auditam faciet Dominus vocem gloriæ suæ in lætitia cordis vestri*. *Qui regis Israel* Dux Populi tui fidelis æterne Deus, intende super nos; *qui deducis* velut *ovem Joseph*, populum tuum, accelera ut adjuves nos. Nos quasi erraotes ambulamus oves in hoc seculo; Tu nobis Pastor esse digneris; Veni & ad amoris illa pascua perducas. In collecta verò sic loquitur Ecclesia: *Excita Domine, & accende corda nostra ad præparandas unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur*. His videlicet hodie missam inchoat Ecclesia verbis, quibus, ut perspicuum est, ad hujus in carne adventus filii Dei nos excitare nititur amorem, atque desiderium verum. Cum non omnes a tam gravi somno facile expergiscantur, & a via sua mala recedant, interiusque cor suum emendent, ac purificent, quo Dominum ipsum, tam suavis adventus ejus memoriam recensentes, suscipere mereantur. Ideo nobis etiam hæc ipsa Dominica tremendum ejusdem, & alterum in memoriam nobis revocat Domini adventum, quando scilicet in die suprema judicare venturus ille est omnes gentes: atque hujus adventus epistola meminit hodierna die nobis proposita; præsertim autem hebdomadis Evangelium præteritæ de eo loquitur, quibus certè fideles hortari nititur Ecclesia priorem ut ejus adventum sibi velint, & satagant salutarem; quando pro modo lucti ex primo suscepti, nec sententiam judicii simus in secundo ejus adventu recepturi, ac pro modo bonorum operum, quæ primi illius adventus operante gratia protulerimus, certa nobis spes, in secundum ejus adventum posita sit, & fiducia, atque de ea certe loquitur Paulus epistola vobis in hodierna missa decantata, qua nos ad paulò superius a se dicta revocans sic exhortatur: Rom. cap. 15. v. 1. *Fratres, qui firmiores sint imbecillitates infirmorum sustinete, & non vobis placete, unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, cum in hunc mundum venit, nec ut sibi prodesset attendit, sed nobis; & sicut scriptum est: improperia improperantium sibi ceciderunt super me*: in se suscipiens opprobria doloris, & improperia nostra, tollensque ipse scelera, & peccata nostra, ut nos eriperet a laqueo mortis, & salvaret nos. *Quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*. Quod ideo dicit, quia suadere nobis scriptura præsertim intendit, ut patientiam operemur in mortificatione veteris hominis in afflictionibus, laboribus, & tentationibus, humeris nostris assidue portantes Crucem Domini Jesu; adeò quod sicut hortatur nos, & provocat ad vitiorum, & concupiscentiæ malæ destructionem, & mortificationem, sic nos revocare satagit, & solari propositis Domini pollicitationibus, promissaque a Christo Jesu his, qui sequuntur se, portantque Crucem suam corona, & gloria. Quare & Apostolus hic addit; *Ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*: spesque regni cœlestis in no-

nobis augeatur. Quantum autem abundantiùs hac patientia quisque proficit, & consolatione, sic & ardentius expectat Filii Dei supremi judicis adventum. Utiliter præterea admonet nos epistola sic addens: *Deus autem patientiæ, & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum*. Ita in rebus fidei sit, charitatis, & pacis ad invicem: Sic scilicet aliorum res ac suas habentes, mutuoque sibi invicem compatientes. Qui virtute valent, & præstant infirmorum, & debilium, ac suis accurrant necessitatibus, & ferant; idque illis ultrò præstent auxilii, quod sibi vellent in ea necessitate positi exhibitum. Quique debiles sunt, vel in eo quo possunt minimo etiam se valentiores juvent. Denique ut alia nos hortatur Apostolus ad Galat. c.6. v.2. Unusquisque non eorum, quæ sua sunt tantum curam habeat, sed & aliorum: *alter alterius* (inquit ille) *onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: Atque hæc de hujus diei sufficient epistola.

In Evangelio verò cujusdam interrogationis occasione Joannis ipsius nomine ad Christum delatæ novum Adventus Domini ab illo met accipimus argumentum, quod sic habetur apud Matth. c. 11. v. 2. *Joannes autem cum audisset in vinculis*, Herodis utique jussu detentus, *opera Christi*, stupendaque Redemptoris nostri miracula, *mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es qui venturus es* Messias, & Redemptor noster, quem mundus expectat, *an alium expectamus*? Hic autem advertendum, amantissimi, Joannem minimè Christum nescire, dubitareque Redemptorem; nec enim istud latere eum poterat, qui palam antea jam Christum adesse affirmaverat *Agnum adesse Dei* verum, qui *tollet peccata mundi*; sed hac eum arte usum, eoque id fecisse consilio sancti Patres asserunt, ut discipulos suos in fide roboraret, certioresque faceret eos Christum vere esse mundi salvatorem, quod non satis illi compertum haberent Johanne Christum longè præcellentiorem esse magistrum. Accedentes igitur hi duo Johannis discipuli sic Dominum convenerunt dicentes; Johannes ad te nos misit interrogaturos si tu es ipse, quem omnes expectamus, an alium a te nos expectare debeamus? Dominus autem, ut ait Evangelista, priusquam eis satisfaceret plurima coram, & extemplo præstitit eis admiranda cæcis illuminatis, innumeris infirmis, variique generis promiscue curatis, ejectisque Dæmoniis; tum ad Joannis discipulos se convertens ait; *Euntes nunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis fieri, cæci vident claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*; ac si diceret Beatus qui quam in me habet propter ea quæ nunc a me videt patrari miracula, etiam & cum in passione cruciatum, & in Cruce morientem viderit, retinuerit fidem. Illis autem abeuntibus Joannis Discipulis, one & qui præsentes ejus interrogationi, legationisque fuerant auditores, levitatis eum insimularent, dubitareque Joannem existimarent, an verus ille esset Salvator mundi, quem, antequam in vincula missus ipse esset, eum palam asseruerat esse, ac confessus erat, omnibusque prædicaverat: Cœpit Jesus *dicere ad turbas* quæ aderant, *de Joanne*; vos qui nuper antequam esset Joannes in vinculis è civitatibus, & domibus vestris exiebatis in desertum audituri, & visuri; *quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam* forte videre putabatis? Minime certe; Sed columna ille firmissima verus, & integer assertor ille veritatis, & zelator qui & propter illam in vinculis est. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum purpura, & bysso?* Non hos sane intueri hæremus homines; *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis prophetam, & plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est, huc ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Duo

Duo tantum vobis chariſſimi, commendanda ſunt ex hoc Evangelio. Primum eſt ut in ferendis pro fide laboribus, & anguſtiis Joannis veſtigia libenter obſervetis, & ſequamini, ac ſicut ille nec preſſuris, nec vinculis a Salvatoris ullateous obſequio receſſit, & memoria, nec a diſcipulorum ſuorum procuranda ſalute; ſic & vos nunquam a Deo tribulationibus ingruentibus, & a promovendo ſalutis opere diſcedatis, quibus certe a veterno gravi expergiſcimini, ut & vitam ab hac vobis ſupereſſe meliorem, hancque vobis in melius emendandam eſſe cogitetis. Etenim ipſis vel inviti nos ad Deum ferimur, quibus hic in mundo malis atterimur, inquit Gregorius, menſque noſtra ſæpiſſimè proſperis hujuſce ſeculi rebus a ſpiritualibus, & æternis revocatur, & abripitur inanibus implexa, occupata, & immerſa tota mundi hujus illecebris, & cogitationibus. Quocirca (ut dixit elegantiſſime Chryſoſtomus, ſicut ſolent putare vitem, & emundare ſurculos arborum vinitor, & agricola, ne ſcaturiens humor a ſtipite frondibus inutiliter affluat, & evaneſcat, compreſſaque fructum edat elegantiorem, & ſuaviorem, ſic quibus diffluimur, & otioſis animæ cogitationibus, & affectibus immergimur, proſperitatis, & temporalis illicii frondes a nobis excutit, & amputat inutiles, ut propriis ipſi contenti finibus, anima jam in ſeipſa conſiſtens æterna meditetur, & aſpiciat, & legitimum æternitatis ac gloriæ perennis fructum ferat, & edat. Omnes quippe ſub culpæ, pœnarumque vinculis hic laboramus, & anguſtiamur, iiſque, quam corporeis Baptiſtæ longe durioribus, ſicque conſtricti; niſi ab expectato, meditatove Chriſti ſalvatoris adventu, ſeu cum primò ſalvandis, ſeu cum judicandis tandem advenit hominibus nullum omnino nobis eſt levamen, & ſolatium. Sic énim excitabitur, & creſcet intus in nobis in Deum timor, ſpes, & amor. Animâ ſi forte cæcutiamus; nimirum ille venit, qui cæcos illuminat: Si ad Dei verbum, ſalutiſque diſciplinam excipiendam obſurdeſcat auditus noſter; venit & qui aures animæ reſerat obturatas, & ſurdos audire facit; Si leproſi peccatorumque putredine tabeſcimus, & ipſe qui leproſos emundat, advenit: denique ſi jam mortui, defecitque a nobis anima noſtra, ipſe qui ſpiritus eſt vitæ, Deus venit, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit animæ ſimul, & corporis; & vitam nobis reſurgendo reparavit.

Alterum eſt, quod monere vos volo, ne ſcilicet, ut Chriſtus admonet, ſimiles arundini ſitis in paluſtribus agitatæ; merito quippe cum paludibus componitur, & aſſimilatur hominum hujus ſeculi cœtus; ſicut enim omne, quod in arundine viret extra paludem, & cœnum aſſurgit, & fulget, intus autem illa eſt vacua; ſic nitent exterius hujus ſeculi homines, vitalique caret humore interior animus, Dei ſcilicet, æternitatiſque timore, & affectu. Quicquid in illo nitet, & viget exterius eſt, corporeum, & temporale eſt, quodque mox abibit in fumum, in pulverem, & cineres; & ſicut folium, quod vento rapitur defluet, & areſcet. Sunt & illi dubio procul arundini ſimiles ad auræ levioris ſibilum agitatæ; propriis enim illi per omnia circumferuntur affectibus, hujuſque ſeculi vel illiciis, vel irritamentis, ventis utique ad diem, & horam ſibi perpetuo ſuccedentibus, viciſſimque bellantibus. Qui verò Deum colunt, ſpeſque ſuas, & affectus in cœleſtibus & æternis repoſitos habent, corpore ſunt ſolido, firmiſſimæque columnæ ſimiles nimirum, ut Pſalmiſta loquitur pſal. 44. v. 15. *Pulchritudo ejus, & omnis gloria ejus ab intus*, nec ad ea, quæ agenda ſibi ſunt, aut fugienda levioribus hiſce carnis illecebris, ſeculique fertur illiciis, aut minis, ſed firmiſſima, & incommutabili Divinæ voluntatis regula, & affectu; atque adeo illi ex hac vita migrant ad firmiſſimam, & incommutabilem æternæ felicitatis, ſupremique boni

transferuntur, assumunturque possessionem, quo & plene, firmiter, æternumque perfruantur.

COLLATIO SEU PARÆNESIS TERTIA;

In Dominicam tertiam Adventus.

HOrtatur nos, uti jam diximus, ardentissimisque nos excitat verbis sanctissima mater Ecclesia omnibus Adventus Dominicis, ac ipso in introitu Missæ, Christum ut alacres, & læto suscipiamus animo nasciturum. Hujus ergo Dominicæ missa sic orditur: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* nunc, si unquàm: *prope est enim, ut veniat Dominus* moxque venturum annuncio. Itaque videte, ut caute ambuletis, humilitate, & moderatione composita sint vita, & opera vestra; denique *modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est*. Lætamini in cordibus vestris, & non angustiamini in rebus hujus seculi. Jactate in Domino cogitationes, & sollicitudines vestras: *nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione vestra petitiones vestræ, inopia, & miseria vestra*, tribulationes vestræ *innotescant apud Deum*. Projicite eas cum fiducia in profundum bonitatis ejus, & misericordiæ, & super omnia petite, ut *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu*. Pax autem illa, charissimi, consensio est animæ cum Deo, & requies vera, ex qua oritur illi gaudium, & delectatio summa, quam qui non expertus non novit, nec scire potest, nec experiri, nisi qui mundo corde semper esse sollicitus est, & conscientia pura. Sons enim, & rea conturbata semper est conscientia, quæ nec hanc possit gustare pacem, & experiri.

Statim ab illo Missæ introitu collectam addit Ecclesia Dominum rogans, ut ad nos acceleret dicens: *aurem tuam precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia visitationis tuæ illustra*.

In Epistola verò Paulum inducit ita loquentem ad Philipp.4.v.4. *Fratres gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra*, sive humanitas, & sancta conversatio vestra, *nota sit omnibus hominibus*: at licet in ipsis missæ primordiis, & introitu, uti jam vidimus, verba hæc eadem usurpaverit: quia tamen illa sunt eruditione plena, congruum est, ut & ea singillatius exponamus. His quippe nos docet Apostolus, quomodo nos, & cum Deo, & cum proximo, & cum nobismetipsis habere debeamus. Ut cum Deo nobis optimam illam tradit, suavissimamque regulam, scilicet ut spirituali semper gaudio resolvamur, quod nec mundanum quicquam interturbare possit, & temporale. Ex eo porro gaudium illud oritur, quo anima per fidem, spem, fiduciam, atque charitatem intime, firmiterque Deo conjuncta permaneat, & inhæreat: unde & illa lætitia perfunditur inenarrabili, & in Dei laudes promptissimo fertur, & inexplebili desiderio, cum Propheta dicens Psalm.144. v.2. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi*: atque cœlestis hæc una est, ut Augustinus ait, quæ & indeficiens est æterna, imperturbabilisque quies, & delectatio, quippe quæ mundi hujus, nec in Domino sunt delectationes, nec tranquillæ, nec perpetuæ sunt. Qui enim exultat in thesauris suis, & divitiis, in honoribus, aut in deliciis hujus seculi carnalibus, nec in hoc semper, & assidue seculo gaudere, lætarique potest. Qui autem exultat, & gaudet in Domino, ab hac lætitia non est quo divelli possit, & contristari; nec prosperis, lætisque rebus scilicet,

nec

nec adversis. Scriptum est enim Psal.120. v.6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*: hoc est, si lætaris, & complaceat sibi anima tua in Domino, nil te prospera mundi movebunt, & adversa; nec in tristissima illa tot ærumnarum ingruentium die, & nocte ab hac cessavit Job sanctus interiori sua lætitia, qui sic in mediis angustiis ajebat: *si bona suscepimus de manu Domini; mala autem quare non sustineamus, sit nomen Domini benedictum*. Quid hic temporalia dumtaxat mala loquor, & recenseo. Cum nec ipsa, uti longe superant, spiritualia mala, peccataque vel graviora contritam, & in Domino confidentem animam ab hac interiori lætitia, tranquillitateque dimovere possint; Quin imo, inquit Augustinus, de peccato quod fecit, tristatur peccator, & dolet; & de ipso peccati dolore, quem habet, plurimum lætatur, & gaudet.

Quare & jure nobis hoc tam suave imponit mandatum dicens: *Gaudete in Domino semper*; lætetur anima vestra semper in Domino, nec ab hac lætitia quidnam dicatur, & fiat, quicquid acciderit, recedat cor vestrum; Sic utique nobis idem Scriptura Sacra sæpissime commendat psal.31. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde*: Et Jerem.9. v.12. *non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, nec glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire me, & nosse me*, & confidere in me. Hæc scilicet est Christiani lætitia, & delectatio vera, quique nondum eam intus animam sapit, & sentit, nec thesaurum adhuc invenit, nec religionis Christianæ medullam, & intima penetravit. Cum autem ista carnales non percipiant homines, nec intelligant, quomodo possit homo tot adversitatum, & ærumnarum impetitus viribus, & obrutus summa tranquillitate, & exultatione animæ gaudere: ideo superaddidit Apostolus in hujus quam in missa legistis, epistolæ fine: *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*. Quod sensus hominis non ex se, sed gratia Dei vim innatam superantes, & supra se rapti, & confortati non eo usque perveniunt, ut rapiant hominem in carne vexatum, & corpore posse tranquille, & hilariter spiritu vivere. Alterum quod & nos Paulus docet nimirum, uti nos erga alios habeamus, & cum proximo, cum dixit *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, quæ sic Ambrosio teste nobis accipienda, ut de civili, & politica conversatione intelligamus, optima scilicet, egregiaque virtute, qua facile possent homines amice, Christianeque cum omnibus vivere, & conversari, quæ & aliud nihil est, quàm habitus quidam, & animi facilitas, & propensio, quacum cujuslibet hominum conditionibus, & moribus inoffensa Dei lege quis optime convenit, nullum scilicet habens fastidio, sibique gravem putans, nullum non sustinens, sibi ipsi, proprioque nil commodo studens. Sed aliquando etiam juris proprii jacturam, & dispendium aliquod, ne molestus aliis, & perturbator sit pacis, libenter ferens. Hoc scilicet Paulus intelligit cum dicit: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Ergo nos ipsos, quomodo nos habere debeamus, docet sic etiam Paulus cum dicit *nihil solliciti sitis*, & angustiamini super iis, quæ indigetis, & ad vos spectant; *Dominus enim prope est, ut adiuvet*; nec otiosis vos ipsos torqueamini curis hisce temporalibus occurrere solliciti necessitatibus, & indigentiis: *Omnem* (ut Petrus habet epist.1. c.5. v.7.) *vestram sollicitudinem proiicite in eum Dominum vestrum, quoniam ipsi cura est de vobis*: Quod idem profitetur Psalmista Regius dicens Psal.39. v.23. *Dominus sollicitus est mei*: denique si quæ vos urgeant, necessariaque desint procul amandatis omnibus inordinatis anxietatibus ad orationis remedium, seu asylum recurrite, & postulate cum gratiarum actionibus pro jam acceptis a Deo beneficiis, *& in omni oratione, & ob-*

ſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Dominum: hoc unum eſt Chriſtianorum certiſſimum remedium non inanibus torqueri, detriſtari conturbarique ſollicitudinibus, aut animo deſpondere.

In Evangelio vero revocat in memoriam Eccleſia ſancta nobis præclarum illud ſancti Joannis Baptiſtæ de Chriſto proxime venturo, ſibique ipſi dato præconis ejus munere teſtimonium, ſimulque verba illius refert, quibus ut ad ſuſcipiendum venientem Dominum pro dignitate illius, & majeſtate diſponamus, nos invitat, & admonet, ad quod & narrat Evangeliſta Joannes c. 1. v. 19. Quomodo miſerunt ad Joannem in eremo prædicantem, optimates, & populus Jeroſolymorum legationem omnium ſolemniſſimam, viroſque in id elegerunt inter omnes eximios, & præcipuos, nempe ex genere Sacerdotum, & Levitarum electos, quorum ratio apud ipſos potior, & authoritas babebatur. Legationis autem hæc ſumma, conſiliumque fuit, ut eum Jernſolymorum nomine plebis, & principum interrogarent; Quinam ille eſſet? num ſcilicet ipſe Meſſias foret a lege promiſſus? ſic ſe palam indicantes vel ad unius ſui vocem & fidem, ceu talem admittere, & venerari paratos: quibus & gravem inferebant ei tentationem, vanæque gloriæ, vel honoris, & ambitus illi inane obtendebant ab eminentia dignitatis, quam in eo venerari ſi ſic ipſe vellet, & admitteret, pollicebantur. Verum ad ingruentes adverſum ſe tot auræ popularis, & mundanæ gloriæ ventos, & turbines, tamque gravi nihil tentatione commotus Baptiſta Domini Joannes, columna Dei firmiſſima, & immobilis confeſſus eſt, & non negavit, teſtimoniumque fecit veritati dicens: *non ſum ego Chriſtus*. Et interrogaverunt eum legati denuo. *Quid ergo Elias es tu? & dixit non ſum*: rurſuſque interrogaverunt eum: *Propheta es tu? & reſpondit non*: quo certe reſponſo indicabat ſe non quidem aliis etiam veriſſimis Dei ſimilem eſſe prophetis, etſi verus ipſe propheta, & pluſquam propheta: nimirum quod non venturum ipſe Meſſiam, ut illi, prædicaturus advenerat; ſed præſentem ipſum exhibiturus, digitoque ipſo populis indicaturus. Porro Legati negative ſic eum ad ea, quæ rogaverunt, omnia reſpondere cognoſcentes, interrogandoque fatigati: *dixerunt ergo ei: quis es ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo? ait*: *Ego vox clamantis in deſerto dirigite viam Domini*: ac ſi diceret: vox ego totus, nec alia mihi dignitas, aut facultates, niſi præconis, qui vobis adveniſſe mundi Salvatorem annuntiet, & ut eum digne ſuſcipiatis præparare vos admoneat, quod unum agere mihi eſt injunctum. Quo certe reſponſo maximam ille ſui præſtitit, exhibuitque ſimul, & humilitatem, & dignitatem. Quæ enim illa creaturæ major dignitas, & gloria, quam ut aliud nihil ſit, niſi divinarum vox ipſa laudum, & præco. Cum enim in nobis nulla vere ſint bona, niſi quæ Dei beneficia, haud dubie & totum, quod in nobis eſt ipſius liberalitatis, & gloriæ præconium, & vocem eſſe juſtiſſimum eſt, quod ut contigit nobis Angelis aſſimilamur, cum autem ex adverſo ſilemus, & obmuteſcimus infra creaturarum omnium ordinem ablegamur, & dejicimur.

Chariſſimi diutius immorari noſco, detinereque vos. Hoc unum, & quemque veſtrum interrogare velim ipſum, quod & Baptiſta rogatus a Judæis: *dic, quæſo, tu quis es?* Vereor ſane ne multi ſint hic, qui nunc hæreant, mihique vel reſpondere ſciant, vel quid ad propoſitum dicant de ſuis forte natalibus, & progenie, nobilitate, & opulentia præclare geſtis mira narrantes, quæ ſcilicet omnia nihil ad rem, & interrogata pertinent, quando hæc extra te non tua vere ſunt, de te hic ego quæro. Vereorque ideo, ne poſſis interroganti reſpondere de te; quia nec ipſe noſti te, nec audiſti, nec legiſti de te, nunquam intuitus es temet- ip-

ipſum, & explorasti: atque ideo quamvis plurima noveris extra te, nihil vere ſcis; quia de te nihil ſcis. Adeoque nunc ego tibi temetipſum aperire velim, ut tu tandem & quis, & quantus ſis intelligas. Nimirum tu creatura ex duplici, quod prope monſtrum videatur, compoſita: ex intellectuali ſcilicet, & immortali ſpiritu, brutoque animali coaleſcens; anima tibi prope ſimilis angelo intelligens, ratione prædita, libera, incorrupta, æterna, ad imaginem, ſimilitudinem Dei formata, quæque Deum ipſum intueri, bonorumque omnium inexhauſto gaudere, fruique foote ſit idonea. Hæc porro tam ſplendida, tam nobilis anima, tam cœleſtis in ferociſſimæ, ſpurciſſimæque belluæ præcordiis & vinculis conſtricta tenetur, & occluſa, carnis tuæ videlicet, quæ tot pravis, & obſcænis trabitur, & abundat affectibus, factaque eſt, *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. Ex quo jam deprehendas quanta laboraveris hactenus inſania, cœcitate, & ignorantia, qui cum animæ ſublimitatem, & nobilitatem exiſtimare unam, & gloriari debuiſſes, illique adeo componendæ, & ornandæ, ejuſque tractandæ ſaluti totus incumbere, omnino te ſecus babes, ſpurciſſimæque carnis tuæ placere ſtudes illecebris, atque deſideriis pravis illius obſequens affectibus, quaſque concupiſcit offerens, & fundens illi voluptates, vireſque illi ſubminiſtrans adverſus ſpiritum, quo tabeſactus ab illa veneno deficiat, æternumque pereat. Corpus autem tibi conceſſum a Deo fuit, ceu conjuratus boſtis, & adverſarius, quod fræno domatum, & virgâ contritum animæ parere, ſubeſſeque cogas. Tu ſceptrum illi confers, & imperium, inverſoque rerum ordine, ſuſque cuncta ſubvertis in regno animæ tuæ, hancque ſubeſſe cogis, & ſervire dominam, & carnem dominari ſubditam, & ſervam. Jam ergo vel noſſe te ipſum incipe, quando jam in carne Deus naſcitur, ut quomodo ſuam ille, dum viveret, carnem habuit, diſcas & habere tuam, nec ſordibus eam inficias, & ſpurcitiis. Tu qui ſimilis in carne es illi, qua natus eſt, & paſſus, num æquum putas in poſterum ancillari carnem, & ſervire ſervam, præeſſeque, & dominari, quæ vere domina eſt animam? ejuſque totum attendere pulchritudini, & majeſtati? his præſertim proximis natalis Domini feriis, atque ſolemniis, quæ ſine ſalutari confeſſionis amaræ ſacramento neſas tibi ſit effluere. Hæc enim veræ, quas Domino parare debes, viæ, ut Chriſti vere communicans corpori, & ſanguini ſimul hâc die naſcatur in te per gratiam, largiaturque demum tibi gloriam. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS QUARTA.

In IV. Dominicam Adventus.

POſtremus hic eſt adventus Dominicus dies. Quare ceu jam in veſperis, & pervigilo nativitatis ejus conatur Eccleſia fideles nos efficaciter ad ſpirituale gaudium, & devotionem excitare, ſicque miſſam inchoat hodiernam Pſal: 105. *Memento noſtri Domine. Roreſque cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Pſal:45. v.16. quibus verbis aperit Iſaias de Spiritu Sancto concipiendum eſſe deſideratum gentibus, eodemque prope modo naſciturum ex Virgine, quo germinet terra fructus ſuos, nempe ſicut illa ſtillanti, rorantique cœlo ſinum aperit, & fœcundatur, ſic & Virgo verbum illud, *fiat* cum interiori conſenſu proferens, nuntiantique Angelo cor, & os aperiens, & dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mibi ſecundum verbum tuum*: ac per iſtud unum *fiat* omnium quæ patravit unquam, aut patrare poteſt operum confectum

eſt

eſt negotium, nempe *verbum* caro factum eſt, Deus homo factus eſt, factus eſt homo Deus juſtitiæ. Statim in introitu Miſſæ ſubjicitur hic verſiculus pſal.47. *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*: ac ſi diceret ſi Deum ita commendant, adeoque præclari ſint præcones ejus, quæ fecit, opera, quanto glorioſius celebrabit, & commendabit eum hoc novum ejus opus, quod immenſim, tot numeris cæteris præceſſit? In collectâ vero grande hoc opus in lucem exire cupiens, & impatiens Eccleſia, quo ſuam ille potentiam exhibeat infinitam ſic eum rogat: *Excita quæſumus Domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute ſuccurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod peccata noſtra præpediunt indulgentia tuæ propitiationis acceleret*. In Evangelio de primo Domini in hunc mundum adventu tractatur; ſed iterum nos de ſecundo in epiſtolâ cogitare monet Eccleſia, futuroque judicio, de quo nos ſupra jam egimus ad Evangelium Dominicæ primæ adventus, & ad epiſtolam ſecundæ Dominicæ. Meritoque ſimul utrumque conjungit, & proponit adventum, quorum amoris eſt prior, alter vero timoris; quippe terroribus, & minis excutiendi ſunt duriores, & ſaxei. Sic igitur hodiernâ in epiſtolâ legitur ad Corinth: 1: v.4. ubi ait Apoſtolus: *Fratres nos Chriſti Apoſtoli, adeoque & Epiſcopi omnes, ſacerdotes & prædicatores evangelici, Chriſti tantummodo miniſtri ſumus, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Hic autem, ut ſcitis, inter diſpenſatores, & miniſtros præcipue quæritur ut fidelis quis inveniatur Domino ſuo in his, quæ miniſtrat, ſic & nobis omnino incumbit, ut & nos fideles inveniamur in ſermonibus, & colloquiis, in adminiſtratione Sacramentorum, & univerſo Eccleſiæ regimine, nec utilitati propriæ, vel lucro, nec honori, nec tranquillitati noſtræ quicquam tribuentes; ſed omnia ad unam omnipotentis Dei gloriam: & honorem, animarumque ſalutem, quas proprio redemit ſanguine, referentes. Quod autem ad me ſpectat, inquit Apoſtolus. Simne fidelis ego, bonuſque diſpenſator, an non, judicet id Dominus: *mihi enim pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die; ſed neque me ipſum judico*. Qui autem judicat me Dominus eſt ipſe unus, quis, qualiſve ſim optime novit: *nihil quidem mihi conſcius ſum*, nihil conſcientia mordet. *Sed non in hoc juſtificatus ſum*, nec id ſufficit, ut juſtus ſim apud Deum. *Itaque, Fratres*, *hoc in primis vobis commendo, nolite ante tempus judicare quemquam, quoadusque veniat Dominus ad judicandum, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum. Secretiora quælibet, & occulta peccata revelabit, & manifeſtabit conſilia cordium reddens unicuique juxta monita ſua, & tunc laus erit unicuique a Deo*. Ita nos, chariſſimi, præſertim hortatur Apoſtolus, ne quod unius eſt Dei jus, & officium præſumamus, quæ ſunt proximi dubia ſiniſtre interpretantes opera, quæ bonâ forte fuerint intentione facta. De dubiis loquar: quæ etenim aperte mala, mala certe dicere, & judicare nil vetat; nempe ſi fratrem tuum, aut proximum ore blaſphemo Deum imprecari audias, vel injuriis alium laceſſere, & contumeliis, ſcortarive publice, aut inhoneſte, ſpurceque vivere; nefas, & malum haud dubie tibi videri debet; non ut idcirco vilius eum habeas, & deſpicias; ſed ut pro illo Deum exores, ut ab illo ſpiritualiter illuſtretur, reatuſque ſui veniam obtineat. Cum autem excuſari poſſunt a noxa, puraque poſſunt intelligi intentione facta proximorum opera, tunc ea Dei judicio reſervanda nos docet Apoſtolus, cujus & ipſi nos ſtrictiſſimum, & æquiſſimum veriri judicium, ut non verbo tantum, & opere, ſed & ipſo cordis intimo mundi ſimus, & inveniamur coram illo, puriores in dies effici conari debemus, ut cum ille venerit ſcrutari abſcondita cordis noſtri, puniendum nihil ille horreat in nobis; ſed quod præmiare poſſit inveniat.

In

In Evangelio vero hodierno narrat nobis Lucas Evangelista c.3. v.1. quo primum Joannes Baptista Zachariæ filius in deserto prædicationis tempore, ac in regionem Jordanis abierit Judæos excitaturus, ut ad mundi Salvatorem jam proxime venturum excipiendum se componerent: Hanc porro narrationem ita Marcus exorsus est Evangelista c.1. v.1. *Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei. Notum sit vobis Joannem Baptistam hunc esse, de quo scriptum est in Isaia propheta*, quem missurus erat Deus Angelum parare vias ejus; *vox* ille fuit *clamantis in deserto parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. Et erat* (inquit idem Marcus Evangelista, præco ille cœlestis) *Joannes vestitus pilis Camelorum, & zona pellicea circa lumbos, & locustas, & mel silvestre edebat, & prædicabat eis baptismum pœnitentiæ*, & emendationem vitæ, quique conversabantur in Jordane, baptizabat in signum pœnitentiæ: Sic enim illi mutatos in melius profitebantur mores, religiosamque velle exinde vivere vitam, & puram. Hunc autem Dei præconem, & nuncium, charissimi, & ad nos ipsos sancta mater Ecclesia, qui moneat, ut & ipsi *paremus viam Domino*: via porro Domini non alia, quam corda nostra. Quare Judæis olim ajebat Samuel Reg.7. *præparate corda vestra Domino*, ait autem, *parate*. Grandis enim irrogaretur injuria tanto Domino spurca perambulare viâ, ubi præsertim ad eam ille declinare, morarique debuerit, in eâque destinatum sibi diversorium habuerit, uti in humanis cordibus commorari Deum oportet. Quaprópter, si tibi cor immundum fuerit, obscænisque conspurcatum affectibus, & consiliis, nusquam apud te declinabit, & descendet amans ille puritatis, & castitatis; amat enim ille habitare *in domibus eburneis*, ut Psalmista loquitur psal.44. v.10. ideſt castis, & puris animis. Sic utique si tu superbus, elatus, protervus, & vanus, non ille te conveniet. Isaias enim de eo sic habet c.86. v.2. *ad quem autem aspiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritum, & trementem sermones meos*: atque idcirco post Isaiam locutus idem ipse Domini præcursor addidit, *omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*: ac si dixerit adveniente Domino, mundumque hunc irradiante humiles, & demissos, seu vallium declivia donorum cœlestium imbribus fore complendos, & in conspectu Domini sublimandos. Tumentes vero, sublimes, & elatos quasi montes, & colles complanandos, atque deprimendos. Quod ipsum Regius olim edixerat psaltes psal: 42. v. 25. *tange montes, & fumigabunt;* quasi dicat percute superbum, videbisque, quod in fumum, & nihil habeat. Sic & ubi cor tuum odio flagraverit in proximum, nec apud te declinabit amoris author, & pacis Deus, quod tortum, & curvum in te reducas oportet, & complanes viam Domino, sicut Baptista monet: *erunt prava in directa, & aspera in vias planas*: asperum illud est cor, quod amoris in proximum, humanitatis, & lenitatis oleo non unctum. Curvum est & desertum, quod per discordiam a recta divinæ voluntatis, & legis deflectit lineâ, & regula: adeoque reducere oportet, & complanare. Si quæras autem, qua ratione cor tuum reducere ad lineam possis, respondet Augustinus psal:146. peritum imitari te medicum, aut chirurgum, qui conquassata membra, distortamque tibiam reducere, restituereque constituit; hanc enim ille denuo confringit, fractamque mox apte componit, & reducit, reductam inungit, & fasciis valide constringit, & obfirmat: sicque curatur, concinnaque fit, & recta tibia. Utique sic & tibi proponas, curvum, induratumque conteras primum oportet cor tuum, & contundas amare, sinceroque peccatorum, & anteactæ vitæ dolore, & pœnitentia, qui certe dolor optima contritio dicitur, sive cordis confractio, & comminutio, quam & belle solemus exprimere

mere, cum pectus pugno tundimus, & percurimus. Sicut enim in mortariolo quodcumque libuerit pistillo contundimus, sic dum manu pectus tundimus, & cordis nostri duritiem infringendi, conterendique sincerum exhibemus, & indicamus animi desiderium, atque supremum illum de peccato dolorem, & horrorem obtinendi. Contritum autem ubi cor tibi fuerit, aderit opportunus, & tibi medicus Sacerdos Christi, qui vera sinceræ confessionis tuæ probata pœnitentia, quod confractum tibi fuerit alligabit, & absolutionis sacramentalis virtute solidabit, ut ex saucio sanus, ex distorto rectus fias, aptusque qui nascentem excipias Dominum cum fervoris, & gratiarum incremento. Quapropter obsecro vos fratres, nullus sit in vobis adeo frigidus, aut segnis, ut hoc sacro adventus tempore confiteri negligat, & omittat, quando sic credimus, & confitemur natum in carne nostra Dei filium, ut nos spiritu suo vivificet, faciatque divinitatis suæ comparticipes, & hoc sentire nos, & credere probemus spiritum nostrum in id, & animum digne præparantes, bos dignos pœnitentiæ fructus facientes. Cum autem ille non carnis bic nobis oblectationes, & desideria præstiturus in carne nascitur, sed animæ; nec carnalis tota proinde sit, & terrena nativitatis hæc nobis festivitas; sed suas obtineat anima, gustetque delicias, suavissimosque capiat spiritualis gaudii fructus. Quis vero sit ejus, nisi & qui sub augustissimo latet in altari Sacramento, Virginis uteri fructus, de quo canit Ecclesia mater nostra. *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares*, amoris immensi, quo nos prosequeris, *pane suavissimo de cœlo præstito, corporis tui esurientes te imples bonis, fastidiososque divites dimittis inanes*. Ad hoc quippe venit in mundum hunc Dominus, ut nos quæreret, uniretque sibi, nostram ut utilitatem in immensum extolleret, & ad ipsius majestatis suæ participationem usque sublimaret, quod ut excellentius fieret, & oportunius sub panis & vini symbolis boc sanctissimo Sacramento delitescens in os nostrum, & intima ipsa præcordia descendere dignatus est, & ore deglutiri voluit. Quæ vero major in eum ingratitudo, quam fructus ejus hac ipsa, quam recolimus nativitatis ejus solemnitate tepidi nihil delibare? Quare, charissimi, cordis nostri mansionem illi præparantes, conscientiam nostram integra, luctuosaque confessione mundemus, amorisque cœlestis igne succensi, & devotione ferventes ad ineffabile corporis Domini Sacramentum accedamus. Sic enim ille nascetur in nobis, videbimusque salutare Dei nostri super nos bic in gratia, & post hanc vitam in gloria.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS QUINTA.

In Sanctissimo die Festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi.

Quid plura vos loquar, charissimi fratres, in bac die tam sancta, tam læta, si vel hoc leve, quod vestro capitur intellectu ad inflammanda corda vestra, & inducendam vobis devotionem, haud sufficiat. Quid frustra laborem, vel prolixius apud vos orem, si vel unicum illud, quod Ecclesia loquitur, & profert verbum, & nuncium boc *Jesus Christus filius Dei nascitur in Betbleem Judæ*, nihil vos movet, & excitet. Quæ vobis verba proferam, & inveniam ad inflammandum cor vestrum oportuniora? Ajebat olim Sanctorum aliquis Patrum de bac oraturus festivitate. Deficiunt mihi verba, quibus apte, digneque possim apud vos de Verbo illo æterno, & incarnato dicere: Sic utique mihi modo contigit, quid de tam suavi, támque mira sentiendum nobis sit Domini nativitate, nec loqui

qui prorsus, nec exponere valeo. Quandam sic sufficiat vobis hic afferre similitudinem: si jam ab annis pluribus sol e terris abiisset, nec ortus nobis ullatenus apparuisset, densissimique obvoluti tenebris non modo cæcutiremus omnes, insuper & ferreis, durissimisque constricti vinculis, immensique frigoris horrore gelidi mœstam diu vitam, & tædiosam ageremus; repenteque sic nobis sol oriretur, ac rutilaret, qui fulgore suo nos illuminaret, incenderet, exhilararet, ferreaque quibus opprimeremur vincula dissolveret; quantam putatis hanc nobis fore lætitiam? Eramus enim iis spiritualiter omnino similes nos, antequam hic, qui nobis hodie primùm illuxit, sol ille divinus oriretur, qui densissimas excussit animæ nostræ tenebras, suaque luce perfudit, qui rigentis ab amore Dei, rerumque cœlestium cordis nostri glaciem solvit, scelerumque nostrorum vincula disrupit. Nunc ergo vobis hæc lætitiæ, & boni nuntii dies. Hanc verò, quam hic affero vobis in Isaiæ c. 9. jam intellexistis, quæ ad missam hac nocte lecta est vobis lectione, quæ sic habet: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, parvulus enim hac nocte natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*, ad quam & alludere videtur ejusdem prima hujus diei missæ collecta, vel oratio similitudinem, cum in ea sic Ecclesia parens nostra loquitur: *Deus qui sacratissimam hanc noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terrâ cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur*. Noctis hujus *tam fulgidæ, tam præclaræ* miracula quæcumque prioribus olim visa seculis, & patribus Deo quantumcumque charis longe immensum superant. Plura namque, præclaraque admodum olim nostris apparuerunt patribus Dei mirabilia.

Cœlum namque, sicut ros eis manna distillavit ad manducandum Angelorum cibo nutriendis, & saturandis: mare rubrum illis apertum, & scissum est, ut sicco pede transirent, Jordanis conversus est retrorsum, & ad fontem reversus, ut iter eis esset liberum. Ad buccinæ sonitum Hierycontini muri corruerunt de repente quantumcumque munitissimi; cursum suum in cœlo sol interrupit, & immotus haud mora levi stetit, ut populo Dei contra Gabaonem prælianti ad internecionem hostes fundere, & debellare liceret. Hæc illi quidem præclarissima, stupendaque, & viderunt, & mirati sunt; at non illis certe datum veram hanc, æternamque lucem carnis infantilis involutam nubecula, vilique pro nobis in stabulo latitantem inspicere. Idcircò nocte ista Pastoribus apparuit lux magna, circumfulsitque illos charitas Dei, concinentesque audierunt illi Angelos, & dicentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*: ac si dicerent prospera, tranquillaque sint omnia iis, qui pro tam insigni hac Dei gratia, & beneficio prompta, devotaque voluntate, & sincera gratias acturi sunt, & gratitudinis suæ signum; bonaque voluntate Deo servire, divinæque illius voluntati parere cupiunt; atque ea propter Ecclesia sancta bonæ voluntatis hujus impetu rapta, magnoque, & ferventi Deo serviendi desiderio, laudandique zelo ducta, quasque condignas ei gratias pro tam immensis in se collatis beneficiis reddere valeat dubia, & anxia, novum id excogitavit, & aggressa est, trinum ut illi ejusdem carnis purissimæ, & sanguinis, qui pro nobis hodie gignitur, olimque nostri causa fundendus, offerret sacrificium, rata scilicet in sua nihil esse præclarius, & acceptius, quod offerat illi, potestate. Qua & triplici missa, triplicem & illa nobis exhibere voluit Dei Verbi nativitatem, qua dumtaxat ab æterni Patris

prodiit

prodiit in æternitate finu, qua ex utero Virginis prodiit in carne, qua demum & spiritualiter in anima nostra per gratiam gignitur, & oritur quotidie.

Prima itaque Missa, quæ nocte media, & intempesta celebratur priorem vobis in memoriam revocat æterni Verbi Nativitatem, qua sic orditur Davidis Prophetæ Psal.2. de Verbi Divini generatione verbis. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te*, hoc est ab æternitatis die de mea ipsa te genui substantia, meritoque celebratur hæc intempesta nocte missa, non quod Christum nocte Virgo pepererit modo; verum etiam, quod Divinus ille unigeniti Dei filii ab æterno Patre ortus humanis nostrum oculis obscurissimus sit, & occultus, qui quantumvis coruscat in se totus, ac luce perfusus, lux ille scilicet vera de luce procedens, vetusque Deus de Deo vero genitus splendoribus, nitoribusque suis nostrorum hebetat aciem oculorum, ut vel sufficiat id humili nos, veraque fide sentire, diebusque Dominicis, & festis præcipuis illud publice profiteri dicentes: *Credo in Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, perquem omnia facta sunt.*

In secunda Missa, quæ ad lucis Auroram canitur, ejusdem ortum in nobis exprimit Ecclesia spiritualem infusa scilicet in animam nostram lucis suæ gratia. Ideo sic illa orditur Isaiæ 9. *Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus*. In collecta verò ita Deum alloquimur. *Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, ac recreamur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente*. De tertia demum illius e Virginis utero nativitate tractat Ecclesia prioribus hujusce diei Missæ majoris, ac tertiæ verbis (uti superioris utriusque missæ jam illa egerat Evangeliis) cum dicit Psal.9. *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus Principatus erit æternus, & imperium super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus*. Quocirca dudum olim nos Propheta Regius hortabatur, & monebat dicens Psal.97. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*. Hunc autem (addit Ecclesia parens) si nosse cupis, qui natus est, datusque nobis puer, ecce tibi palam aperiet Evangelista Joannes supremi tonantis ales, & cœli tuba, qui sic exorsus est Evangelium dicens (Joan.1.) *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Præsciendum hoc, charissimi, ne curiosius scrutemur pelagus, lucisque tam immensæ penetremus abyssum. Æternam enim *generationem ejus quis enarrabit*? Aut quis nos doceat, & exponat, quomodo supremus ille æternus Deus, & Pater ab æterno vivam, & veram de substantia sua, de natura propria produxit imaginem majestate, bonitate, potentia, sapientiaque prorsus, & undequaque sibi similem, & coæqualem, nobis omninò, charissimi, tam arcana penetrare non datur, sed obscuro, certoque fidei, qua credimus, lumine dumtaxat suscipere, & venerari, stupereque ad immensam illius erga nos humanitatem, & benignitatem, qua viva illa, veraque Patris imago, & Dei Verbum æternum propter nos carnem induit nostram, & in ea nasci dignatus est hodie, sicut hodiernum habet Evangelium (Joan.1.) *verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; hoc est æternum Dei Verbum Deus nostram induit carnem, & habitavit nobiscum, atque conversatus est. Verùm æternam hanc Verbi Divini generationem hic longius prosequi omittentes ad temporalem, quam recolimus, nostram convertamus orationem, & pauca loquamur, quæ narrat Evangelista Lucas c.2. v.35. scribens; *quod cum ascendisset a Galileâ de civitate Nazaret in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem* cum Sponso suo Joseph Maria

ria

ria Virgo Augusti ut Edictum implerent Cæsaris, qui jusserat *ut describeretur universus orbis*, *& ut profiterentur singuli in suam civitatem*, eo quod esset illa de domo, & familia David, *factum est cum essent ibi* Joseph, & Maria, & ad civitatem hanc, aut ejus suburbia pervenissent vili quodam in tuguriolo, stabulandisque pecudibus, quàm hominibus apte recipiendis idoneo *impleti sunt dies ejus, ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & unicum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non eis alius opportunior locus in diversorio: & Pastores erant in regione eadem* (uti subdit Evangelista) *vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum ; Et ecce Angelus Domini apparuit eis, & stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, quæ vocatur Bethleem, & hoc signum eis adducit: invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Quæ, quæso, vobis esse videatur horum conjunctio vilissimi pecudum hinc tugurioli, præsepis, vagitus infantilis, & fletus, fasciarumque, & pannorum infantilium; hinc & Angelorum, ingentisque de cœlo lucis, qua nox ipsa die lucidior fuit, concentus Angelici, novique jubaris ortus, quod præluxit magis. Confer amabo, (sanctorum inquit ut unus Patrum) vilitatem hanc, & miseriam cum tanta sublimitate, & magnificentia, & quis ille natus, intelliges, si præsepe tibi vilescat, & horreat ; Deum esse, qui tam vili jacet in præsepio certam tibi fidem faciunt Angelus, & lux orta de cœlo. Si te vagitus avertat infantilis, & fletus, ausculta quid in ejus laudem Angeli concinant ; si tibi sorduerit a pecudum contubernio, sursum aspice, & in ejus etiam obsequium adesse sidera de cœlo perspicies, novumque sidus ab eo conditum, & de cœlo missum, quod Reges, & Magos ad eum adorandum advocaret, & adduceret; Si mireris Deum ipsum verum, & altissimum tam vili loco, pecudumque tuguriolo natum, arcanum id scias divinæ in te misericordiæ, qua te salvum faceret esse sacramentum, & industriam; Deum adire tu forte verebaris belluino, ferinoque vitæ tuæ genere neglectum, & provocatum; pone metum, fidenter accede; Ecce & inter bestias ideo nascitur, ne animali homo tu, bestialique vita vivens ad eum accedere diffidas: ergo veni tu animalis homo ; accede ad illum, & comede, prostat hic ille in stabulo tibi. Si sic hucusque tu pecudum, equorum, suumque pabulis afficeris, & deliciaris, his utere jam, & satiare, positumque puerum hunc in præsepio pecudum fide, & charitate verè comede, sciesque quàm dulce tibi præsepium, quam pretiosi sint panniculi, quam aurata sint, & elegantia hujusce stabuli palatia, nec nativitatem ejus in carne carnis tuæ dumtaxat illiciis, voluptatibusque festivam facias. Quæ namque tibi sunt hoc in stabulo parata fercula, sublimia illa sunt, & spiritualia ; hæc ergo tu gustes & sapias una; frustra nam si secus egeris Christianum esse profitearis. Pauli quæso corde recolas verba hæc tanta charitate ferventia, quæ epistola recitata sunt ad auroræ Missam in diluculo ad Tit. c. 2. hæc meditare & ex fero, rigidoque, mollis, & tractabilis, e frigido fies igneus: *apparuit (* inquit ille ad Titum c. 2. *) gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem*, ingratitudinem, seu ignorantiam Dei, *& secularia desideria sobrie, juste, ac pie vivamus in hoc seculo expectantes beatam spem, & adventum alterum* in supremâ judicii die, *gloriæ magni Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret populum sibi acceptabilem sectatorem bonorum operum.*

Quis hæc, amabo, sincere recogitans verâ jam, & sincerâ confessione mundari recuset, aut negliget; ut augustissimo in Eucharistiæ mysterio puerum hunc nobis hodie natum recipere mereatur Filium Dei? Quapropter obtestor ego vos, fratres mei charissimi, per ipsum eumdem Dominum Jesum, ut si nondum id egeritis, per hos Octavæ dies, & ad Epiphaniam usque futuros devotè curetis implere, quo gratiarum ab hac nobis nativitate concessarum, & oblatarum efficiamini participes. Amen.

COLLATIO SEU PARÆNESIS SEXTA.

In Festo Circumcisionis Domini.

Novum annum ordimur hodie, charissimi; Quid hoc rei sit forte nec dum capiatis aliud quippe nihil annum ordiri novum, quam solitum a sole cursum iterari. Sciendum scilicet præter hunc diurnum, quem in cœlo obit ille quotidie, cursum, alium ipso, cui inhæret, proprio cœlo statum, & obire cursum, qui per anni spatium excurrit, & mensuratur. Nec ista vobis hic affero, ut inanes has erudiam vos Astrologiæ doctrinas, ac scientias, sed ut saluti vestræ utilem, & necessariam hanc vos doceam, ac in memoriam revocem Philosophiam: nempe ut vitæ hujus temporalis, & corporeæ vanitatem intelligatis, & vicissitudinem, quæ solis obnoxia est volubilitati, motuque mutatur illius, & numeratur: annos enim si triginta te natum dixeris, te tantumdem vixisse asseris, quantum tricesies iterando cursum sol insumpsit temporis, & spatii. Væ si per tot volvitur tibi mutationum vices animus, ac corpus agitur, nec certam sibi collocaverit in æternitate sedem. Væ tibi si tam vilis, fluxæque carnis angustiis ideo conclusum non intellexeris spiritum immortalem, æternum, ipsoque sole clariorem, & præstantiorem, quo superata sensibilium, fluxarumque rerum mundi hujus mole Deum usque mente, & amore penetres, & attingas æterna, vitæque demum hujus corporalis opus ad rectam divinæ legis, & voluntatis ejus exigas lineam. Rectè dictum olim a Propheta David psal. 148. v. 13. *Confessio Domini super cœlum, & terram*: Hoc est animam vera in Deum fide, et charitate sublimem terrena hac omni, cœlorumque mole ipsa longè superiorem esse. De iis autem, quorum infixus hæret, immersusque terrenis animus, ait idem Psaltes psal. 9. v. 9. Quod in circuitu ambulant, hoc est ad tetum etiam temporalium agi, mutarique volubilitatem. Ideo et in vanum illi laborant; ac frustra currit, nec metam assequitur, qui per circuitum ambulat; eo quippe tantum ille pervenit, unde primo discesserat. Quare vos charissimi, quantiscumque vobis obnoxium in dies corpus ætatis, et temporis aliorumque prope innumerorum casuum vicissitudinibus, et varietatibus sursum animos erigite, fixumque in Deo semper, ceu in centro, cor habeatis: Mos vobis hac die vos invicem prævenire, auspicari, salutareque mutuo vos his verbis: *longævos, lætosque tibi Dominus adjiciat annos*. Hi certe producendæ quantumvis allatores, ac retinendæ vitæ contingere tibi longævi nequeunt anni, ac licet centeni, millenique forent, si cum futura comparas æternitate, nec unius horæ spatio metientur. Ut autem læti tibi sint, ac boni dies, et anni hoc tui unius est, et voluntatis, et arbitrii; nec enim vere illi boni, quod læti sint, et prosperi, sed quod ad optatum nos finem adducant, quod ad vitæ, mundique hujus intentum appellant portum: Hos enim itinerantes, navigantesque vere dicimus cursum feliciter obiisse, si quo tendent, feliciter pervenerint. Manifestum est autem hominis

nis vitam hanc omnem iter quoddam esse, seu navigationem, qua ad cœli patriam anhelamus, & properamus: adeoque boni illi vere sunt, & reputandi dies, & anni, quibus ad cœlum aliquid in via progreditur, & proficit Christianus, nefastique illi, quibus, & leve quid ab ea deflectit, abiit, & recedit; Hocque longe lugere debet amarius erravisse, quam transfretantes qui peregrinatione, navigationeve suscepta longius aberrarunt a semita. Væ puero centum annorum (inquit Isaias c.69. v.20.) qui centum jam annis natus, nec infante, pueroque plus in via cœli progressus habet; Minus ei quippe malum esset, cen recens ex utero natus, ambulare nescisse, aut potuisse. Væ autem illi seniculo, malorumque dierum inveterato, hoc qui tantum vixit, ut averteretur, & fugeret a Deo suo totus in hujus seculi vanitatibus immersus, & spurcitiis. Unde & apud Psalmistam hi dicuntur similes araneæ. Psal.89. v.10. Sicut enim aranea seipsam exhaurit, & eviscerat, misereque torquetur, & spumat inanem, & vilem orditura telam, qua levissimam aucupet escam, & culicem; Sic animæ vires exerit omnes, & sensus homo nequam infelix vilissimam, ut assequatur, veneturque delectatiunculam, aut utilitatem. Quinam ergo boni vere dicantur anni paucis aperit Evangelista Lucas hodierna S. Evangelii lectione cum dicit: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer vocatum est nomen ejus Jesus*, hoc est salvator, quibus erudimur optimum hunc esse, faustumque nobis annum, & diem, qua salutis opus operari contendimus, & conamur, quam utique consequamur, si carnis, & sensuum inania amputemus, animique superflua circumcideremus desideria. Hæc nos ipso suo docuit exemplo Dominus, qui hac ipsa anni prima die & circumcidi voluit, & Salvatoris appellatione nuncupari. Quare & nos hodie constitutum habere debemus novum hunc ineuntes annum exerto divinæ charitatis cultro quæque nobis superflua resecare: oculos scilicet a vanis, & noxiis avertere, aures ad iniquæ, & proximorum nomini infestæ linguæ morsus obseratas habere, et obturare; linguam ab otiosis, inordinatisque continere verbis, gustum ab illiciis, tactum ab obscœnis, immundisque delectationibus; ad hæc, et super omnia cor nostrum, animumque pravis (quod nos in Jeremia c.4. v.4. advertit monetque Dominus) emundare desideriis, atque cogitationibus: *Circumcidimini*, inquit, *Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, & habitatores Jerusalem, ne forte egrediatur, ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum*. Ne serviatis desideriis cordis vestri, ait ille, ne succendantur in vobis; curæstuantis carnis tuæ, vitiorumque noxas non circumcidis? Comprimisque concupiscentias malas, cum Deus ipse pro te factus infans octo dierum innocentissima sui carne circumcidi patiatur, suumque jam illum, quo laveris, incipiat stillare sanguinem, disrupta jam primum, et aperta, quæ pretiosissimum hunc, quo redimeremur, servabat clausa thesaurum, manticula, deciduntque ex ea primum, et erumpunt aurei illi, pretiosissimique nummi; Carnem quippe nostram, inquit Augustinus, ceu saccum induit, et manticam Unigenitus Dei Filius, qua redemptionis nostræ reconderet lytrum pretiosissimum sanguinem suum: cumque tam fragilis adhuc, et exigua in eam impingi, perforarique voluit, susaque statim erupit inde cœlestis illa pecunia sanguinis ejus inæstimabilis, et pretiosi, cujus unica, levissimaque stillula toto redimendo mundo, ac vel si mille forent plus sufficiat redimendis. Opus certe nihil innocentissimis Pueri Jesu membris tam dura cote: tuæ, tuæ plane servandus erat tam petulanti, tam indomitæ, et adversus spiritum recalcitranti debebatur carni siricus ille culter, et chalybeus: sed illum elegit sibi piissimus infans octo dierum Jesus, expe-

experirique voluit, et a duro te circumcifionis onere liberat, qui tam facile, tamque compendiofum facri Baptifmatis lavacrum, regenerationifque Sacramentum ei fubftituit. An posfit in te mifer, infelixque peccator agere fuavius, et benignius, quàm ut inefficax, graveque admodum, et infupportabile peccati remedium inftituturus efficacisfimo, facillimoque, ac promptisfimo tibi commutaret. Ideo fic hodie nos alloquitur Ecclefia mater (ad Tit. c.4.) *Chariffime apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noftri Dei non ex operibus juftitiæ, quæ fecimus nos, fed fecundum fuam mifericordiam falvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jefum Chriftum Salvatorem noftrum, ut juftificati gratia ipfius hæredes fimus fecundum fpem vitæ æternæ in Chrifto Jefu Domino noftro.*

Addit autem Evangelifta, quod poftquam circumcifus eft puer *vocatum eft nomen ejus Jefus.* O vere benedictum, ait Bernardus, o fuave nomen Jefus, fupra mel in ore dulce, quavis in aure gratior melodiâ, gaudium inæftimabile cordis. Quis enim ejus, cum triftis eft, & deficit, tam fuavis unquam meminit nominis, & ad illius ftatim non exhilaratus eft, confortatufque memoriam? Si ad me fcripferis, addit idem Bernardus, proficuumque nomen illud non legerim, epiftola mihi tua defipiet; fi colloquendo mecum fuave nomen illud Jefus auribus non infonuerit meis, faftidio mihi fuerit fermo tuus, & converfatio tua. Si gravius in peccatum aliquod lapfus veniæ illius fpe defpondeam, vitaleque nomen illico invocavero, vitam utique numquid & illud infpirabit? Nomen iftud cor noftrum ab omni liberat, eximitque duritie, rigiditate, tepiditate, gravitate, cruditateque fpirituali. Itaque, chariffimi, fi minus hactenus erga tam ineffabile, fuaveque nomen affecti fuiftis, amodo totis in eum afficiamini præcordiis, illud frequenter, & affidue cum fiducia, & fervore charitatis ore proferentes, & corde. Mementote verbi quod Paulus ait, *nemo poteft dicere Dominus Jefus, nifi in Spiritu Sancto* ad Corinth.12. v.3. Quare revocanda vobis in memoriam hîc quæ nos ad fecundum Dei mandatum diximus de eâ, quam ad *Jefu* fanctiffimum illud, & quodcumque aliud Dei nomen venerandum, aut Sanctorum ejus exhibere debetis, reverentia, quamque cavere debeatis ab iifdem imprudenter, & ftulte, ut injuriofe, contumeliofeque proferendis, uti perditis illis, nefandifque ufu fit hominibus blafphemis, atque perjuris, quorum os, atque fuperbia pertingit ufque ad cœlum in Deum ipfum infurgens, honoremque ei debitum, gloriamque comminuens, quaque valet, funditus evertens, dum fic ore blafphemo per Deum affidue, frequenterque jurat, per fancta Dei Evangelia, per Mariam Virginem, Deique Sanctos, & cœlites tam fancta, venerandaque leviter, & contumeliofe verum perinde, ac falfum afferturi proferentes, ufurpantefque nomina. Sat puto vobis notum in tanti mali remedium inftitutam, erectamque fuiffe fancti nominis Dei fodalitatem, cujus et hodie folemnia celebrantur. Quare vobis hanc impenfe commendo, leges ipfius, & exercitia devote compleatis, divini cultum nominis, & reverentiam ubique, folliciteque promoveatis, nec hîc in his mihi diutius immorandum, quod hujus Ecclefiæ rector ea, quæ ad fecundum decalogi præceptum tradita funt, hodie vobis repetiturus fit.

COL-

COLLATIO, SEU PARÆNESIS SEPTIMA.

In festo Epiphaniæ Domini, & adorationis ejus a Magis, & Regibus.

Solemnis hæc, & sacra nobis dies, qua natus nobis infans, & puer Deus tertiadecima vix ab ejus nativitate die Gentilibus ignotus, primum Gentilibus innotuit, & apparuit. Ut enim ille Judæis hac ipsa, qua natus est die manifestari voluit, suamque nativitatem Angelorum ministerio Pastoribus ipsis hominibus quidem rudioribus, & simplicioribus Judaici nihilominus populi primitiis revelare, sic & tribus hisce Magis, & Regibus hodie se manifestavit, hos ad se, novo creato cœli sidere, quasi speciali misso nuncio vocans, & adducens, qui ceu Gentilium primordia, præcocesque delibati fructus Regem eum venerarentur, & Deum adorarent: Quare nobis hæc propria festivitas e gentilitatis cæcitate vocatis, lætarique nos hodie maxime convenit, & gloriari, quam densis olim tenebris obvoluti majores nostri memoria recolentes, a quibus nos immensa Dei benignitate liberati per Evangelii lumen, quod illuxit nobis a Deo desuper in salutem, atque idcirco tam frequens Ecclesia in ejus afficit lucis, splendoris excussarumque memoria tenebrarum, quo lucis hodiernæ, qua fruimur, cum opacissimis avorum nostrorum tenebris collatis fulgoribus immensas Deo gratias habeamus, studeamusque sancte vivere, fideique lumen, quod in mentibus affulsit lucis etiam operibus exhibere, & comprobare. Itaque nos, sicuti prævenire voluit Ecclesia mater, paratosque voluit, & admonitos excipiendis hujusce diei fulgoribus, quæ sic collecta Deum alloquitur: *corda nostra, quæsumus Domine, venturæ festivitatis splendor illustret, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, & perveniamus ad patriam claritatis æternæ.* In ea vero, quam ad missam audivistis hodie collecta hanc eandem orat a Deo lucem, & sic implorat: *Deus qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognoscimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur.*

In epistola Judæos una, Gentilesque provocat Isaias Propheta c.6. verbisque igne ardentioribus eos hortatur, ut ab errorum, & criminum eripiant se tenebris & ad ineffabile lumen, quod occlusum humana carne nuper illuxit in terris, accurrant. *Surge illuminare Jerusalem* (inquit Isaias) *quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*: missusque dudum apparuit tibi Salvator tuus; *quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos infideles, & incredulos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quod impletum hodie manifeste comprobatur hisce tribus Magis, ac Principibus ab Oriente Bethleem usque novæ lucis exortæ conquirendi causa properantibus, uti narrat in Evangelio Matthæus c.1.7., de quo quantumvis mysteriorum copia pleno dicere vobis in præsentiarum aliquid mihi non est animus, sat contentus sic vos ad tam beatorum Principum, & Regum in duobus maxime sectanda vestigia provocare. Primum ut ad eorum exemplum Deo vocanti præsto sitis ad stellæ motum, quaqua ducat constanter, & indeflexe gradientes. Ut enim illi, dum essent in regione sua statim ac corporeis novum illud in cœlo sidus affulsit eorum oculis, spiritualisque luminis intus in anima coruscantis, & ad novi Regis in Judæa nascentis cunas invitantis vocem mente perceperunt, nulla mora, postpositisque omnibus, excussa

pror-

prorsus omni socordia se protinus accinxerunt ad iter adeo prolixum, & tædiosum, ut vel eo Regem ipsum cœlorum, & Dominum in terra natum intueri meruerint, & adorare: Sic nos utique mox ut aura cœlestis intus afflaverit, quæ nos ad emendationem vitæ, Deumque per virtutum semitas inquirendum, & ad cœlum invitat, terreni cujusvis affectus ambagibus expediti, nullaque mora, vel tergiversatione præeuntem insequamur, & ad aulam usque Regis progrediamur. Nullus hic obtendat, charissimi; ideo se non a via sua mala, & iniquitate sua recedere, quod nulla sibi sit, quæ ad Deum iter indicaverit, stella. Non unam utique, sed innumeras tibi prope quotidie Deus exhibuit stellas, quas nec intueri dignaris, quod tenebris assuetus lucem fugias, nec aliud intueri gaudes, quam quod fœda, tenebricosaque tibi caro protulerit. Quoties namque, tu frater, a Deo vocatus interius Increpantem non audivisti, dicentemque attenderes, quam perditam, quamque fidei, quam in baptismate recepisti lumini, promissisque, & juramentis ibi tunc a te datis oppositam sic agas vitam, quantaque tibi tandem in morte, vel extrema judicii die sit horum reddenda ratio, quam duræ, quam densæ, luctuosæque paratæ sint impœnitentibus tenebræ. Quanta demum & justi coruscabunt in cœlis luce, quanta, qui pœnituerint exhilarandi sint, & perpetua gavisuri tranquillitate, & lætitia. Quot enim inspirationes immissæ apparuerunt, & stellæ, quarum & a te sit demum exigenda ratio, quantoque major earum numerus, eo & qui despexisti tu pœna plectendus, & cruciandus acutiori, sicut habetur in lib. Proverbiorum c.1. v. 24.: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo. Cum vobis id quod timebatis advenerit*. Quapropter, amabo vos, ubi jam intus animæ rutilaverit hujusmodi sidus a Deo, mentisque sic insusurrantem audieritis auri, ama me unum, me cole, & attende ne tibi, quæso, mundus illudat, nec te decipiat caro tua. Cogita tibi dicta, & hæc epistolæ verba. *Surge illuminare Jerusalem*. O quæ in criminum opaca nocte tam altum stertis anima mea, *surge*, *quæ dormis*, *& illuminabit te Christus*. (Ad Ephes. c.5.v.14. Veraque tunc primum fueris civitas sancta Jerusalem, quæ interpretatur *visio pacis*, vel ipsa jam intelligens experientia, quia *secura mens juge convivium*. Proverb:15. v.15., quamque jucundum animæ sit, & suave cum Deo quiescere.

Alterum autem, quod in sanctissimis hisce Regibus imitandum vobis velim est, intima, sinceraque qua Dominum adorarunt, & honorarunt cordis affectio, & oblatio, ut enim in Evangelio legimus, mox ut ad Judæam pervenerunt, stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, divinaque disponente providentia disparuerat ab oculis eorum, ut omnino necesse fuerit, eos inquirendi causa ipsam ingredi civitatem sanctam Jerusalem, quam & somnolentam, gravique nati jam, & promissi dudum sibi Salvatoris oblivione torpentem excitarunt obvios palam, & ubique compellantes, & inquirentes: *ubi est qui natus est Rex Judæorum*? ac si vellent, natum jam eum haud ambigimus, aut Regem eum esse Judæorum: hæc enim certo scimus, nec id a vobis inquirimus. Unum hoc laboramus, & angimur, ubi natus ille sit: nec enim ultra nobis hæc fulget, & præit *stella*, *quam vidimus in Oriente*; ad quod licet infelix, & nequam Herodes Rex turbatus nuncium fuerit, conturbatique cum eo, qui degebant in Jerusalem impii omnes, & sacrilegi, in Bethleem Judæ tantum debuisse nasci nihilominus illi a Sacerdotibus, & Scribis populi, legisque Doctoribus intellexerunt, quia sic *scriptum fuerat per Prophetam*. Qui cum audissent abierunt a Jerosolimis Bethleem

thleem usque dirigentes, moxque egressis iis a Jerosolima: *ecce stella quam viderant, antecedebat eos usque dum veniens staret supra, ubi erat puer* cœlorum ipse Rex, & Dominus: *videntesque stellam gavisi sunt gaudio magno valde*. Cum autem inde certo colligerent, quod avidi quærebant immensum humili, vilique hocce tugurio latere thesaurum ad ostium accesserunt, & fidenter ingressi sunt, Virginisque sanctissimæ cœlestis hujus arcæ vultus, & os intuiti humano superius aliquid in ea deprehenderunt, satisque sibi fuisse putarunt hanc, & talem vidisse matrem, & genitricem, ut quantus & foret ex ea natus agnosceretur, intelligereturque filius. Quare nec summam horruerunt illi loci pauperiem, aut supellectilis, nec viles sorduerunt illis infantis in stabulo cunæ; sed interiori desuper a Deo lumine radiati tantis his ærumnis, & rerum angustiis immensas omnes Dei, cœlorumque recondi divitias, atque thesauros intellexerunt. Adeoque proni ceciderunt in facies suas, & infantili carnis trabea velatum, vestitumque Deum adoraverunt, & attulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. Utique nobis, charissimi, etiamnum iis adjungere datum peregrinationis hujus sanctæ comites, & adorationis eorum esse participes, si corde contrito, & humiliato nostra coram Deo non erubuerimus confiteri delicta; si male anteactæ vitæ sincere pœnituerimus, æternumque divino nos obstrinxerimus obsequio. Ut autem eos orationis humilitate nobis æmulari licet, & affectu, sic & munerum dignitate, & paritate vincere, tamque pretiosa scilicet hæc offerendo spiritualis, ac mysticæ myrrhæ, thurisque, & auri Deo sic accepti, sic probati munera. Myrrha hæc utique vera illi est, & probatissima, si carnem tuam mortificaveris, si pravis ejus obsistas affectibus pœnitentia, si corpus tuum austeritatibus afflixeris, & cohibueris. Pudendum istud vere tibi sit, Deum in carne pro te puerum acutissimo frigore rigentem in ærumnis, & rerum angustia positum intueri, nec a te vel myrrhæ purissimo affectu, quæ dolor est erratorum, & pœnitentia, dignari. Nec tibi deficit suaveolentis incensi mystici copia, illud si juvante Deo, penes te diligenter investigaveris, quod non aliud esse potest, quam attenta, & fervens hominis ad Deum oratio. Hæc enim illa, quæ sursum ascendit ad Deum, oletque illi flagrantissime, sicut ascendit, & flagrat incensi fumus; ideoque Joan: in Apocalypsi c.8.v.4. de Sanctorum orationibus ascendisse de manu Angeli coram Deo fumum incensorum ait. Denique si Deo tu pœnitentiæ myrrham, ferventisque devotionis, & orationis incensum obtuleris, nec amoris in Deum, & charitatis aurum, quod muneris ultimum, supremumque est, abesse poterit. Merito certe divinæ charitatis amor in Scriptura sacra dicitur auro similis, ut enim omnium excellentius metallorum aurum, sic omnibus eminet virtutibus, ac præcellit amor ille divinus, quare & dixit in Psalmis David psal: 113. v.59. *omnis consummationis*, hoc est perfectionis, *vidi finem*, *latum mandatum tuum nimis*: nempe divini præceptum amoris, qui virtutum omnium ceu compendium quoddam est, & complementum; atque adeo, & cuncta, quæ nostra sunt, & nosmetipsos Deo libenter offeramus propriam abnegantes nostri voluntatem, ut ejus unius agamur arbitrio. Sic enim hoc nobis comparabimus aurum, ejus vel hic etiam delectationes delibaturi, ut satiemur illis in patria. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS OCTAVA.

In Dominica Septuagesimæ.

HIsce quæ sequuntur ante quadragesimam hebdomadis, idoneos hujus sacri jejunii, paratosque fieri suscipiendis optat nos Ecclesia mater, nempe serio peccatorum ut agamus pœnitentiam. Quid autem emendationem vitæ proponenti reo præcipue conferat attendere, & meditari, quam grave sit, & exitiale Deum offendisse, legesque ejus temerasse, & voluntatem. Idcirco tribus aote Cineres hisce Dominicis tria nobis in memoriam illa revocat avorum enormia crimina, quamque vel in hoc seculo tulerunt illi vindictam acerbissimam a Domino. Horum porro primum,& antiquissimum fuit Adami Protoparentis,& Evæ peccatum illud,quo tum ipsi tum & nos immensis hisce miseriis,æternæque damnationis judicio tenemur obstricti,quo nos una Dei summa benignitas,Unigenitique sanguis illius,& passio vindicare potest,de quo, severissimaque vindicta hujusceDominicæ tractat officium.Sequenti vero Dominicâ generalis alterius hominum culpæ meminisse vult,qua miseri prope omnes Adami filii fœdæ libidinis æstu diffluentes,lascivientesque complexi, qua sic ad indignatiooem commotus Altissimus, nt omnes omoioo homines, octo dumtaxat exemptis, aquis submergere, mundumque diluvio generali delere decreverit universum. Tertia demum, & ab hinc decimaquinta die Dominica peccatum aliud nobis Ecclesia commemorat atrocissimum, horrendumque, quod ab Incolis civitatum quinqne perpetratum a generalis aquarum diluvii cataclysmo, mundique reparato naufragio, quas certe civitates quinque spurcissima, nefandissimaque luxuria contaminatas igne de cœlo cum sulphure pluente funditus evertit. Hæc porro tria mortalium scelera, solemnemque vindictam eorum, & pœnam Ecclesia parens idcirco nobis ob oculos ponit, ut & intelligamus, quam a provocaoda tam severi judicis ira fugere, cavereque debeamus, qui nedum in altero; sed in hoc etiam adeo dure plectit, & acerbe prosequitur in se peccantes seculo: Utque nos illa provocet, & inducat ad frænandam carnis petulantiam, & corporis afflictationes hoc maxime jam instantis Quadragesimæ tempore libenter amplexandas. Quando tam solemni, duroque judicio vindicata tria hæc hominum scelera a carnis illiciis, & titillatione, vetitæ nimirum ab esu dapis, aut ab illicita, nec conoubiali thori luxuria nata. Quod enim instigante Diabolo prohibitum ausi siot degustare fructum Protoplasti, carnalesque homines, & quos obscæna subvertit, illexitque voluptas, inundavit super eos & aquarum, & ignis, sulphurisque diluvium. Hac itaque priore prædictarum Dominica, de primi parentis Adami creatione, Evæque coniugis ejus, & ceterorum omnium, quæ in ejus gratiam, & usum condidit Omnipotens ad matutinum officium agit Ecclesia, deque perfecto illius, quo conditus est statu, integritate, natura, & immortalitate, quam ab eximia illa felicitate, & innocentia cito defecerunt, & exciderunt parentes nostri Serpentis astu decepti, atque ad defectiooem, & ioobedientiam, sive superbiam inducti capitalem. Quapropter e Paradiso voluptatis abacti cum universa progenie legi jam mortis, ac quibus hic aogimur, & premimur vitæ molestiis obnoxii durum io hoc exilium detrusi suot. Insuper & mortis æternæ pœna damnati, quam uno mundi Salvatoris Domini Jesu Christi sanguine redempti vitarunt, atque idcirco sancta mater Ecclesia generis humani personam assumeos sic officium iochoat io lachrymis Adami lapsam, ac posterorum, quamque

que commeriti sunt ærumnarum vindictam ingemiscens, ac dicens: *circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me, & in tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo sancto suo vocem meam*. Psal: 17. *Quare diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus*. Hic scilicet hodie est missæ introitus, atque hæc illi causa canticum illud exultationis *Alleluja* hac ipsâ Dominicâ ad usque Sabbatum in Resurrectione Domini deponendi. In collecta vero pœnas has tantas, tamque graves Adamo, posterisque pro patratis eorum sceleribus merito deposci, longeque, quam eorum exigant demerita, misericorditer agi cum eis a Domino, sic loquens: *preces populi tui, quæsumus Domine clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis affligimur pro tui nominis gloria misericorditer liberemur*. Sic & in epistola, & Evangelio convenienter omnino loquitur, eruditque nos Ecclesia, ne Protoparentum, aliorumque, seu olim, seu nunc etiam quorumcumque peccantium errandi, peccandique exemplum sequamur paucis admonens qua sati terrâ, conditioneque simus, intelligamus nos: scilicet non ideo conditos, & ad hoc in mundo positos, ut otio, deliciisque fruamur, & gaudio, sed ut assidua laborum, & præliorum exercitatione victores efficiamur, & coronemur. Docet enim nos epistola Paulus ad hoc in mundum editos nos, ut per cœlestem hanc Dei mandatorum viam prosperum iter nostrum, & diligenter instituamus, similesque nos esse iis, qui in stadio currunt, propositum ut velociori bravium accipiant: *nescitis*, inquit ille ad Corinth: c. 9. *quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium: sic currite, ut comprehendatis*. Videte quomodo vos ambuletis in via Dei, & Evangelii Jesu Christi; sic currite, ut vitam æternam apprehendatis, ut coronam accipiatis, vel ab iis erudimini, qui vel levioris alicujus, temporalisque spe præmii cursu contendunt in agone, qui quo fiant expeditiores ad cursum etiam a cibo, potuque libenter abstinent, & ab omnibus aliis, quæ currentibus moram injicerent: *omnis enim, qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem*. Quanto nos ergo, quibus æterna proposita est in cœlo laurea debemus abstinere libentius a carnalibus mundi desideriis, seculique vanitatibus cursus nostri pernicitatem impedientibus. *Sic & ego quidem curro*, sic Evangelii, vitæque Christianæ mysteria prædico, *non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Eadem omnino nos docet hodiernum Evangelium, in hunc venisse nos scilicet mundum, ut operemur, & insudemus colendæ Domini vineæ, qui sumus nos ejus una vinitores, & vinea: hæc enim quam a Deo quisque sortitus est anima, vinea illius est ab eo sibi, cuique commendata, quam colat, quam fodiat, quam putet, quam pastinet, fulciat, & pampinet: tunc scilicet hanc putas vitem, cum luxuriantes malorum desideriorum, cogitationumque palmites amputas, cum anteactæ vitæ crimina veræ contritionis, & integræ confessionis scalptro rescindis, cum sacro timoris Domini ligone, pastinoque fodiens in imum humilitatis tendis, tumentem superbiæ cespitem complanas, deprimis, cordisque duritiem infringis, quo, ceu gleba recens attrita, cribroque suaviter excussa superni roris excipiendo muneri, divinæque gratiæ sorbendis aquis aptior fiat. Fac igitur tibi sit in adversis, & tentationibus crux Domini Jesu pedamentum, & ridica, jugis ut passionis ejus memoria Sanctorumque fulciaris exemplo, ne serpat in imo vitis tua, quasque editura est, uvæ pereant, & marcescant; sed exuberent, abundent, & maturescant, ut

æternæ gloriæ multum, & defæcatum reddant. Quod autem id non in nostra sit potestate, nec nisi Deo juvante vineam hanc Domini curare valemus: non defuturum ideo nobis in Evangelio pollicetur Dominus, præstoque semper in laboribus affuturum, quin & adeo de nobis esse sollicitum, ut ad operandum etiam invitet, & provocet nos in vinea sua, seque similem homini velit in Evangelio patrifamilias, cui fodienda, colendaque grandis est, & amplissima vinea, cui opus sit innumeris prope vinitoribus, & fossoribus, & iteratis sæpius ad forum ire locandis agricolis, & operariis: adeoque summo ille surgit mane, itque locatum operarios tum hora sexta, & nona deinde ad meridiem, ac tertia etiam a meridie hora, demum inclinata jam die circa solis occasum, itaut semper sit sollicitus de locandis operariis, & ad laborem excitandis, quibus erudimur Dominum urgere nos assidue ad salutis opus operandum, ad id nulla non ætate, vel hora nos provocare, non invitare neminem, qui serio laborare paratus sit, etiamsi tardius vel sole cadente, hoc est extremis vitæ mortalis hujus angustiis aggrediatur opus. Plures namque vocavit ille summo mane, qui primam utique, quam ab ortu receperunt in baptismate puritatem, retinuerunt, & innocentiam, nec lethale quid ab eo, & maculam admiserunt: alios vocavit adultos, ac juvenes, alios ætate virili, demum & senes alios capulares, & canos: in quos & ille tam bonus, & misericors egit, ut plures tardius etiam, & inclinata jam vitæ die vocati post immensa crimina, vitamque nedum otiose traductam; sed omni flagitiorum genere contaminatam, post excisam prope, & destructam animæ suæ vineam, impigre deinde fideliterque laborantes æqualem iis, qui per totam vitæ diem insudarunt sanctis mercedem obtinuerint.

Itaque, charissimi, ne jam ultra stemus in hujus seculi foro otiosi; redditam enim minime legimus in Evangelio mercedem otiosis, sed operariis, nec vocat ille otiosos, sed operarios mercedem ut accipiant, diurnumque denarium. Otiosus ille est, & vivit, qui salutis suæ negotium non agit, quantumvis implexus aliis, & intentus; seu rectè dicimus otiosos etiam operose construentes ædes, & coaptantes puerulis. Unam scilicet tradidit tibi animam Deus, commendavitque salvandam; vide ne pueriliter in eo te geras negotio, vel insipienter; quanta res tibi momenti sit attende, ac ubi magis impendet tibi periculum, & damnum curam adhibe diligentiorem; cumque præ ceteris omnibus majoris tibi momenti noveris animæ salutem, huic sollicitus, & totus insta maxime ne vel sero tandem frustra te pœniteat.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS NONA.

Dominica in Sexagesima.

Quam negligentes, & incauti nostræ salutem operemur hic animæ sub male curatæ, cultæque parabola, vel typo vineæ nobis hesterna Dominica proposuit, & vel gemebunda sancta mater expressit Ecclesia. O stupenda prorsus hominis, & horrenda cæcitas! animam tibi Dominus, ceu vineam commendavit, ut eam diu, noctuque coleres, fodiendo, putando, vel impinguando, fructumque suum reddat in tempore opportuno, suaveque demum æternæ felicitatis, ac beatitudinis vinum edat, & fundat. Tu interim iners, & otiosus hanc opprimi finis vepribus, & spinis, sepibusque disjectis obviam populandam permittis, & conculcandam capris, & feris immanibus undequaque furentibus Dæmoniorum, & vi-

& vitiorum. Hac autem, quam modo colimus, Dominica eumdem hunc salutis nostræ neglectum sub alia nobis exhibet, & exprobat Ecclesia, similitudine, agri videlicet sterilis qui nec bono satum semine sementem facit; hoc scilicet hodiernæ lectionis, & Evangelii est compendium omnino dolendum, lachrymisque perpetuò deflendum; cum ex sato multiplici doctrinæ cœlestis, & Verbi Dei in corda hominum bono semine tertiam, ut minimùm Dominus afferat infrugiferam, & vacuam, vixque quartam illius partem afferrè fructum, non quidem hujus divini culpa, vitiove seminis, sed ejus in qua seritur ingratitudine terræ, ut infra videbimus. Quare luctuosis hisce, querulisque verbis merito missam orditur hodiernam Ecclesia super hoc animarum tam gravi damno, cœlestique jactura seminis auxilium implorans a Domino, remediumque dicens: *Exurge Domino quare dormis? exurge, & ne repellas in finem*; Quare nos deseris ambulantes in tenebris; *quare faciem tuam avertis, obliviscaris tribulationem nostram, sed bæsit in terrâ venter noster*, & anima nostra cœlò aversa est; *Exurge Domine adiuva nos, & libera nos*. Psal.43. Ut autem intelligamus hoc infrugiferæ vitió terræ fieri non agricolæ seminantis culpa, quem ideo misit in mundum Deus, perexiguum esse prædicationis fructum; Eximium alterum Agricolarum hujusmodi, prædicatorumque verbi divini nobis in epistola proponit hodie sancta mater Ecclesia; quam immensis ille egerit laboribus, & industriis, quantis ærumnis, & periculis se in id objecerit, quam dura passus, nobis exponit. Is ille Paulus est Apostolus, qui de se hac, quam audivistis, in epistola ait, *se verbi Dei semen in Orbe seminantem, & promoventem in vincula sæpissime missum, vapulasse sæpius, sæpissime mortis periculum adiisse: Quisquis*, inquit ille 2. ad Corinth. 12. v. 6. *Quadragenas a Judæis unâ minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in falsis fratribus, in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in frigore, & nuditate; præter illa quæ extrinsecus sunt sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi scit quod non mentior*. Vides hîc immensos hujus a Dèo missi, serentisque labores agricolæ? quam porro putas tulisse frugem, & messem? Quos putas divinum hoc suscepisse verbi semen? quot existimas animas acceptæ doctrinæ luce perfusas? Ex Evangelica nostra lectione conjectu facile. Utinam eorum vel quarta pars, Paulum qui prædicantem audierunt, aut quemlibet Apostolorum alterum ad Deum conversi salvi fierent. Palam id erit ex Domini parabola. Sic enim Lucas in Evangelio c.8. Quod, *cum turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad Jesum*, ut audirent illum prædicantem, *exiit ille seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud*, sicque frugi nihil attulit; *aliud cecidit supra petram*, & aridam terram, *& natum aruit, quia non habebat humorem: Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum*. Addidit autem Evangelium, quod Dominus hæc dicens clamabat, *qui habet aures audiendi audiat*, ac si dixisset audiat, cui concessum a Domino, quod audit intelligere, & capere. Hanc porro sic discipulis suis exposuit postea similitudinem Dominus dicens: hujus quam obscure populo proposui similitudinis arcanum placet aperire vobis discipulis meis futuris mundi magistris, divinum hoc, qui toto sparsuri orbe estis, & seminaturi semen; istud vere vobis annuntio durum, & triste, quo audito patientia vobis opus erit in prædicationis officio,

ne

ne despondeatis animo, sacrique hujus ministerii opus intermittatis exiguos adeò laborum, prædicationumque vestrarum fructus, intelligentes hanc esse naturæ humanæ conditionem sic agrestem, & impuram, supremique numinis nutibus, & imperiis intractabilem, ut frustra plerisque verbum Dei prædicetur, paucissimique retineant, & fructum afferant; ac primùm quidem advertite, ut in viam, ac tritum iter incidens semen nullum facit fructum, sic & hominum animas viis esse regiis, & communibus omnino simillimas, terrenis scilicet adeo detritas, & conculcatas, quibus inebriantur, & atteruntur, ut nec aptus sit eis divini Verbi suscipiendo, retinendoque semini loculus. Sicut enim attrita pedibus via nec irrigua est, nec blanda, seminique recipiendo non est idonea, adeout quod in eam mittitur, semen penetrare nequeat, & in superficie terræ consistant, sicque conculcatur a prætereuntibus, aut aves illud comedunt: sic & quod in apertas mundi negotiis animas, periturisque seculi rebus conculcatas, & attritas nullâ sulci cœlestis, vel irrigui præparatione dispositas decidit divini verbi semen, inutile manet, & perit: voracibus inferni, fuliginosis volucribus advolantibus, quæ statim illud ab eorum animis, & attentione submovent, mentesque illorum inanibus, aut noxiis inficiunt, & implicant curis, vel certe pessimis itinerantium hujus seculi, frequentibusque consiliis, & exemplis atteritur, & conculcatur. Nec mirum hominem divini verbi granum intimo corde non retinentem illud ammittere facile, & oblivisci, ac cetera etiam pretiosa, male quæ nutriuntur, plerumque perire solent. Quare quæ salutis fructum habere cupit anima, spiritualis illi sulci labores afferat opus est, & irrigui, quo verbi Divini semen excipere valeat, ac cum Psalte Domino dicat psal. 118. v. 86. *In corde meo abscondi eloquia tua*, ut servem ea, *& non peccem tibi*. Vel ut idem alibi Psal. 39 v. 11. *Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei:* seu ut alia legit versio, in medio ventris, & viscerum meorum; ac si diceret non exteriori mentis meæ facie suscipio Domine, verba tua, sicut quod in conculcatam humum cecidit semen, sed aperta anima, intimaque plurimis etiam ea suscipiendis, divinæque tuæ legis, & voluntatis adimplendi præcepta desideriis irrigua, sulcataque recipio. Quare verba, mandataque tua, & legem tuam habeo in medio cordis mei, non exteriori tantum memoria, sed intimo affectu, & attentione continua. Ideo Psaltes alibi dixit: psal. 118. v. 98. *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est*. Vos itaque, Fratres, temporalibus hujus mundi perpetuò distenti, videte ne callum obducatis, indurescatis, & algeatis in rebus spiritualibus, salutisque vestræ negotio.

Addit præterea Dominus discipulis suis alterum esse hominum genus, quibus frustra seritur verbum Dei, qui scilicet leves sunt corde, facileque moventur, quamvis enim hi cum gaudio quidem initio suscipiant verbum salutis, vitamque videantur inire meliorem, non firmiter instant, & perseverant, *sed in tempore tentationis recedunt*, instanteque probatione, & persecutione a cœpto resiliunt, & ad priora revertuntur, ut in eis, haud secus ac humore deficiente, cadens in petram triticum arescat, & divini verbi semen. Ideo comparantur hi semini, quod in petram cecidit, & super lapides, quibus inniti, vel radices agere nequit; adeoque vel levissimo solis æstu siccatur, & arescit. Sic utique complures hodie conspicimus audita prædicatione, aut exomologesi sincere peracta videri quidem exinde tempus aliquod cautiores, ac religiosiores, ac in negotio salutis rectè ambulantes, adveniente porrò tentatione, dataque peccati occasione vinci, & ad priora delabi. Sicque convincitur nusquam in eis egisse radices divinum hoc verbi, timorisque

morisque Dei semen. Videte itaque, charissimi, quoniam una est, quæ coronam assequatur, perseverantia, nec enim scriptum invenitur quoniam qui benè cœperit, & profecerit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Tertium autem hominum genus, quibus infrugifere seritur verbi Dei semen illi sunt, qui terrenis oblectatinnibus, aut divitiis inescantur & inhiant, ut enim interpretatus est Dominus spinæ sunt divitiæ, & voluptates verbi Dei semen omninò suffocantes, meritoque illæ, inquit Gregorius, divitiæ spinæ dicuntur, quæ tantis curarum aculeis avari pungunt, & lacerant mentem. Nec minori jure spinæ nuncupantur carnis deliciæ, corporisque voluptates, quæ licet illiciant; obscœni tamen cor interius, & conscientiam acriter pungunt, & mordent, cruentant animum, & mentem torquent præter æternos, horrendosque quibus addictus obstringitur inferni cruciatus.

Demum quarta superest felicis, & frugiferæ terræ pars, in quam cecidit verbi Dei semen, & fructum attulit: quæ homines illi sunt, qui audientes verbum Dei retinent in corde bono affectu videlicet, & memoria, & fructum afferunt in patientia. Hic nobis eximie commendat Dominus patientiam, adversitatisque tolerantiam, qui nihil in nobis unquam frugi, vel germinis æternitatis, & gloriæ facturum, & producturum asserit absque illa Dei verbum. Quocirca, charissimi, si fructum afferré volueritis in vobis Dei verbum, patientiam æmulemur, & induamur, cum nobis non desit in hoc mundo patiendi occasio frequens. Eapropter ipse salvator noster Dominus Jesus Christus cœlestis doctrinæ suæ verbum semini comparavit, & tritico, quod seminavit homo in agro suo, ut in tempore messis fructus colligat. Ut enim illud quod in terram mittitur tritici granum, antequam panis fiat candidus, & primarius in varias formas agitur, teritur, & subigitur, sic nisi per varias interiores, exterioresque seculi tribulationum, & adversitatum exercitationes, &passiones æternæ nos salvationis nostræ fructum assequi non posse decrevit omnipotens Dominus; sunt, inquit Dominus, in hujus area mundi boni simul permixti malis, sicut in area reperitur agricolæ palea simul, & triticum; & sicut in area palea simul, & triticum teritur, & conculcatur equorum, boumque saltibus, flagello, vel tribula; jactatur in auram, & ventilatur utrinque: triticum porrò conteritur, & ventilatur, demùm, & servatur in area; paleam verò ventilabro foras eiicitur, & vento rapitur. Sic utique veri sunt in hoc mundo Christiani, conculcantur, atteruntur, insequuntur, a plurimis impugnantur, & torquentur acerbius a Dœmone, fœderatisque ejus mundo, & carne; nec tamen ab area Domini discedunt, aut proiiciuntur, sed in ea constantissime perseverant fide, spe, & charitate: at verò qui leviores animo sunt, & inconstantes, ut paleæ ad tentationis cribrum, & ventilabrum foras exeunt, & eiiciuntur ab area, a fide, speque excidentes, & charitate. At erit aliquando novissimus ille dies, inquit Dominus, quo triticum a palea segregetur, hæcque mittetur in ignem æternum comburenda; illud autem in regni Ecclesiæ horrea congregabitur, & conservabitur.

COLLATIO SEU PARÆNESIS DECIMA,

Dominica in Quinquagesima.

Cum proxima die Mercurii sacrum orditura sit Ecclesia mater jejunii quadragesimalis, & pœnitentiæ tempus, hac idcirco Dominica nos ad illud aptare ea nititur. Idque conficit erudiens nos quæ, & quanta esse debeat ut Deo grata sit,

ſit, & accepta pœnitentia noſtra, & ad eam amplexandam invitans, & provocans. In epiſtola quidem quomodo eam agere debeamus inſtruit nempe charitate niti, judicarique debere, Deique unius, & proximi dilectione, quæ ſi defuerit, nec jejunium noſtrum, nec aliud quodvis opus pœnitentiæ bonum alicujus nobis fuerit apud Deum lucri, vel meriti. In Evangelio vero dum paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti memoriam exhibet, nos ad amplexandam peccatorum veniam, & pœnitentiam ſeria mortificatione carnis, & caſtigatione provocat, & invitat. Cumque nullus hominum queat, niſi Deo propitio, juvanteque ſupremo, & omnipotente Domino noſtro veram aggredi, complectique pœnitentiam; Ideo ſtatim ab exordio, & introitu miſſæ divini quærit, & implorat hac Dominica gratiam auxilii dicens. Pſal.30. v.9. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut ſalvum me facias, quoniam firmamentum meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. In te Domine ſperavi non confundar in æternum,* ab expectatione mea.

In epiſtola docet nos Paulus, quantæ ſit virtutis, & momenti, ſive præcellentiæ charitas, utque nihil ea ſublata nobis proficiat ante Dominum. Quare ſi quid apud eum opus valere nobis, & proficére volumus ſuſcepti vel jejunii, vel orationis, aut eleemoſynæ; hæc ut a charitate generentur, & regulentur omnino neceſſe eſt; ſcilicet ut in iis maxime placere Deo ſtudeamus, mundaque, & pura nobis ſit mens, & animus a quavis invidia, livoreque in proximum, & odio: ſecus enim nobis hæc nihil omnino profuerint ante Deum. Quod ſic exponit nobis in epiſtola Paulus, & conficit dicens Corinth: c.13. v.4. *Si linguis hominum omnibus loquar, & Angelorum,* ſi cunctis orbis gentibus prædicavero, *charitatem autem non habeam factus ſum, velut æs ſonans, & cymbalum tinniens,* quod quidem alios excitat, dum nil ipſum excitatur, movetur, aut proficit. Sic etiam *etſi habuero prophetiam, & noverim omnia myſteria divina, & omnem ſcientiam, etſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ut autem intelligamus, quæ tandem illa ſit, ejuſque dotes, & munia deſcribit integre Paulus, & addit, dicens, hanc ſi noſci vobis lubeat, & experiri ab effectibus illa probanda eſt, & iis quæ in ejus quem agit, efficit, & profert anima, miris, ſuntque iſthæc omnino videlicet. *Charitas* primo quidem *patiens eſt*, & omnia ſuffert, adverſa omnia ſuſtinet, etiam aliorum & infirmitatis, & proximi vitia. *Charitas benigna eſt*, non gaudet ſuper iniquitate, vel alieno malo, cui illa ineſt anima *non æmulatur*, non vana, non elata eſt, & ſuperba, *non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt;* ſed quæ ſunt Dei: *non irritatur, non cogitat malum, non æmulatur, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit,* non tamen omnibus; ſed quibus credendum ultro credit, & facilis Deo ſcilicet, & Eccleſiæ matri, & *omnia ſperat* ſe recepturam a Domino: nec expectatione, nimiaque cunctatione dejicitur, quantumvis tarde ſibi ſit auxilium a Domino in adverſitatibus, & anguſtiis ſuis: denique concludit Apoſtolus harum ſupremam eſſe trium virtutum Theologicarum fidei, ſpei, & charitatis, ceterarumque præcellentiſſimam, adeoque ceterarum hanc eſſe veluti formam, vitam, & animam, qua vel abſente frigent omnes, & extinctæ videntur. *Nunc autem,* inquit ille, *manent fides, ſpes, charitas: tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Sola bonorum operum attingit ſcopum, & ad ſuum dirigit, quem petere debeant finem. Quare virtu-

virtutes aliæ, cum hæc adest, inclarescunt, micant, & vigent, ubi defuerit, & illæ latent, deficiunt, & pereunt. Idcirco dictum a Domino Matth. 6. v. 23. *Si oculus tuus*, seu mens, & intentio tua pura *fuerit*, *& simplex totum corpus tuum*, idest omne quod operaris *lucidum erit*. Si autem *fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit*, quam videlicet una parit charitas intentionis rectitudinem, & puritatem. Quapropter, amantissimi mei, laboriosum hoc pœnitentiæ opus inchoemus, & suscipiamus in charitate viva radicati, consilium nostrum, & mentem eo dirigentes, & sincero corde Dominum ita compellantes, & alloquentes. Hac, Domine, propono quadragesima castigare corpus meum, emundare vitam in melius, instareque bonis operibus propter te unum, Domine, quem, cum amare, colere, & observare debuerim super omnia despexi, parereque renui. Quod autem ad pœnitentiam haud nudum velle sufficiat consilium, sed serio incumbendum insuper est operi, consiliumque non segniter ad opus revocandum, cum plerique ferveant intentione, qui tamen in operando languent, & deficiunt, ideo, quæ nos in epistola de recta finis intentione docuit Ecclesia postmodum ad amplexandam, invocandamque serio, cumque fervore pœnitentiam, carnisque macerationem animosius incendit, urget, & provocat in Evangelio, compendiose nobis in id historiam revocans, & memoriam passionis, & mortis Domini nostri, quæ ad quamlibet emolliendam cordis nostri duritiem, ad vincendam ejus frigiditatem, & inflammandam, ad segnitiem abigendam, & excutiendam omnium efficacius est argumentum. Ait itaque Lucas in Evangelio c. 18. v. 8. Quod cum assumpsisset Jesus ad se secreto duodecim Discipulos suos arcana cruentæ mortis, & passionis suæ, quam subiturus erat in Jerusalem eis aperuit, sic eos allocutus. *Ecce ascendimus Jerosolimam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint occident eum, & tertia die resurget*. Hæc si vobis, charissimi, non sufficiant ad comprimendas, rejiciendasque carnis illecebras, obscænaque desideria, & vana: quid tandem id præstare vobis possit, omnino non video, si non hæc adducant, & urgent ad frænandas carnis voluptates, & delicias, & inhonesta, quibus eum cruciastis, & afflixistis oblectamenta, quibus aliis induci, moverique valeatis ignoro, atque idcirco voluit, & prudenter instituit pia mater Ecclesia sacræ nobis Dominicæ passionis memoriam exhiberi statim ab exordio Quagragesimæ, ceu validius quod ad conterendam cordis nostri duritiem adhibeat, explodatque tormentum, & propugnaculum, pro te scilicet intelligens illa hæc, si Dominicæ passionis memoria nostrum non emolliatur cor, & conteratur, ut peccandi finem faciat, & pro patratis antea doleat, & pœniteat nullo tandem alio vinci posse remedio. Voluit & eadem Ecclesia parens hac nobis Dominicâ passionis Dominicæ proponens Evangelium nimium effræni nostræ dissolutioni modum ponere, coercere vanitates, ingluviemque comprimere effusam epularum, cibique, & potus extinguere libidinem, quibus indulgere plerumque solent hocce bacchanaliorum tempore Christiani. Nititur illa tantæ Domini passionis memoria, nefandam ut hanc temperare quoquo modo possit appetentiam, si vel objecta nobis gustati, & liniti pro nobis in cruce fellis, & aceti pro recordatione nos tandem ab hujusce temporis aliquando lautitia revocet, & ebrietatibus ab epularum illecebris, & commessationibus indebitis. Licet autem sic paucis, & compendiose Dominicæ passionis mysteria proponat illa sunt nihilominus intime pensanda, & ponderanda, ejus, quibus utitur, eloquia. Ut autem id intelligas fac tibi præsto sit adunatus in

apertissima, vastissimaque planitie mundus universus, ad quem viarum Domini, consiliorumque illius supra perditi redemptione generis humani nescium, & ignarum accedat a Deo Propheta vir, & dicat audite, & intelligite jam advenisse tempus, quo quæ promissa pridem, & prophetata, scriptaque fuerunt, futura de magni Messiæ Jesu gloria, & majestate, sicut promissum est mundo, Judæisque speciatim a Domino ventura sunt, & complenda. Nunc adest hora, qua palam omnibus, & mundo fiat immensæ hujus lætitiæ, victoriarum, & triumphorum, regnorum, & potentiæ descripta quondam, & promissa gloria. Quantas fore putas audientium expectationes, & animos? ac dum illi animo suspensi modum dilucidius explicari quærerent, & urgerent ab illo, quo tandem hæc implenda forent prædicta Messiæ portenta victoriarum, & gloriæ, demum is ipse Propheta subjungeret eis: Quæritis quomodo sit implenda, quæ promissa fuit, & prophetata Messiæ gloria, & claritudo. Illudetur ei ceu stulto, conspueturque, flagellabitur ut servus, tandem ut prædonum nequissimus ignominioso crucis supplicio damnabitur. Num qui hæc audirent divinæ sapientiæ nihil arcana cupientes jure merito mirarentur, & obstupescerent? Proinde, charissimi, videte tandem, & intelligite, contumeliis, ignominiis, & adversitatibus hujusmodi nihil esse nobis optabilius, & conducibilius, iisque nobis apertam, & regiam, & unicam ad æternæ felicitatis honores, & gaudia consequenda, quam fecit Dominus, & constravit viam. Ubi vero tu sic cæcutias, ut non ista percipias, seculique hujus etiamnum anhelas, & optas inanes fragilesque glorias, & illecebras, hujus saltem exemplo, quem habes in Evangelio, te cæcutire disce, & una cum illo orans, ut visum recipias a Domino tota contentione animi etiam importune postula sic dicens: O Domine obtenebrati sunt animæ meæ, & mentis oculi, quidquid mihi bonum, aut malum, utile, noxiumque non perspicio, cui veræ videntur, & solida seculi hujus inania, & ludicra bona, leviaque, & fictitia, quæ futuri ventura sunt solida seculi bona, qui nec ea vere, & efficaciter opto, & ardeo. Quare illumina Domine oculos meos, ut ea distinguere, & apprehendere queam sicuti sunt, ut vana vana esse videam, & vera vera, ut illa despiciam, & vera prosequar, æternaque demum in cœlo luce perfruar. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS UNDECIMA.

Dominica prima Quadragesimæ.

Cum hæc prima sit hujus, quam inimus, quadragintadialis pœnitentiæ Dominica, operæ pretium fuerit modum exponere vobis, & aperire, quem in eo tenere debeatis, ut accepta sit coram Deo, atque in primis illud advertendum, quodnam habere debeamus, & ponere veræ pœnitentiæ fundamentum, ne forte solido deficiente, quæ superædificaverimus, struxerimusque omnia de repente ruant. Quocirca sciendum vobis, & jejunii nostri, ceterorumque omnium pœnitentiæ nostrorum operum unum, ac verum, legitimumque esse fundamentum hoc, ut immutetur voluntas nostra, parumque id vobis, & nauci esse, si mutatis eduliis, mutatio nulla sit vobis animorum, & voluntatum. Immutari porro voluntatem intelligimus, cum apud semetipsum aliquis tranquillo, sedatoque animo, sic constituit, & intimo affectu sic alloquitur semetipsum. Hactenus indulsi genio, meaque volui vivere gaudia. Amodo jam ad unius Dei glo-

gloriam, & voluntatem vivere constituo, quod volupe fuit, & libitum hactenus egi jam abrenuntio propriæ voluntati, & affectibus propriis, unam ut Dei voluntatem audiam, & sequar, ea in una mihi sit amodo meorum operum, verborumque, & desideriorum omnium meta, & regula, cui enim cum divina non recte sua convenit, vel ab ea deflectit, grata Deo nequaquam esse possunt opera, uti Dominus aperte dixit per Esaiam c.58.v.10. Ubi cum Judæi quererentur, quod eorum jejunia non acceptaret Dominus, & liberaret a tribulationibus suis, ita Dominum alloquuntur: *quare jejunavimus, & non aspexisti* benignis oculis, *humiliavimus animas nostras* per pœnitentiam, *& nescisti*. Quibus ita respondet Dominus, quia: *ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*. Nempe jejunat venter, & stomachus, obfirmaturque voluntas in rebellione, & contumacia sua. Primum ergo, quod præstare debemus, charissimi, suscipiendæ pœnitentiæ fundamentum ædificii firmum est in bono propositum, & consilium, sic ut primum apud nos animo constituamus, & dicamus: volo imposterum, & propono christiané vivere, præcepta Domini diligenter custodire; voluntatis meæ conterere duritiem, æstuantes illius, & insurgentes adversus Dominum, ejusque legem affectus extinguere, & comprimere, atque illud ipsum est, quod oratione Dominica quotidie volumus cum dicimus: *Pater noster, fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*. Idem & Psaltes Regius assidue rogat dicens Psal: 140.: *doce me facere voluntatem tuam Domine*. Istud porro voluntatis opus immutandæ, ne magni, diuturniorisque temporis esse putetis. Quisquis enim vel momento quolibet, bene juvante Deo, qui nusquam nobis deest suam facile potest immutare voluntatem, & dicere intra se, ab hinc aliud ego nihil, quam quod vult Deus volo. Quare, ut jam dixi, hoc vobis jejunaturis primo loco proponendum: quo posito secundum est, ut & cum Domino vos pariter in desertum jejunaturi secedatis, uti præsentis habet Evangelium Dominicæ, hoc autem aliud non est, nisi ut vot ipsos interius colligatis, & in arcanum cordis vestri conclave secedentes conscientiam vestram excutiatis, cunctaque vitæ prioris errata publica, vel occulta, majoraque, vel leviora vobismet in memoria revocata doleatis, sinceraque contritione cordis, & integra confessione doleatis, sanctum illum imitati, Regiumque Prophetam Psal:118. v.59. *cogitavi vias meas*, omnia vitæ prioris opera mea recensui, pluribusque aberrasse me a recta voluntatis tuæ semita deprehendi: *& converti pedes meos in testimonia tua*. Et Psal:76.v.7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*. Hoc vero regius agebat, implebatque Propheta cum nondum esset a Deo præceptum confitendi positum. Quanto magis ergo nos obstricti nullam non adhibere integræ peccatorum omnium apud Sacerdotes exponendæ confessioni diligentiam? Quare cum confiteri proponitis, charissimi, non id, quæso perfunctorie, leviterque fiat, sed serio, atque ad animæ salutem agite, in secretum animæ, conscientiæque vestræ cubiculum jam secedite, priorisque vitæ culpas excutite longo dierum, horarumque spatio, iisque in memoriam revocatis, & in unam quasi fascem adunatis de iis omnibus toto mentis affectu, doloreque pœnitere satagite non unius Inferni metu, sed ex intimo, effusoque in Christum amore Redemptorem, & Dominum, quem colere, & diligere super omnia debueratis, indigne sic habuistis, despexistis, & lacessistis; tum ea, qua par fuerit animi reverentia, tremoreque, & fiducia tacita mente culpas expendentes, & lugentes ad Sacerdotis pedes procumbite, quasi ad Christum ipsum e cœlo prolapsum, & in hoc templo præsentem corporaliter, & visibiliter accederetis eidem hanc vestram depositluri con-

confessionem, omniumque peccatorum pro doloris acerbitate, contritionisque vestræ modo veniam, & indulgentiam impetraturi. Nec enim in hoc Sacramento, quis, qualisve ille sit homo pensandus, aut Sacerdos, ad quem sacræ causa peragendæ exomologeseos acceditis, sed cujus ille vices, personamque sustinet, quave vobis authoritate, & nomine peccata dimittit. Voluntate porro sic immutata, veraque, & integra confessione peracta bonis instandum, & perseverandum est operibus, ferendisque dignis pœnitentiæ fructibus, ceu homines novum vitæ genus ineuntes, & pœnitentiam apertè profitentes, quæ vero sint ea, quibus instare debeatis opera pœnitentiæ Paulus exprimit hujus in epistola Dominicæ sic ad Corinth: c.6. v.1. dicens: *Fratres hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* hoc sacro tempore vobis oblatam: hoc enim acceptum est Domino, hoc peccatorum indulgentiæ datum, vestræque saluti paratum a Domino tempus. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis:* primum ergo cavete, ne quem lædatis: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium vestrum, sed in omnibus exhibeatis vos, sicut Dei ministros, & famulos, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis*, immissisque vobis omnibus a Domino plagis, & laboribus. Quare convenit nobis esse frequentes, & excitatos *in vigiliis, in castitate, in scientia* saluti nobis necessaria, *in longanimitate* delatum etiam, & expectatum infinitæ Dei misericordiæ patienter sustinentes: *in Spiritu Sancto*, qui corda servorum suorum unus implet, & santificat: opus salutis nostræ constituentes *in charitate non ficta*, cum proximo, *in verbo veritatis* in iis, quæ nobis ingruunt adversitatibus propriis viribus minime confidentes; sed *in virtute Dei*, & potestate, *per arma justitiæ* viriliter decertantes *a dextris, & a sinistris*, ut in prosperis, sic in adversis recte semper incedentes, sive per *gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam*, quamvis interdum habeamur ab omnibus: *ut seductores, & veraces, sicut qui ignoti*, despective, *& cogniti*, honorificeque habiti varia subeuntes vitæ discrimina, *quasi morientes, ut castigati, & non mortificati* corpore, *semper autem gaudentes* spiritu, *sicut egentes* temporalibus; *multos autem locupletantes* spiritualibus, *tamquam nihil habentes* proprium tam liberali tamen animo, *ac omnia possidentes*. Hæc hujus epistolæ diei summa, quibus verbis Apostolus vere pœnitentis nobis vitam exhibet, & opera. Verum ne qui priorem emendavit vitam, excitandisque instat operibus bonis, inde securiorem se putet a Diaboli laqueis, & tentationibus, a quibus is vel tunc maxime sibi cavere debet ab eo frequentius impetendus, & validius. Idcirco quid Imperatori nostro, Ducique, & Salvatori contigerit in Evangelio nobis Ecclesia ob oculos ponit, qui *ductus est in desertum cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus impetitus est, & tentatur a Diabolo*. Sic autem illi concessum a Domino tentare, ut eum posset, quo suo nos exemplo, quomodo vincendus a nobis ille, prorsusque despiciendus erudiret, idcirco voluit & tertio tentari a Dæmone, triplicique illo, quo nos ille solet aggredi telorum, tentationumque genere lacessere. Primum enim Dominum aggressus ille est dicens quod tam austeri productione jejunii deficeret fame, proinde si filius Dei esset, ut & lapides isti panes fierent imperaret, & ederet. Commune telum est istud, & tentatio, qua & complures decepit, quos, ut indulgeant corpori, suamque solliciti curent egregie valitudinem, inducit, & urget. Edere quidem nihil vetat, & omnino culpabilis, & profliganda, quam curando, signandoque corpori ventri servientes adhibere solent, auxietas, & nimia sollicitudo. Hæc enim obsoniorum, ferculorumque mira varietas, & tanta lau-

lautitia non servando, sed perdendo, mactandoque corpori potius idonea est. Ut autem a Domino fieri miraculum, ut comederet, Diabolus excitabat, sic epulonibus, & gulosis author idem est, ut tot, adeoque stupendos, & inauditos experiantur cupediarum, condimentorumque, & salgamorum modos, & componant, quæ non modo comedentis appetitum provocat, & mulcet, sed inficit, stomachum, & conficit. Quamvis autem assidua nobis immineat gulæ tentatio; miris tamen, ac mille modis hoc sacro præsertim tempore nos impetere nititur Diabolus, ut gulæ serviamus, & pareamus, sacram abstinentiæ, & jejunii legem inverecunde conculcantes, & violantes inertes ille scilicet, & frigidos impellit, & movet, unius gratia ventris, & oblectatiunculis jejunium despicere, & ex toto abjicere; aliis levioris occasione mali, vel infirmitatis inepta prorsus ad jejunium suadet esse valetudine, vescendumque illis carnibus. Valentiores autem, & ad integrum, quo tenentur, idoneos paratosque quadragesimæ jejunium a tam gravi deterrere conatur onere, sat sibi fore, si semel, aut iterum in hebdomada jejunaverint ingerens, qui semel in die comedunt, ut annonam duplo augeant, quousque duabus ederent unica devorent commessatione cibos, ac se ingurgitent, nullus, aut levis ut illis sit jejunii labor, aut nihil experiatur ex eo corpus incommodi, tamque vel tunc illis libido vigeat, & carnis appetitus, ac cum bis in die comedunt, ut nec sic jejunii finem assequantur assurgentes comprimendi libidinis æstus, animumque ad orationem, & meditationem invitandi. Aliis etiam in ponenda collationum, & procœnarum illudit ratione, ut justæ, moderatæque cœnæ etiam modum impleant: cum certo sit certius, ibi nullum esse comedendi locum, licereque tantum, & tolerari cujuscumque leviori buccella comestibilis elaboranti mederi stomacho, eoque uti, ceu remedio, ne potus noceat. Demum hisce, & aliis jejunandi præscriptis ab Ecclesia temporibus variis ille nos circumvenire solet insidiis, & irretire laqueis circa cibum, & potum, ut vel cum animæ dispendio contra præcipientem Ecclesiam lethaliter obsistamus, & rebellemus.

Altera qua Christum pepulit, & impetiit tentatio fuit inanis gloriæ, & popularis auræ. Ut enim habet Evangelista *assumpsit eum, & statuit supra pinnaculum templi, & dixit ei* mitteret se deorsum, nec sibi quidquam mali vereretur, & periculi, quia de eo mandavit Angelis suis Deus, ut tollerent eum in manibus suis; quibus evidenter apparet eum non alio collimasse, nisi ut ad famam ambiendam, vulgique plausus, & auram Dominum excitaret, quem illæsum, & innoxium omnes tam prærupto loco palam præcipitem corruisse vidissent, & mirarentur. Sunt hi videlicet Diaboli casses, & artes, quibus innumeras ille prope venatur animas, quanti ad famam referat, & bonum nomen eis ingerens, & probari ab omnibus, & laudari nimirum ut a bonorum operum excidant merito, & præmio. Ut enim institoria navis, & dives cursu secundo navigans aura levi disiicitur, & in profundum pelagi mergitur, sic & anima spiritualibus onusta quantumlibet, gravisque divitiis ab inanis elata gloriæ vento rapitur, & misere perit, cum ea quæ recte, & sancte agit ad ostentationem agit, hominumque maxime venatur in iis, ambitque auram, & gloriam. Quapropter amantissimi videte, ne vento circumferantur, & pereant labores vestri, vestra jejunia, eleemosynæ vestræ; turpiorem ea nullam esse putate vecordiam, animique vilitatem, qua quod non pensari debet, & munerari Deo, vilissimo nostri ipsius, aut inanis, ac levissimæ mundi gloriæ præmiolo, & nundinamur, & profundimus, quæ præterquamquod incerta, & lubrica, plerumque mendacissima est, ut hominibus ea sæpissime laudentur, quæ vituperio digna, quæque laudanda vituperentur. Alte-

Alterum tandem, quod cum Dæmone prælium habuit Christus imperiorum, & opum concupiscentiæ fuit, dicitur enim in Evangelio, quia *Diabolus assumpsit eum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei hæc omnia* se daturum, si *cadens* adoraret eum. Quod autem inter hæc eo devenisset impudentiæ Diabolus contra Dominum ut vel ab eo peteret adorari; non potuit sustinere Christus quin audaciam comprimeret, & retunderet, acerbissimaque illum excipiens objurgatione, optimeque sibi perspectum nomen ejus, & personam indicans a se procul amandavit dicens: *vade Satana: scriptum est enim, quia Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Quantos addicaverit hac ambitus, honorum, potestatis, & dignitatum illecebra suæ ditioni subditos, & mancipارit hic operosius inquirere non est animus: innumeros eos uno verbo sufficiat asserere, quos ille cupiditate divitiarum, & opum nedum babet subditos, sed mancipatos, & in vinculis servos; avaritiam, divitiarumque cupiditarem idolorum servitutem appellavit Paulus ad Ephes.9.v.3. Sicut enim aureum, argenteumque futile simulachrum Ethnicus adorat, & colit Deum, sic sua sunt avaro numina nummi, signanter auri, vel argenti hos suos habet ille Deos, & colit; iis enim totus ille instat cumulandis, augendisque, & observandis, suamque iis omnem collocat industriam, vel sollicitudinem animæ, quam pro iis impendit, appenditque millies innumeris, capitalibusque criminibus immersus, et irretitus; ab hoc pendet Deo suo, ut hilaris sit, aut mœstus, ut enim crescit, aut minuitur nummorum cumulus, ut subducitur, aut augetur sic, et pro modo mutatur avarus, fit vel ex tristi lætus, vel ex hilari mœstus. Quapropter Apostolus ad Timoth. c.6. v 9. Sic efficaciter homines hortatur, ut a cupiditate divitiarum caveant; *Qui volunt divites fieri*, inquit, *incidunt in tentationem, & in laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & æternæ damnationis perditionem. Radix enim malorum omnium est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis, & angustiis.* Hanc denique concludere volens orationem in memoriam vobis revocare velim egregium illud Jobi dictum è sacra pagina vitam scilicet hominis militiam esse super terram, nec enim nos in hoc posuit, voluitque vivere mundo, ut otiaremur, & gauderemus, sed probaturus, ut fortiter, & viriliter adversus mundi, carnis, & Dæmonum impetus obsisteremus, & dimicaremus, ut nos sibi perpetuos haberet servulos, ut denique nos apud Deum gloria, & honore coronaret, vel si molles, & ignavi fuerimus in carceres, & in ignem æternum detruderet. Joannes vero varia recensens præliorum, quibus in hoc mundo petimur genera, omnino tria dixit in epist. c. 2. v. 17. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & divitiarum, superbia vitæ*, sive appetitus gloriæ; Ita triplici jaculo Dominum Jesum ducem, Imperatoremque nostrum adorsus est Diabolus; quare quibusnam is impetere valeat telis eruditi macte animo simus ad pugnam alacres, & ad victoriam expediti, & parati. Scriptum est enim: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Amen.*

COL-

COLLATIO SEU PARÆNESIS DUODECIMA.

In Secundâ Quadragesimæ Dominicâ.

SPiritualis hujusce certaminis tempora sacra decurrimus, & prosequimur, charissimi; Nec enim aliud Quadragesimæ tempus, quam indictum, & statum adversus animæ hostes, & nosmetipsos maxime conserendi manus spatium est, nullus quippe salutis suæ seipso major, aut infensior hostis. Quare præcipuum est, & proprium hujusce temporis exercitium pravas ut hominis affectiones, cupiditatesque horreamus, infringamus, & impugnemus: atque eo pertinet, quam hac nobis Dominicâ profert Ecclesia doctrinam, qua nos ad hujusmodi prælium fortiter obeundum, obtinendamque victoriam excitare tota nititur, & provocare. Quod autem istud ab auxiliante Deo, faventeque maximè pendeat; ideo statim ab exordio missæ Dominum alloquitur, hisque verbis auxilium ejus invocat dicens Psal. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ a seculo sunt*; *ne unquam dominentur nobis inimici nostri: libera nos Deus Israel ex omnibus angustiis nostris: ad te Domine levavi animam meam; Deus meus in te confido, & non erubescam*. Sed postulata benigne concedas, te largiente, memetipso victor evadam, & dominus. In epistola vero Paulus insignis ille Christianæ militiæ Dux adversus geminos hos, potentissimosque hominis hostes quibus adeo frequenter, & fortiter impetitur strenue decertare nos provocat; Luxuriam scilicet, & cupiditatem, sic dicens ad Thessalonic. 4. v. 12. *Fratres rogamus vos, & obsecramus in Domino, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo sic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim*, & recordamini eorum, *quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*, ut mundi sitis, & casti, concupiscentias vestras coerceatis, ut abstineatis vos a fornicatione, ut propriâ quisque contentus uxore *sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum, & ne quis supergrediatur, & circumveniat in negotio fratrem suum*. Cavete ne proximo damnum inferatis, aut divitiarum abrepti cupiditate, quod alterius est, violenter usurpantes, aut astu, ut enim jam prædixi vobis vindex horum acerrimus erit Dominus.

Cum autem ad ardua laboresque præmio, laureâque facile pelliciantur homines, & provocentur, ut in veteri testamento de SS. Patribus legimus, qui aspiciebant in remunerationem a Deo promissam immensos pro Domino tolerare labores, & persecutiones non recusarunt, & dé Sanctis etiam accipimus novi testamenti viris, & martyribus, qui felicitatis æternæ, visionisque beatificæ consequendæ desiderio æstuantes ultro se cruciatibus inauditis, intolerandisque persecutionibus alacres, & fortiter obtulerint, non ad ea, quæ patiebantur, sed ad eum, cujus amore cruciabantur, & ad promissum paratum sibi regni cœlestis, æternique præmium aspicientes; Idcirco cupiens Ecclesia mater ad strenue contra carnis libidinem, & proterviam, ejusque pravos affectus dimicandum, et ad munde, casteque vivendum inducere nos, & provocare, hodie nobis hocce proponit Evangelium, in quo narratur, quomodo tres suos discipulos *assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum* ab omni secretum hominum commercio, cui Thabor nomen dicebatur, ibi-

que

que gloriam suam illis exhibuit aoimæ suæ, quam & in corpus ipsum erumpere permisit, ut sic perspecta, quæ nos manet ab hac vita (si modo Dei mandatis obtemperemus) gloria ad eam adipiscendam alacres, & strenui essemus. Sic ergo Matthæus Evangelista loquitur c.17. v. 15. quod cum mooiusset Apostolos suos Jesus, eorum aliquos, qui tunc præsentes aderant, mortem non priùs *gustaturos, donec viderent filium hominis venientem in regno suo*, Matth. c.12. v.28. Post dies sex *assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix: & ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes: Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine bonum est nos hìc esse, si vis faciamus hic tria tabernacula tibi unum, Moysi unum & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis surgite, & nolite timere: levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte præcepit eis Jesus dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.*

Quo nos Evangelio docet Ecclesia sicut in deserto Dæmonem vicerat Christus, sic eum in deserto, et monte excelso transfigurari voluisse, suoque splendorem exhibere gloriæ, quo scilicet intelligamus, sic agendum nobis si vincere volumus, et spiritum carnis dominari, divinæque eam mancipatam habere voluntati, ac si ab omnibus in deserto segregati viveremus, debereque cum Christo seorsum in montem ascendere, si pari cum Christi facies, et vestimenta resplenduerunt, hodie voluerimus nos gloria frui, firmiterque adeo debere nos adhærere illi, ut Moysi licet, et Eliæ tabernacula faciamus, nullum tamen habeamus aliud, quam Christi tabernaculum, uti Petrus ipse voluit, qui sibi tabernaculum habere noluit, ne se Christi societate sejungeret. Qua ratione, cum ei Christus, et ceteris Apostolis antea dixisset, ut abirent illi a se, si lubeset, ceterorum nomioe reposuit idem Petrus, *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* Joan.6. v.69. Non utique fuere Moyses, et Elias verba vitæ, quibus nulla prorsus erat gratiam, aoimæ vitam conferendi potestas: Tua vero Domine, tua sacram hanc conferunt eloquia vitam, quo nos ergo confugeremus alio plus percepturi, et lucraturi? Et hic unum advertendum maxime, Petrum in tabernaculorum dispensatione de se Jacoboque, et Joanne cogitasse, loquutumque nihil cum esset in monte illo seorsum ab omni consortio segregatus cum Eliâ, et Moyse supremæ illius, et eximiæ Christi particeps, spectatorque gloriæ, quod nec vel uno levissimi momenti spatio vellet abesse Christi consortio. Hic autem homines in mundo nullâ nec Eliæ, nec Moysis societate recreatos fideique lumine collustratos non momento, non anno, sed plurimâ vitæ parte cum peccatoribus impavide manere posse separatos a Domino. Idque ex eo fit, quod quam exitiale, et noxium sit illis cum peccatoribus, et iniquis vivere, quamque periculosa societas impii; quam prorsus utile et proficuum nobis cum Deo morari, et couversari, non attendunt. Quod perpeodens olim Propheta Regius Psal. 84. v. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: Quia melior est dies una in atriis tuis*, et societate tua *super millia* cum hujus seculi hominibus; Quare *& elegi abjectus esse in domo Dei mei, magisquam habitare in tabernaculis peccatorum*, et dominari. *Beati, qui habitant in domo tua Domine in secula secu-*

seculorum laudabunt te. Est et id etiam advertendum, hac vel levissimam gloriæ Domini scintillam inspexisse satis Petro fuisse, ut ceu a se totus alienus, et extra se raptus et Mariæ Dei matris oblivisceretur, et Andreæ fratris sui, a quo vocatus ad Apostolatus apicem ipse fuerat, diceretque Christo: *bonum est hic esse*. Quid, amabo, dixisset ille divinam si contuitus in cœlo fuisset essentiam; si totam hanc qua Beati, qua Christus ipse Salvator, ac Redemptor noster, Sanctusque Sanctorum in cœlo fulgent, intuitus esset gloriam? Legimus in Genes. c.43. v. 34. Josephum in solemni, quo fratres in Ægypto venientes excepit epulo, Beniamin uterino sibi fratri, ceterorumque minimo quinta parte majorem aliis dari voluisse partem, quod iisdem cum ipso parente natus esset, et matre; ceteri vero cum eo dumtaxat uno parente nati essent. Hoc porro epulum, & convivium illius est umbra convivii, quod verus ille Joseph Dominus Jesus facturus est in gloria nobis, fratribus suis, & Angelis. Atque his quidem, quod eodem, ac ipse cœlesti parente ducunt originem unum apponit ille ferculum, & obsonium, suam qua fruantur, & intueantur exhibens divinitatem. Nobis autem fratribus suis minimis, iisdem ac ille patre genitis & matre, suam præbet etiam gloria cœlesti collustratam, atque fulgentem humanitatem sanctissimam, qua sensus etiam corporis satientur, & impleantur. Visus quippe Christi visione satiatur, ut eo viso quisque lætetur, & dicat. Esth. c.15. v.17. *Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum*. Olfactus, & quo delectetur habet humanitatis ejus sanctissimæ, qui fragrantiam olet; unde sponsæ vocem usurpant in cœlis assidue dicentes ad Corinth.1. v.3. *Trahe me post te* velociter etiam currens, *in odorem unguentorum tuorum currimus*. Et quod sapiat os, & gustet abunde recipit, quando Beatorum in cœlo quisquis ore ad os Christum alloquutus dicat. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*. Psal.118. v.103. Habet etiam, quo mulceatur auditus, audita qui Christi voce beatorum quemque compellit cum sponsa dicere Cant. 2. v.14. *sonet vox tua auribus meis*. Nec illicio suo fraudatur tactus, qui sacra Christi vestigia premat, unde & omnes in cœlo Beati cum sponsa verba repetunt Cant.3. v.4. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*. Uti Petro nunc evenit, qui Christi gloriam intuitus, ne momento quidem ab eo divelli voluit, & abesse. Alterum & eisdem præbet hominibus germanus eorum frater, & uterinus Christus Jesus suæ divinitatis obsonium, quæ summum est bonum, & vera beatitudo cœlitum, & *calix in manu Domini vini meri plenus mistoque* purus omnis angustiæ, & laboris, ac mœstitiæ, quem gustare nos urget, & bibere, & ad hoc epulum invitare verbis Isaiæ c.55. v.1. contendit dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate: emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ullà commutationem vinum, & lac*. Sitientes omnes invitat ad potum hunc, & convivium, nimirum hi pretium ejus intelligunt, atque adeo illud appetunt, & sitiunt, uti & Petrus cum diceret: *Bonum est nos hic esse*, porro invitat ad aquas qui dixit, ut & comedant, Isaias. Sorbetur autem, & deglutitur aqua non editur, & manducatur; addit autem, ut emant *vinum, & lac*, quibus indicat eam, de qua loquebatur, & ad quam invitabat aquam, non elementarem hanc esse, & materialem, sed spiritualem æternæ felicitatis aquam illam vivam, quæ de fonte vivo saliat in vitam æternam, omnemque in se saporem habeat, atque virtutem, quæ una cibus sit, qui nutriat, & corroboret, & vinum, lacque, quod confortat, & refrigerat; cibus, inquam, infinitum illud qui complectitur in se bonum, qui famem, & sitim simul extinguat animarum, qui certe nec *emitur argento*, nec *commutatione* bonorum operum,

Psalm. 74. v. 9

 sed

ſed totum a gratia meritiique Chriſti pretium habet, nec enim ea, quæ hic patimur mala, vel agimus bona, quidquam apud Dominum de condigno valent ad aſſequendum gloriæ, quam ſperamus, & anhelamus præmium, niſi Chriſti Redemptoris gratia fermententur, & eleventur, atque hæc exigua, viliſſimaque noſtra ſic a Deo ſublimari videns Iſaias Propheta, ut jam & gloria digna, ſic exclamat: Ut quid argentum, bonorum veſtrorum operum fruſtra profunditis, & hiſce vobis emendis, comparandiſque panibus expenditis? Quare vos inaniter, & non ut impleatur anima veſtra tantopere laboratis, unius quæ ſola viſione Dei, fruitioneque poteſt ſaturari. Nunc ergo audite me vos, & hoc ſummum, quod omne ſuperat bonum, cujus & in comparatione nihil aliud bonum comedite, eaque ſic ſaturitate delectabitur anima veſtra, ut & cum Petro dicere cogatur, & exclamare: *bonum eſt nos hic eſſe:* dubioque procul æternum erimus cum illo, ſi modo illum audierimus, & ſuavem hanc guſtaverimus eſcam cum eodem ille Propheta loquente dicat Iſaiæ 55. v.8. *feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles*; quaſi dicat implendum iri hoc pacto perpetuo quidquid typicus ille David Redemptor noſter Chriſtus acquiſivit ſanguine ſuo, & pollicitus eſt nobis, fideles cum fuerimus, & ab ea, quam ſubjecit oculis, præſcripſitque Deus immenſa miſericordia ſua, nihil prætergreſſum a nobis fuerit, regula.

Juvat hic vobis Transfigurationis exponere myſterium, quando nobis illud hodie, ſabbatoque proximo propoſuit Eccleſia, ſingularique ſolemnitate colat ſexto menſis Auguſti die, quo novo ſe Chriſtum eſſe, verumque Dei filium teſtari voluit e cœlo, ſigno quod tanti refert nobis ad ſalutem noſcere, & credere; eo ſcilicet fine, quaſi publica coegit, indixitque Deus in Thaboris vertice totius Orbis comitia filium ſuum Regem ſolemniter inauguraturus, & proclamaturus; vocati ſunt enim ad hæc Provinciarum Legati, Procuratores omnium, veteris teſtamenti partibus Moyſes venit ipſe Legislator, zelatorque legis ejuſdem Elias; novi teſtamenti partes ſuſtinuerunt incliti, Principeſque viri tres Joannes, Jacobus, & Eccleſiæ Coryphæus Petrus, audita tum è cœlo vox, ceu Præco primum ab omnibus, quæ diceret: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: ipſum *audite*. Quæ vobis verba, Chriſtum videlicet verum eſſe Dei filium, ut exponamus, advertendum vobis, ſciendumque, Patrem ab æterno divinæ ſuæ naturæ, & eſſentiæ contemplantem originale, ejuſdem quod ipſe eſt, generis, & virtutis, ingenii ſui ceu penicillo veram & vivam expreſſiſſe imaginem, quæ & verbum divinum dicitur, & eſt, veruſque Dei filius. Itant filius ipſiſſima ſit imago Patris, numeriſque omnibus abſolutiſſima, quæ & omnia, quæ in patre ſunt, eademque prorſus habeat, & præſeferat, proindeque æqualis, & ejuſdem uterque majeſtatis eſt, cum pictura pictor, cum & pictor Deus ſit, et pictura Deus, ejuſdem uterque pariter antiquitatis, et æternitatis, et figura, et qui figuram finxit, illudque totum eſſe, quod in Patre eſt, et in Filio, quod illi fuit æterna generatione communicata, fuit æternumque communicatum, perfectiſſimeque ſemper communicata manus illius eſſentia. Hanc autem proferre volens Deus imaginem ſuam, et exhibere videndam, quod in eam intendere non poſſet Mundus, ſplendorque nimius aciem illius perſtrinxiſſet, quo tandem hanc intueri quoquo modo ille poſſet, et ſuſtinere divinam imaginem; velatam eam ad nos Pater miſit, et amictam humanitatis noſtræ diploide, ceu larvatam, haud alirer ac egregius aliquando Pictor elegantiſſimam intuentium ne ſtatim abripiat, et fallat oculos obducit rudiori figuram; ſic æternus utique voluit Pater divinam hanc imaginem ſuam, quæ verus et filius ejus eſt humanitatis noſtræ figura velatam mittere, hac eum induens in ute-

utero Mariæ Virginis, & Matris, de qua oatus homo verus prodiit, verusque Deus: dumque mundum hunc ille habitaret, quod intus io eo lateret Angeli propius intuentes obstupescebaot, & exclamabant vere hic Deus est absconditus, homioes verò, qui visus hebetioris fuot, idque tantum, quod apparet vident, nullam ab ea, quæ foris erat suspicabantur in Christo figuram, ut ergo se proderet illis, & aperiret, quis vere, & intus esset, *transfiguratus est ante eos*. Transfigurari vero hic intelligimus ab humana ad Divinam adhuc humana servata transire figuram. In hoc autem Transfigurationis mysterio duo simul apparuere miracula, alterum quidem, quo Christi Redemptoris anima vel ipso conceptionis suæ momeoto beatitudinis suæ lumen in aptatum sibi corpus effundere, transfundereque vetita est haud secus ac si templi hujus aperta, ruenteque testudioe sol io eam libere penetraret, iotusque nihil, quod lustraret illustraret, aut calefaceret, aliud, & quod miremur in ea Transfiguratione visum, hoc idem scilicet Redemptoris nostri corpus semel ea Transfiguratione glorificatum abinde nihilominus fieri potuisse passibile: sunt qui dicant gloriam hanc corpori per transitum esse concessam, eoque fine dumtaxat illi communicatam a Christo, seipsum ut quis, & qualis esset exhiberet, & aperiret, ceu pullatus aliquis, lugubrique veste communiter ntens in Paschate splendidam induit, aut vir quipiam equestris heteromallo, colobio, multitioque, femoralibusque byssinis amicitur intime, villosaque pennula canarioa, vel cilirina quam aperit, iotimam, pretiosissimamque vestem expandens, ut dicenti sibi fides adhibeatur; ac demum cum agnitus astringit, & operit; Sic ergo se cum Apostolis adhuc infirmis in fide Christus habuit: vel sicut elegantissima puella, quæ faciem rogata minio fucare, crispareque cincinnos, & cirros, Parthenopeumque, meditari se respondens, iterum urgetur, ut vel ad momentum, & horam experiri velit & probare, quanta venustate foret eo cultu aucta? tum ornatum hocce deponeret, & ad sua consilia rediret: Sic utique licet ab æterno Patre constitutum ut hominem Verbum assumeret, unigeoitusque suus humanam sibi naturam ineffabili, indissolubilique nexu sociaret, ut in ea posset & pro homine pati; nihilomious in monte Thabor cum innata debitaque sibi gloria fulgere, transfigurarique voluit, ut sic humano generi perspectum esset, quanta decorus ille claritate foret; moxque Divini peracta solemnitate spectaculi cultum hunc omnem, ornatumque deponeret, quodque mandatum habebat, peracturusque venerat in mundum redemptioois nostræ, passiooisque suæ negotium ageret, & impleret. Hoc egregio facile comprobari potest argumento, & mysterio Christum Domioum Salvatorem nostrum verum & esse Dei filium: cujus veritatis fidem facit audita de cœlo vox apertissima, atque firmissima; Qua nos & uti debemus, ut in fide constantes, & firmissimi crescamus, & radicemur etiam in charitate Christi, & Dei. Quæ certe serio meditantes mysteria nos ad hanc omnium eximiam, cujus absentia ceteræ suot exanimes, charitatis virtutem invitant, & provocant. Enim verò si sic animæ suæ compressit, cootinuitque gloriam, nec in corpus late diffuodi permisit, ut pateretur. Quid est quod oos, qui nedum nulla fruimur animæ gloria, quin & in peccatis concepti gravissimis eam & innumeris inquinavimus, conspurcavimusque scelerum maculis ferendis hic laboribus, & pœnis obnoxii, & nati tantopere vel levè quid pro Christo pati refugiamus, sic tantas flagitiorum sordes eluituri? Num pudet homioes Christum uti, patrareque miraculum, ut hominis amore patiatur; homines vero ne pro Christo patiantur, etiam audere flagitia? Quid enim aliud aliena furari, vel concupiscere, aut hujusmodi perpetrare scelera, ne fame premamur, aut rerum angustia, nisi

Chistum lacessere, & in illum graviter peccare, ne vel id angustiæ, laborisve patiamur? Quam longe nos, amantissimi Fratres, a recto crucis aberramus, recedimusque tramite, quem verbo nos docuit Christus, & exemplo. Ajebat olim Propheta Regius Psal. 115. v. 4. *Tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi*. Qui se quippiam invenisse gloriatur, aut in illud casu, forte, vel fortunâ imprudens incurrit, vel conquisitum diu tandem obtinuit, sic certe, nobis obviæ frequentesq; sunt in hoc seculo ut in eas præter expectationem incidisse nos eo casu vere non liceat asserere, qui ne in eas incurrant homines adeo præcavere sibi solent, totaque se habent animi solertia, & studio, ne incautos ingruant. Quare dolorem, tribulationemque Davidem casu improvisum invenisse minimè putare debemus, sed prudentem, seduloque, & ardenter eam, quo promereretur apud Dominum, cœloque ditesceret, & acervaret, inquisivisse. Quia vero sibi, Deo juvante opus erat huic eliciendo, sugendoque de laborum, angustiarumque petra melli suavissimo subdit: *Et nomen Domini invocavi*. Thesaurum utique, Propheta Regius hisce sub angustiis, atque laboribus latere regni cœlestis, & occultati delicias; hosque vere esse parabolæ thesaurum absconditum in agro, quem regno cœlorum similem asseruit Christus. Quare nec hos ille fugiebat, & abhorrebat sed ex proposito labores inquirebat, & anhelabat, ut a tam pravo, quo deludimur errore redeamus, nec a tam immenso thesauro stulti fugiamus probe jam eruditi labores, & angustias verissimas hujus seculi, solidioresque Christianorum esse divitias, ad tempus enim hic, ubi pro Deo sustinentur supremi nos hujus boni possessione cumulant. Quibus autem hujusmodi tribulationes, & angustiæ malum aliquod, noxiumque videatur amentibus, & imperitis hujus seculi hominibus, qui se mundo tradiderunt, & concupiscentiis suis; attendant illi serio quis, qualisque, quem tantopere depereunt, & ardent, mundus, qui quod ille pretiosius, & utilius habet, impense fugiunt, aversantur, & horrent. Itaque, charissimi, superest, ut qui nec miraculis utimur, nec uti valemus, ut patiamur, quique molles adeo sumus, & infirmi, ut adversitatibus, & angustiis obviam ire vereamur; saltem in eas uti inciderimus, ubi nos illæ, ceu Divinæ justitiæ lictores, & vindices apprehenderint, cum ingruerent illæ super nos humiliter eas, patienterque sustineamus, & coronemur; vas quippe videtur omnium In se complectens ornamenta virtutum, ut ergo testa quassa, vel ampulla, quod in ea latebat effunditur, & perit, sic & quassa, fugataque patientia, vix superest in homine, virtutis aliquid incolume: nec terreri debemus tantis vitæ laboribus, & anxietatibus; Has enim ceto comparavit Hieronymus, qui Jonam quidem absorbuit non ut interficeret, sed ut servaret.

Concludit denique Evangelium dicens discipulis suis præcepisse Christum, ne visionem hanc antequam surrexisset mortuis, alicui revelarent, quod hocce nobis ab Ecclesia propositæ doctrinæ tempore valde congruit, quam ut sequamur, & ab hostibus victoriam assequamur, cavendum, & contubernali ab inanis gloriæ vitio cavendum maxime, certandumque nobis cum hoste illo contubernali, atque domestico, qui nusquam efficacius comprimitur a nobis, quam cum, & quæ bene agimus, vel quæ pro Christo patienter patimur, occultamus, & silentio involvimus, si quid autem horum ad alios pervenerit, & innotuerit, sic nos habeamus, ac si neminem non latuesit bonorum omnium authori, & largitori Deo, & Redemptori nostro gratias agentes, a quo vere est quicquid illud in nobis, aut a nobis est bonum, nec furti apud illum arguamur, & sacrilegii, quod ejus est impudenter usurpantes, & ut ajebat olim Job c. 31. v. 12. *manum nostram secreto va-*

videamur osculari, quæ est impietas maxima apud Deum: hoc est opera nostra laudare, ac si ea vere nostra sint, non Dei, a quo uno bonum optimum est, & meritum operum nostrorum ante Deum.

COLLATIO SEU PARÆNESIS DECIMATERTIA,

In Tertiam Quadragesimæ Dominicam.

ETsi perpetuum, internecinumque Christianis omnibus contra Dæmonem, & ejus asseclas mundi vanitates, obscænasque carnis delicias, & voluptates, quibus per Baptismum abrenunciavimus indictum fuerit ab Ecclesia Catholica bellum, & odium; Hoc sacro tamen ardentius illa sævire vult, & furere tempore. Quocirca præteritis hujusce Quadragesimæ Dominicis epistolas, & Evangelia nobis illa proposuit quibus habentur insignes a Domino reportatæ contra Dæmonem victoriæ, uti Dominica prima, qua de triplici ipsius contra Diabolum, & tentationes ejus agitur victoria. Secunda vero Dominica ante divini statutam a Concilio Tridentino reformationem officii recitabatur olim Evangelium Matth: c. 15. de filia Chananeæ a Dæmone liberata. Jam vero feria quinta proxime præcedenti legitur ex præscripto reformati Missalis Romani. Consequenter autem hodie liberatum a Dæmone nobis alium exhibet Ecclesia non mutum modo, sed ut Matth: habet c. 12. v. 21. cæcum, & mutum, itaut hoc uno liberato homine tria patrata sint a Domino signa, nam & cæcus videt, & mutus loquitur, & possessus a Dæmone liberatur. Typica est infelix illa peccatoris imago, quia possidetur a Dæmone, & in peccato vivit; mutus enim vere ille est, & cæcus. Et quidem esse cæcum eum, qui peccati reus, & judicio damnationis obnoxius vivit, mentisque captum oculis hoc evidentissimo convincitur argumento, quod ne Deum, nec mundum etiam, nec seipsum ille vere perspiciat, & deprehendat. Deum enim ille non videt attenditve, quis ille sit, quantum ei debeat, quam turpe sit, & exitiale peccare in illum, & offendere, quam exadverso beatum, & utile colere illum, & diligere. Nec mundum ille vere perspicit, & deprehendit, qui spiritualium, æternorumque veritatem, & soliditatem, corporaliumque mundi hujus rerum, transitoriarumque non advertit vanitatem, & falsitatem, itaut obtusus sit omnis, & corruptus intellectualis judicii oculus, cui gemma, sit ramentum, & arena, vicissimque ramentum, & arena splendeat, ut gemma, qui pretiosa quæque despicit, & magni ducit viliora. Denique nec seipsum intuetur, animæ suæ qui non advertit sublimitatem, & venustatem, carnisque vilitatem, & fæditatem; nec attendit nullum habere sibi hostem corpore suo infestiorem, & atrociorem, traditumque sibi non ut foveret, & curaret illud; sed coerceret, & frænaret, rebellantemque reduceret; quod non aliud assidue molitur, & intendit, quam ut pravis affectibus, obscænisque cupiditatibus spiritum deprimat, & mille modis ad damnationem inducat. Quæ certe sufficiant, ut certe deprehendatis peccatore neminem peccante esse cæciorem. Quare vere dixit olim apud Isaiam cap. 42. v. 19. Dominus. *Quis cæcus, nisi servus meus, & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi prædicatores meos?* Nec tantum cæcus peccator; sed & mutus idem est, cujus lingua nec potens, nec docta loqui, quæ loqui debet, nempe orare Deum, eique se corde contrito fateri reum.

Jam ergo plures advertens Ecclesia Christianorum spiritualiter, & cæcos, & mutos, & possessos a Dæmone maternâ commiseratione mota pro quolibet, ac in

in cujuslibet eorum personâ gemens apud Deum orat, & clamat in introitu Missæ hodiè dicens Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos respice in me, & miserere mei Domine, quia unicus, & pauper sum ego*. Dein ferventissimè subdit. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis, sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, a qua tota pendet, & alitur; *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*.

Sic eadem Ecclesia, ut hujusmodi cæcos invitet, & provocet ad lucis opera suscipienda, mutosque ad bene loquendum, & ut viros decet, qui in luce ambulant, & Paulum accersit, qui nos hujus diei epistolâ Dominicæ (ad Ephes. 5. v. 7. hortetur, & moneat, & vivamus, loquamur, & operemur, sicut filii lucis sic dicens: *Fratres estote Dei imitatores, sicut filii charissimi; & ambulate in dilectione Dei, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis* in mortem, *& oblationem hostiam Deo in odorem suavitatis*. Quapropter *fornicatio, aut omnis immunditia, aut avaritia* procul a nobis, & opere sint, & ore, *nec nominentur in vobis, sicut decet sanctos* atque adeo nulla sit in ore vestro, *aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, Christianamque dedeceat majestatem; *sed magis gratiarum actio*, sermonesque vestri omnes ad laudem Domini referantur: *nemo* vos seducat. *Hoc enim scitote intelligentes quod est Idolorum servitus*, aurum scilicet, & argentum; ut Deum colens *non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei*; propter quæ scelera *venit ira Dei in filios diffidentiæ* protervos, & reprobos: *nolite ergo vos effici participes eorum*; recogitate tandem, quia *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* ergo: *ut filii lucis ambulate*, & vivite, lucisque fructus sint opera vestra clara videlicet, & fructifera; *fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia; & veritate*. Quod utique convenienter impleveritis, si corde mundi fueritis & recti, opere justi, lingua veraces. Hactenus ad literam epistola.

Evangelium autem, quo tandem usque linguæ malitia pervenit aperte demonstrat: narrat enim Lucas Evangelista c. 11. v. 25. Quod postquam *ejecisset Dæmonium* illud mutum, *& locutus est mutus*, eorum qui tunc aderant obstupuere plurimi, *& admiratæ sunt turbæ*: nec defuerunt ibi linguæ perversæ, & diabolicæ, quæ cum pro beneficio gratias agere, & Dei potentiam pro tanto celebrare miraculo debuissent, in horrenda contra Dominum prorupere convicia, contumelias, irrisiones, & blasphemias: atque (ut advertit Evangelista) linguarum hujusmodi pestilentium aderant ibi duo genera. Quidam hujus miraculi vim despicientes & efficaciam, majora petebant a Domino; & *tentantes signum de cælo quærebant ab eo*, quo vel graves eorum oculi satiarentur. Quidam autem insaniores *dixerunt quod in Beelzebub Principe Dæmoniorum, ejecisset Dæmonium*; atque miraculum hoc a Domino fuisse patratum asserebant opera, & invocatione Diaboli: quorum blasphemias apertissimis, efficacissimisque rejecit, & dissoluit argumentis, quæ cum prolixiora sint, hic excutere, referreque prudens abstineo: satis hic fuerit ad nostram eruditionem intelligere nos, vel si nullum esset nobis aliud, & certius argumentum, quo certo deprehendamus, quanta Christus armatus patientia in hunc mundum ad nos descenderit ab ea, quam hodie legimus in Evangelio mortalium ingratitudine, & iniquitate palam esse, constareque quam maximam erga nos Christi fuisse patientiam. Quis non obstupescat ad infinitam hanc Christi mansuetudinem, & patientiem? Deum ipsum humana circum-

cumamictum carne, salvandisque delapsum huc e cœlo venisse, hominibus, iisque immensa contulisse beneficia, portentosaque prodidisse in eorum gratiam signa, & prodigia, nec levi tameo verbulo pro tot acceptis gratias ab eis ullas retulisse; quin & quæ facta cernerent ab eo, prodigia tribuisse Diabolo, eaque noo a se, sed principe Dæmooiorum peracta voluisse. Hic certe licet advertere, quid hominis audeat iniquitas, quantum & damni conferat, & exitii linguæ pestilentis aculeus. O Angeli! o viperæ! o mundi pestes iniquæ linguæ! qoam bene vos Propheta Psal:1 19. similes ait *sagittis acutis*, *& carbonibus* ardentibus, *atque desolatoriis*? O *Domine*, inquit ille; *libera animam meam a labiis iniquis*, *& a linguâ dolosa*. Quærit enim eo loci David Rex, quid cum perversa lingua componendum, & apponendum, subditque respondens, optime sibi videri similem emisso valida, potentique manu jaculo, carbonibusque incensis, & voracibus flammis. Sic & Jacobus c.3. v.6. similem igni scripsit iniqui linguam ingentem sylvam devoranti, & populanti. Idem Propheta Rex alibi v.5. Psal:56. testatur de maledicis, *quod lingua eorum* omnino sit idem ac *gladius acutus*, eorumque *dentes hominum* eandem inferant perniciem, & habeantur ut offensiva *arma*, *& sagittæ*; *acuerunt* (inquit ille Psal:139. v.3.) *linguas suas, sicut serpentis*, *venenum aspidum*, longeque præsentius, & pestilentius in corde latens erumpit *labiis eorum*. Quam præstaret utique blasphemis his impiis, & pejeratoribus, scurris, sacrorumque derisoribus, maledicis, alienæque famæ, & nominis insidiatoribus, lividis, & infamatoribus, aut nusquam fuisse natos, aut ab utero prodiisse mutos. Sed forte dicas, & unde tanta hujusmodi hominis insania, ut etiam divina rideat, & blasphemare audeat, uti tunc temporis facere Judæi, ac ut etiamnum audent aliqui, nec pauci, qui non proximi modo famam, fratrisque nomen, & factorum, etiam & Cœlitum, quin & Dei metipsius supremique numinis nomen impio, procacique ore temerare audent, & conculcaot, ab hujus est Evangelii calce, supremaque clausula quæstionis hujus peteoda solutio. Non enim in blasphemias statim erumpit homo, sed paulatim, & sensim a levioribus ad graviora scelera prolabitur, cumque deditus alicui uni, & repetitis actibus affectus a divino tum excidit auxilio, fitque Diaboli vile mancipium, ejus ad arbitrium utitur lingua, qua quem libuerit, ceu acinaci acutulo, & ancipiti gladio petat. Mox eoim ut a Dæmone debellari se patitur homo, eodem & irretiri crimine in gravius ille delabitur, tum et in aliud immanius iterum ab illo ruit; donec *absorbeat eum profundum*, *& urgeat super eum* æternæ mortis *puteus os suum* Psal:68. v.16. Videte, charissimi, ut ab iteratis his, spiritualibusque casibus, longe sunt enim recidivis corporis infirmitatibus, et paroxismis acerbiores. Hoc nos egregie monet io Evangelio Dominus sub hominis parabola, qui pessimum apud se Dæmonem, & in domo sua recipit: nempe sub peccato lethali positus: Deo tamen postea miserante sincera pœnitentia hunc a se Dæmonem abire cogit: ubi vero deouo revertitur ad peccandum, iterato revertitur in domum suam Diabolus, nec unus ille tunc, solusque venit; sed, ut ait Dominus, *assumit septem alios spiritus secum nequiores se*: hoc est oon ei sufficit huic eadem inferre, quæ prius attulerat animæ damna, sed longe deteriora molitur, & io scelera detrudit, eaque anterioribus longe graviora, & turpiora, vinciturque misere a Dæmone, lubens, ignavusque, qui vinci patitur homo malus. In has autem ille descendit angustias, quod oculi spiritualis, seu mentis cœcitate, pertinaciaque voluntatis in malo vires illius, & spirituale robur infringantur, & labefactentur, ut jam non hæ sufficiant superandis, pulsandisque tentationibus, nec audeat quid-

piam

piam aggredi virtuosum, arduumque facinus, atque difficile. Perinde miseri *fiunt* hominis illius novissima *pejora prioribus*, actumque de illo, & misere periit, nisi tandem ad se revertatur, & redeat ad cor, verique solis illustratus lumine, pristinam defleat, & doleat insaniam cum Psalte dicens psal.37. v.6. Heu me miserum! cujus olim curata peccatorum vulnera; *Putruerunt, enim & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, miser factus sum, & curvatus sum usque in finem; afflictus sum, & humiliatus sum nimis: Domine ante te omne desiderium meum*. Tu ergo, tu Domine Deus omnipotens, tu æterne, cœlestisque medice, cui nulla tam gravis infirmitas, aut desperata, tam putridus, tam inveteratus, recidivusque morbus insanabilis: Domine iterum, iterumque sana me Domine. Caute itaque vos ambulate, charissimi, tentationumque principiis obstare fortiter, & animose contendite: Etenim ubi vinci nos, & deiici patimur, vix demum expectanda sperandaque victoria: crescit enim libidinis, & pravorum æstus affectuum, & numerus; minuuntur, & impares fiunt extinguendis iis, & comprimendis animæ vires. Utque plerumque febricitantibus evenit ægris, ardentissima siti laborantibus, nec a potu sibi temperare volentibus, qui haustam imprudenter aquam nova febris accessione curant; sic & peccatoribus contingit, qui pro crebrius peccant aut pravos carnis sequuntur affectus, studentque suis studere voluptatibus, eo flagrant ardentius, æstuantque desideria, ut æternis ardoribus in inferno devorentur, & consumantur, a quibus gratia sua nos Deus liberet, & immensa misericordia sua. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS DECIMA QUARTA.

In Dominicam Quartam Quadragesimæ.

HÆc Dominica boni nuncii dies est, dies jubili, dies consolationis tota dies est gaudiorum: quæ enim in ea diu, noctuque, vel in missa dicuntur, & recitantur, omnia festiva sunt, & læta præsagiunt. In Officio quidem Matutino miram hanc, stupendamque populi Judaici liberationem ab Ægyqto prædicat Ecclesia, magnamque filiorum Israel, sicco quam pede per mare rubrum euntes habuere lætitiam, quodque super insequentibus hostibus Ægyptiis, a quibus antea captivi detinebantur in mare demersis solemne celeusma cantarunt, hodie nobis exhibet. Eumdemque cum iis hodie canit illa canticum dicens Exod: 15. v.2. *cantemus Domino gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in mare*. Sic & missam illa, ad quam læta omnia collegit e Scriptura Sacra, festivasque narrationes. & suaves historias excerpsit, quæque conveniant melius alacri Resurrectionis, quam lugubri Quadragesimæ tempori. Rogabit quis forte vestrum, quid est quod ita habet? unde id illi novum venit? piam scitote matrem Ecclesiam, quæ quamvis plerosque suorum videat adhuc effrænes, indomitos, & contumaces, quos nulla ratione possit ed pœnitentiam, & meliorem vitæ frugem adducere, quique etiam carnibus abstinentes adhuc carnaliier vivunt, dumque jejunant a cibis, non sibi temperant a culpis, plures sibi tamen superesse novit serio, qui pœnitentiam amplexati sunt, & ad banc usque diem castigate vivunt, excussaque conscientia dies antiquos cogitarunt, & errores suos in amaritudine animæ suæ, quorum etiamnum plures exomologesi sacra peracta reatus suos humiliter, nude & simpliciter aperuerunt, amare doluerunt, & lachrymis eluerunt emendatisque amodo vivere moribus, & vita animæ constantissime decreverunt, bonis

bonis operibus acriter instant, austeritatibus, orationibus, vigiliis, eleemosynis, & jejuniis, quantum sibi datur attendentes, sicque jejunii legem servantes, fructum ut ejus assequantur carnis macerationem, vitiorum emendationem, libidinis extinctionem, pravorum compressionem affectuum & desideriorum, mentisque etiam ad Deum elevationem, demum & seipsos inge sacrificium odoris in spiritu contrito, & humiliato student offerre Deo. Hos utique veros, legitimosque solari cupit hac mediæ quadragenariæ pœnitentiæ Dominica die, recreareque filios suos, his illa dirigit, quæ læta canit hodie cantica: hos gaudere jubet in Domino, lætarique de suscepta, initaque pœnitentia, utque bene cœptis insistant, & constanti perseverent animo urget & provocat. Horum illa gratia sic hujus diei missam orditur dicens Isaia 66. v. 9. *Lætare Jerusalem*, exulta nunc sancta mater Ecclesia: *& conventum facite omnes, qui diligitis eam gaudete cum lætitia*, vos qui hucusque pœnitentiam agentes de peccatis in mœrore vixistis; æquum est enim vos, qui pro delictis vestris sancte dolentes, *in tristitia fuistis, ut exultetis, & satiemini ab uberibus consolationis vestræ*. Adhuc lætamini in his, quæ dicta sunt promissa vobis a Domino, nempe, qui vere pœnituerint, ituros omnes in domum Domini, sique perseveraverint ingressuros, & permansuros æternum in ea; eorumdem & nomine pœnitentium hæc additur oratio: *concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tua gratia consolatione respiremus*: postmodum excitat eos, & urget, eandem ut retineant, & servent initam emendatioris vitæ rationem, & in pœnitentiam perseverent in Domini misericordia confidentes cum Psalte Regio dicens Psal: 124. v. 1. *qui habitant in Jerusalem*, & in Sion monte sancto ejus (quales utique veri omnes Ecclesiæ catholicæ filii) *confidunt in Domino, & non commovebuntur*, nec ab ejus excident gratia. Nam Ecclesia sancta Catholica munimentum eis est in circuitu Angelorum, Sanctorumque omnium, & virorum Apostolicorum, qui omnes prærupti *montes in circuitu sunt*, & excelsi: postremo Deus ipse, *& Dominus in circuitu*, qui tueatur, ac protegat eos. Sic in epistola pœnitentes filios suos ingenitæ memoria nobilitatis, originisque suæ dignitate repræsentata recreat, & exhilarat admonens, ut meminerint se *non esse filios ancillæ*, quales Israelitæ Judæi legis antiquæ filii, sub qua servire cogebantur, & subesse timore pœnæ, *sed* filios esse *liberæ*, & dominæ, *quæ sursum est mater nostra* Jerusalem civitas sancta Beatorum omnium societas, & congregatio, cui etiam dum in hoc sumus mortali corpore super terram aggregati sumus, & adhæremus spe videlicet, & charitate. Demum & in eorumdem gratiam, consolationemque pœnitentium lætum esse voluit Ecclesia hujusce Dominicæ Evangelium, in quo describitur nobis, & refertur eximium illud, & portentosum Christi convivium, & epulum, quo quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus una die saturavit quinque millia hominum, exceptis (ut Matth: habet c:6. v. 21.) mulieribus, & parvulis: illudque narrat, ut meminerint, & illius divinæ consolationis epuli spiritualis, quo Deus veros exhilarare solet, & saturare pœnitentes, Porro hæc Evangelii summa est hodierni. Quadam die *transiens Jesus trans mare Galileæ* prope *Tiberiadis* civitatem abiit in desertum locum, & *sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat. Subiit ergo in montem Jesus, & cum sublevasset oculos suos, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum; unde ememus panes, ut manducent hi: hoc autem dicebat tentans eum*, & ut quantum ille haberet fidei patefieret: *ipse enim sciebat, quid esset facturus: responditque ei Philippus ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unus-*

quisque modicum quid accipiat : accessitque tunc Andreas dicens : *est puer unus hic qui habet quinque panes bordeaceos, & duos pisces; sed hæc, quid inter tantos?* denique jussit Jesus homines discumbere super fœnum : *erat enim fœnum multum in loco, & cum gratias egisset*, & benedixisset hos panes quinque distribuit discumbentibus; *similiter & ex piscibus quantum volebant*; & saturati sunt, superaveruntque fragmentorum cophini duodecim. *Illi ergo, cum vidissent quod Jesus fecerat signum* laudabant eum, & *dicebant quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*.

Illud porro convivium hujus quædam imago est, quo spiritualis dulcedine consolationis inebriati recreantur, a Domino pœnitentiam agentes, qui ultro carnis afflictione, & maceratione fatigati Dominum sequuntur, virtutisque culmen ascendunt, & montem, ac licet inexpertis, & primis ausibus hujus montis aditus, & conscensio difficilis, & laboriosa videatur. His tamen, qui montis hujus attigere verticem, qui Christum sapiunt, consolationesque ejus, aliquando gustaverunt & præsentiam nihil difficile, durumque nihil, sed facillima sunt omnia, suavissimaque. Ea propter optime dictum a Salomone Proverb. 15. v. 12. *securæ conscientiæ juge convivium*. Sicut inquietæ, turbatæque menti, & conscientiæ nulla est vera lætitia, quia spiritualis una est consolatio, quæ cordis impleat amplitudinem; Deoque recedente, nec solante illi frustra speretur aliunde solamen, utque Deum anima gustaverit, & sapuerit, mox illi terrenas desipiunt omnes, & nauseant voluptates, ut loquitur Augustinus. Quocirca prope continuus est in Psalmis David asserendis, explicandisque Sanctorum gaudiis, & suavitatibus: *Quam magna* (inquit ille Psalm. 30. v. 20.) *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*. Et Psal. 30. v. 11. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde*. Iterumque Psal. 117. v. 15. *Vox exultationis, & salutis in tabernaculis justorum*, verum ad hoc suavissimum animæ consolationis epulum accedere, invitatique si volueritis, & invitatos ad hujus Diei Christi convivium imitari debetis, & sedere super fœnum terrenarum scilicet illiciarum, & voluptatum, pedibusque conterere, despicere, & conculcare, nec enim utriusque licet voluptatis dulcedine frui.

Jam ergo, charissimi, si qui vestrum indigni qui consolationum spiritualium, & benedictionum ab Ecclesia pœnitentibus oblatarum participes fiant, quod forte nondum illi sunt amplexati pœnitentiam nec ex turpi, quo conspurcantur vitiorum cœno surrexerunt: Amodo jam excitentur, ad se revertantur, & resipiscant, ne hujus diei benedictionibus, & gaudiis orbati Paschatis etiam exultatione fraudentur. Videte Fratres, quam cito tempus labitur, & quam infaustum tuleritis prioris ævi temporis, quod integrum vitio tribuistis, fructum; tempus abit cum vanitatibus suis, obscænisque desideriis, & voluptatibus: anima vero jacet sordida, conspurcata, saucia, intime cruciata, tandem æternis addicta suppliciis ad mortem usque perpetuo gerens, quod acerbè gemat, & doleat. Exadverso autem, quod pœnitentiæ datum, & bonis operibus ab homine tempus præter adeptam æternæ felicitatis lauream, quadam implet animam exultatione, & dulcedine, inaudita cumulat suavitate, & perpetua lætitia, itaut etiam hic colligat, & gustet de fructu manuum suarum, dum & pervenerit ad cœlestis epuli saturitatem.

COL-

COLLATIO, SEU PARÆNESIS DECIMA QUINTA.

In Dominicâ Quinta Quadragesimæ, seu in Passione.

HÆc ab Ecclesia dicitur in Passione Dominica, quod hac Ecclesia tractare incipiat de mysteriis Dominicæ Passionis, & morte Christi Jesu Salvatoris, ac Redemptoris nostri, quibus & quindecim hos, postremosque Quadragesimæ ad Resurrectionis ejusdem usque gaudia dies assignavit exprimendis, & expendendis; atque hanc merito prævenit illa memoriam, rotque recolit dierum intervallo, quod ad intentam ab ea per totum hujusce Quadragesimæ cursum emundationem peccatorum nullum habeat efficacius, & præsentius Dominicæ Passionis memoria, feriaque meditatione remedium, & amuletum. Cum eo uno nobis absolutissimum exhibeatur virtutis exemplar, perfectionis speculum vitiorum profligatorum, & devictorum, extinctorumque omnium terrenorum affectuum. Quid enim ad comprimendos obscœnæ libidinis æstus, carnemque domandam, & macerandam opportunius, & efficacius innocentissimam Christi Jesu carnem, atque mundissimam tot, tantisque cruciatam, afflictamque fuisse tormentorum modis. Eapropter a vesperis hesterna die solenne per universum orbem indixit Ecclesia præconium hoc: *Vexilla regis prodeunt &c.* ac si diceret: noverint omnes quotquot in orbe Christiani Regis gloriæ signa publice primum hodie proferri, & explicari rutilans utique Crucis sanctæ labarum. Quisquis Christum Redemptorem nostrum Deum agnoscit, habetque Regem, & Ducem suum confestim ad hæc signa convolet, & properet; hæc tueatur, & quocumque præierint animose sequatur. Profecto nulla ratione statuit opportunius impœnitentium infringere, domareque pertinaciam, mollire duritiem, & vincere, quam hoc publico præconio, solemnique hujus explicatione, publicationeque vexilli. Hoc enim, si nihil efficiat, quid amodo proficiat, qui hucusque siliceus obduruit, & obsurduit, nec emendare voluit vitam in melius, & peccatorum agere pœnitentiam; Si per acerbissimam Dei passionem adjuratus & mortem, adhuc rigeat, & obsurdescat; quid tandem adhibeatur ad conversionem ejus efficax; merito certe computetur is inter eos, quos *diffidentiæ filios* Paulus edixit ad Ephes.2. v.2. Hoc est inter eos, quorum desperata salus; hoc unum sufficiat vobis Ecclesiam, ceu sagacem, experientissimumque Medicum extrema prope Quadragesima Christi passionis, sanguinisque memoriam amuletum, & pharmacum adhibere filiis suis efficacissimum: hoc enim si minime juvaverit impœnitentes, & impios, quod illis aliud apponat non habet illa remedium.

In epistola Passionis Domini virtus, & energia declaratur: In Evangelio vero cur occisus sit a Judæis Jesus Dominus aperitur, nempe quod locutus ille fuerit veritatem. In epistola compendiose nos docet Paulus ad Hebr.9. v. 8. Christum esse supremum Sacerdotem, & verum, qui per *proprium sanguinem introivit in sancta* cœlestis habitationis tabernacula, & civitatem sanctam Jerusalem, quam acquisivit ille sibi, membrisque suis vere Christianis hominibus, ejusque sanguine, cujus unius vi dedit nostras emundari, purgarique posse, quibus astringuntur, & conspurcantur peccatorum, & criminum sordibus animas.

In Evangelio autem habita quædam Christum inter, Judæosque collatio, qua vitæ suæ puritatem, integritatemque doctrinæ validis comprobavit apud eos argumentis, eorumque detexit, revicitque nequitiam, sic eos aggrediens Joan.8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Aut quis in aliquo doctrinam a me propositam erroris insimulare audeat, aut falsitatis? Itaque si probatæ vitæ, doctrinæ si sanioris ego sum, & irreprehensibilis, *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Profecto is tu ille es, in cujus vita, & operibus sanctitas ipsa refulget, cujus doctrina veritas ipsa perficitur, & aperitur. Cum ergo sim, quare non creditis mihi; quare me magistrum habere vultis discipuli?

Hæc autem verba, charissimi; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* licet a nemine, quam ab ipso puritatis omnis scaturigine Christo, qui ea de se protulit absolute, vereque possint usurpari; Nihilominus a pœnitentibus, qui moribus emendatis, expiatis integra, veraque confessione, cordisque sincera contritione, prioris vitæ sordibus, & vitiis, nova jam in Christo facti sunt creatura, veraque ipsius membra & viva, ipsique intime conjuncti, & incorporati; licet aliquatenus usurpare sibi Christi capitis sui vocem, hac uti, & dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Siquæ etenim olim aliquando commisit crimina, desiit amodo peccator ille, nec amplius vivit, qui per Christi sanguinem factus est in novum hominem regeneratus in Spiritu Sancto, qui proinde nec jam iis obnoxius esse potest, & reus, quibus obstrictus Adam vetus ille homo fuit iniquitatum, spurcitiarumque, quæ nunc destructæ sunt, & crucifixæ, tenebatur conspurcabaturque maculis, & culpis. Atque hinc fratres advertite, quanta contentione, sedulitateque pœnitentiam amplexemini, confessionemque veram agere, perficereque debeatis, cum in novum hominem ea transeatis, nec jam amplius quid ante pœnitentiam egeritis mali, vel feceritis attendatur. Addit præterea Jesus ad Judæos: *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Gloriamur utique nos haberi veritatis filios, esseque discipulos ejus; atque utinam sic revera fuerimus, ut nuncupamur, & dicimur filii veritatis, & discipuli. Sunt enim hi genuini, verique discipuli veritatis ejus, qui lucem toto corde prosequuntur, & amant, qui ambulant, & vivunt in ea, præviam eam opere, qui semper habent, atque sequuntur ducem. Luci vere comparatur veritas, qua sanus semper delectetur oculus, ægerque fugiat, & aversetur. In confessione præsertim oportet, ut filii veritatis inveniamur. Quippe veram hi tantum, & sinceram obeunt confessionem: veram hanc dico, non eam tantùm, quæ sine mendacio, vel peccati retentione fit alicujus, sed quæ sincero fit corde, & amaro, nudo, ac simplici, nec fucato prorsus animo. Hoc autem dico, quod ea non ficta, nec simulata confessio dici vere nequeat, qua sua quis omnia detegit, & recenset in confessione scelera sine dolore præteritorum, & firmissimo conversionis, emendationisque vitæ proposito. Ore sic enim confitentes, & crimina propalantes, quæ deponunt, & narrant habere se turpia, nefandaque testantur, eaque dolere se significant, quod idem intimo cum corde non gerant ficte, dupliciterque confiteri convincuntur. Quis hunc ferat Christianum eo tantum animo sacrum pœnitentiæ, & confessionis tribunal adeuntem, ne infamis audiat, & anathema fiat. Hic utique non veritatis, sed vanitatis est discipulus, qui salutis oblitus suæ, vel despiciens, non ut animæ sordes eluat, sed ut homini, mundoque complaceat, confitetur.

Jam ergo, Fratres, qui Dei, qui veritas est, nusquam latere possumus, semperque patemus obtutibus. Sic nos coram illo sive cum confitemur, sive cum quidvis aliud agimus, habeamus ut ab illa probari divina veritate mereamur, & munerari; nec mercedem, paratumque præmium vanitatis ventus, & aura tollat. Quod autem arcana res est & occulta, qui, & quales sint, aut non sint veritatis filii, & discipuli, distinguereque alios ab aliis omnino difficile sit: Signum nobis aper-

apertum indicavit in Evangelio Dominus, quo simus ne Dei, veritatisque filii an non, facile comprobemus, atque illud est: *Qui ex Deo est verba Dei audit*, propterea vos non auditis verba mea, quia *ex Deo non estis*. Quis nostrum, amabo Domine, deprebendat an ex Deo sit, an aliquid divinæ regenerationis, & spiritus Dei in se habeat, & retineat. Fac Domine, fac mecum signum in bonum, ut videam, & cognoscam te in me esse. Domine da nobis signum aliquod, quo vivere nos spiritu, & amore tuo perspiciamus, tuosque esse filios intelligamus. Respondet Dominus bis verbis: *Qui ex Deo est verba Dei audit*, & doctrinam ejus.

Quisque nostrum, amantissimi, scrutetur seipsum, & excutiat, videatque, an spirituali hac, quam scripto tradidit Dominus, nobisque reliquit ad salutem, doctrina afficiamur interius, an recte nobis, & suave sapiat. Etenim si fastidiat, & nauseat mortem prænunciat, indicatque spiritualem. Nam quæ tandem uxor a viro, aut a nato mater longius absens non amet crebrius, & assidue de illo audire? Aut de eo nuncium babere sæpiuscule fastidiat. Quomodo nos ergo Deum amemus ab ejus qui præsentia, seu visione tam longe distamus, si de eo sæpius, aut prolixius audire non gustamus. Nil enim aliud Evangelica doctrina, verbique Divini prædicatio sacra, quam allata nobis e cœlo de Deo, ejusque aula, & regno, vel iis, qui cum eo regnant in gloria cœlesti nuncia. Qiare verbi divini fastidire prædicationem, rerumque spiritualium, & æternarum nauseare doctrinam alienum indicat ab æternitate animum, Deumque, ejusque gloriam, & qui cum eo regnant aversantem. Quapropter, amantissimi, quæcumque vobis a Pastore, & Sacerdote, quicumque ille sit auctoritate Dei, & nomine dicuntur intento corde suscipite, avida, & attenta aure excipite. Os enim ejus os Dei esse debet apud vos, quo & vos alloquitur ipse Deus; adeoque quæ tunc dicuntur ad vos non ejus, qui dicit Pastoris verba censenda sunt, & putanda, Sed Dei, dum hortatur, eruditque vos ex præcepto, & instituto fidei, & Ecclesiæ Catbolicæ. Nec vobis ejus spectanda persona, vel habitus, qui nuncium affert a Deo, sed ipsummet attendendum est Dei nuncium; ac cum puerum mittit ad vos perferre nuncium Equestris vir quidam, & nobilis boneste quidem, & reverenter, festiveque recipitur, quantumcumque vilis tibi sit, qui nuncium attulit, puer. Quæ omnia igitur tibi proponuntur a Deo consilia, cohortationes, instructiones, & doctrinæ Dei sunt ad te nuncia, adeoque grato, hilari, reverentique animo sunt a te suscipienda, quantumvis bumiles, & contemptibiles tibi sint, & babeantur, aut peccatores, quorum in eo est usus apud te Deus opera: Nec enim si præstiteris ex Deo eris, ut loquitur Evangelium, veritatisque filii, & discipuli denique possidebitis regnum veritatis in gloria cœlesti. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS DECIMASEXTA.

Dominica in Ramis Palmarum.

Solemnem illum, amantissimi, gloriosumque celebramus hodie Domini triumphum, & apparatum, quo sexta ante passionem suam die Salvator noster Dominus Jesus Jerusalem sanctam ingrediens civitatem exceptus est a Judæis magna populorum acclamatione, & tripudio. Voluit quippe Dominus hac vice tam solemni pompa civitatem hanc ingredi Jerosolymorum passionis suæ mysteria præveniens, ut probaret quam alacri, lubentique animo pro nobis passurus venerat, & moriturus; his sic enim aperte satis indicabat triumpbi sibi loco esse, festivumque

que sibi habere pro nobis, & salute nostra pati, & ad mortem ire. Voluit ille ingredi toto plaudente, & acclamante populo civitatem, ut intelligeremus passionem ejus, & mortem verarum omnium solemnitatum nostrarum, deliciarum, & gaudiorum esse exordium, & fundamentum: hoc & nobis indicavit exaltandum iri per Crucis lignum sacratissimum corpus suum, immortalitatisque gloriam assecuturum. Ut scribit in epistola Dominicæ hujus Paulus ad Philippen. 2. v. 9. *Fratres*, inquit ille, *Dominus Jesus cum esset in formâ Dei*, verusque Deus, *exinanivit semetipsum in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* verus; *Et humiliavit semetipsum factus obediens* Patris mandato cœlestis *usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est* Dei *Patris*. Idcirco namque tanto procedit apparatu crucem quæsiturus ab hoc illi triumpho mox obventuram; atque hæc vera Ecclesiæ rerum tantæ varietatis hodie in Officio est causa. Postquam enim illa tam festive processit in jubilo, mox lugubre Passionis addit officium, sic tristia lætis, & luctum gaudio jungens, ut intelligamus exemplo Redemptoris nos per adversitatum, & mortis acerbitates, & angustias ad æternæ felicitatis gaudia perventuros, adeoque si nos alliciat honor hic, & tanta gloria terreamur, ac fugiamus a pœna. Demum hac suâ nos tantâ varietate monet Ecclesia, nos per hujusce seculi vicissitudines transituros aptemus, & componamus sive per adversitates, & prosperitates, sive per honores, & gloriam, sive per infamiam, & ludibrium agamur in hoc seculo, non inter prospera superbientes, & tumidi non nimis dejecti, vel desperantes inter adversa, semperque memores Christi capitis, ac ducis nostri, qui virentibus hodie ramis exceptus, & acclamatus a mundo, altero post, & quarto die despicitur, spinisque cruentatur a Judaico populo, quique ponentes vestimenta sua sternebant in viâ transeunti Domino super asinæ pullum insidenti, hos eosdem sextâ post feriâ Dominum exuituros, flagellaturos, crucique tandem clavis immitibus confixuros. Regem Israel hodiè proclamant in nomine Domini venientem, & mox sequenti die Veneris alium se non habere clamabunt Regem, nisi Cæsarem. Hæ vel certè mundi levitates, & mutationes ejus nos potuissent erudire fallaciam, ne bladienti sideremus, & acclamanti. Quare Dominus Jesus, & inter ipsa populi tripudiantis, hujusque gaudia solemnitatis lacrymatus est, vidensque flevit super civitatis Jerosolimæ cæcitatem, vel hoc erudiens nos etiam, cum majorum nobis est occasio gaudiorum, nec tunc eorum oblivisci debere, quæ tristitiæ, dolorisque materiam præbent: sic enim tristium objectâ memoriâ, & acerbitate temperatâ lætitiæ delectatione fovetur humilitas a nobis, animique vitatur elatio, & tumiditas, si a congestis in te, familiamque tuam adeo prosperitatibus intumescere timeas, & insanire, damnique nihil animam tuam ab iisdem, aut periculi pati, fac eas semper mortis memoriâ, supremique judicii, vel inferni terroribus, & horrore condias.

Qua verò Dominus noster solemnitate receptus fuerit, & alacritate narrat Evangelista Matth. c. 21. v. 3. his verbis: *cum appropinquasset Jesus* Jerusalem, *misit duos discipulos suos*, qui pullum asinæ sibi quærerent, & adducerent, super quem stratis Apostolorum suorum vestimentis sedit; cum autem descenderet in Jerusalem in declive montis Oliveti, priusquam pervenisset ad civitatem, turba multa tum inquilinorum, & civium ejus, tum advenarum undique, qui Pascha-

chatis celebrandi causâ confluxerant audiens, quia Propheta magnus ille Jesus a Nazaret eo veniret apparatu de repente commota inspirante Deo, moventeque prorupit extra civitatem impete facta, exceptusque fuit ab eis longè honorificentius, splendidius, & intimius, quam olim alius quisque in orbe receptus ab aliis audiatur Princeps; exterioribus & signis etiam aperte testantibus, quanto tenerentur eum prosequendi desiderio: *sternebant* enim eorum *alii vestimenta sua in viâ*, qua transiturus ille erat, *alii autem cædebant ramos de arboribus*, *& sternebant in viâ*; *Turba autem*, *quæ præcedebant*, *& quæ sequebantur*, & pueri Judæorum *clamabant dicentes Hosanna filio David*, *benedictus qui venit in nomine Domini*. Prosperum faciat novi Regis hujus nostri Deus omnipotens regnum.

Solemnis hic, & lætus Domini Dei nostori Jesu Redemptoris in Jerusalem ingressus alterius in immensum longe clarioris imago, & typus est; cum in occasu seculi, supremâque judicii die post Resurrectionem universæ carnis victor idem ille Salvator devictâ morte, devictoque illius, & peccati imperio, novam illam, cœlestemque civitatem sanctam, supernamque Jerusalem electorum suorum turmâ comitatus ingressurus est. Sursum erigamus mentes, & oculos, ultimamque hanc, splendidissimamque solemnitatem attendamus, & processionem, ut & ei tandem adesse nos anhelemus, & attendamus bos ei dumtaxat interfuturos, qui & illi, quam hodiè recolimus, interfuerint, eorumque, qui hodiè Dominum ingredientem prosequuntur imitati fuerint animi devotionem & obsequium. Primum enim oportet vestimenta nostra ponentes veterem exuamus hominem cum omnibus actibus suis, & desideriis, ut sub Christi cruce, pedibusque conculcentur pravi illius mores, & opprimantur, obscœni deponantur affectus, & carnis aculei ejus, qua insidet Dominus, asinæ calcibus atterantur, hoc est Christi Salvatoris nostri patientiâ temperentur juxta illud Pauli ad Thessalon. 3. v. 5. *Dominus autem dirigat corda*, *& corpora vestra in charitate Dei*, *& patientiâ Christi*. Ejus ut amore fulgeat cor vestrum, & incendatur, & in macerata per pœnitentiam carne vestrâ splendeat, quam in suâ Dominus miram exhibuit acerbissimæ passionis, cruciatuumque tolerantia, & patientia. Dic tu, miser, quid hæc tanto studio curas, & colis ponenda carnis tuæ vestimenta, quando spurcissimum ea videas stercoris esse culleum. Scito non ea tibi concessa fuisse, ut exaltares, & capiti tuo super imponeres, sed ut ad Christi pedes demitteres, ut rationi, legique divinæ subiiceres, non ut curares, sed cruciares, & coerceres. Videsne? Hac te vel invito aliquando ponendam, ac dimittendam carnem, pascendamque verminibus esse; utinam autem nec flammis inferni voracibus. Resipias ergo tu tandem aliquando, dumque vacat, & vivis, hanc Christo submitte, & offer in sacrificium laudis, non carnem ipsam interficiens, & mactans, sed carnalitatem, affectusque carneos, & carnis concupiscentias malas extinguens, & jugulans in temetipso, spurcisque positis his a te vestimentis tuis, abdicata, & emendata carnali vitâ tua hos imitare, qui *ramos cædebant de arboribus*, virentesque manu præferebant, Dominum glorificantes; virentium, procerarumque, quæ in Ecclesia Dei sunt arborum ramos, & folia, hoc est virorum ejus insignium, & sanctorum, quos imiteris, & sequaris a Deo datorum virtutes, & exempla præclariora tibi collige, manibusque præfer, sive imitare, ipsoque ea operè comple; Sed hæc præfer ante Dominum, non ante Populum; hoc est ad Christi gloriam, non ad inanem tui ipsius gloriam, aut mundi auram. Arborum earum, seu Sanctorum alii sunt fructiferæ in domo Domini; hi nimirum Sancti charitatis, & misericor-

diæ

diæ viri, quorum apud Salomonem in Ecclef. c. 44. v.10. quorum pietates *non defuerunt, & usque in æternum manent*; harum nos, qui peccatores ramos cædimus, & colligimus, cum opera charitatis, & misericordiæ pro virili nostra facimus. Alii sunt palmæ, quæ semper virent, quarum & nunquam defluit folium, & decidit. Sic illi perpetuo castitate virent, & munditie, nec unquam virentia ponunt, & abjiciunt virtutum folia: & sicut palma angusta quidem ad truncum est, panditur autem cum assurgit in fastigio, & dilatatur; Sic & cor eorum, qua parte cœlum respicit apertum est semper, dilatatum, & patiens; qua terram, & terrena tangit angustum, & coarctatum, iis ut sic utatur, tamquam si non uteretur, quamque minimum possit iis inhæreat. Cumque hos imitamur ramos palmarum cædimus, manuque in Domini gloriam gestamus: alii & cupressui similes sunt altæ, & proceræ, *seque in altum extollenti*; atque eo sensu spirituales, & estatici, divinaque mysteria contemplantes dicuntur Sancti esse cupressui similes. Nos vero qui terreni, & humiles reptantesque potius frutices, quam arbores sumus; nec ita in altum assurgere possumus; iis assimilari conamur, & cædere ramos earum, cum orationi sedulo, devoteque vacamus, cum Passionis Dominicæ, vel alia Redemptoris nostri mysteria, quo possumus affectu meditamur. Denique Deo cum pro tantis in nos collatis beneficiis toto cordis affectu gratias agimus, hos imitamur, & officium eorum agimus, qui ad solemnem hunc ingressum Domini clamabant dicentes: *benedictus qui venit in nomine Domini*; *Pax in cœlo, & gloria in excelsis*. Luc. 19. v.3. Sic nos carnis hujus spreta incolumitate, & vita salutis æternæ præmium, animæque salutem appetamus, & flagitemus. Amen.

COLLATIO SEU PARÆNESIS DECIMASEPTIMA,

In Die Sanctissimo Cœnæ Domini.

SAcrum hodie tempus recolimus, felicissimasque, & supremas vitæ Domini horas, quibus ex hoc mundo discessurus opus salutis nostræ, quod susceperat absolvit; posteriores, inquam, illas viginti quatuor horas ab hujus diei scilicet hora post meridiem tertia, qua circiter Agni Paschalis paraverunt Apostoli cœnam ad eandem diei Veneris subsequentis horam, qua Dominus noster in Cruce spiritum emisit: quæ & nobis eædem horæ ceteris omnium retro secutarum quibuscunque fuerunt utiliores, immensorumque erga nos largitione beneficiorum insigniores, & ditiores. Quo propius enim sol ille justitiæ verus a nobis recedebat, & a mundo, hoc & beneficiorum, & mysteriorum radiis, & claritate rutilabat. Et quis enim, quæ ab illo posterioribus hisce horis, ab hujus scilicet ad sequentis diei vesperam accepimus beneficia, & munera recenseat, aut enumeret? Procul dubio tot illa sunt, & tanta, ut de iis loqui nihil, ingentis fuerit ingratitudinis; dicere vero velle aliquid æqualis fuerit nota præsumptionis, & temeritatis; Videtur enim nos auditis his adeo stupendis, tremendisque mysteriis ea non tam verbis, quam admiratione, stuporeque venerari debere, quod vix capiatur tam indignis a Deo tam ingentia, & mira profusa fuisse beneficia. Quapropter Ecclesia solemnitatis hujus Officium exorditur Habacuc Prophetæ verbis, cum hæc eadem illi Dominus mysteria revelaret dicens Habacuc. cap.3. v.1. *Domine audivi vocem tuam* tam sublimium quæ reserasti mihi mysteriorum, *& timui*, consideravi opera tua, & expavi. Cum audirem te medium duos inter latrones crucis esse patibulo configen-

gendum, & quod sub tanta confusione, & infirmitate, *ibi abscondita est fortitudo tua*. Quis loquetur potentias Domini? Ajebat olim Propheta Rex Psal.105 v.2. *auditas faciet omnes laudes ejus*, & misericordias? Quod nobis hic hodie consilium, quid agendum nobis? Siluerimus, & tacebimus in hujus diei mysteriis? An potius dicere quid audebimus? Ingens utrobique nobis certe periculum. Sed præstiterit in tanto discrimine positis audaciores haberi, & præsumentes, quam ingratos. Aliquid ergo nos, quasi balbutiendo dicamus de tam sublimibus, ineffabilibusque quæ geruntur hodie mysteriis, non ea quidem intellectu consequuturi, vel curiosius inquisituri, sed humili, flagrantique devotionis affectu gustaturi, & veneraturi. Quis adeo gelidus, & rigens hoc amoris ardentissimi non ignescat incendio? Quis tam pauper, & egens spiritualium animæ divitiarum de repente non ditescat, delapsis hodie de cœlo divitiis, tantoque gratiarum, opumque spiritualium terram inebriante diluvio? Nec inebriata tantum, sed tota submersa est hominis Dei cruore terra. Quis vel guttulam, stillamque animæ suæ non hauriat, & colligat? In horto cum prolixius oraret in agonia factus sudor, qui ut sanguinis guttæ decurrentis in terram effluxit, ut Lucas habet c.22. v.44. Pilati ædes ejusdem sanguine cruentatæ diris scorpionum, virgarumque plagis; viaque ab ejusdem ædibus ad Calvariæ montem usque tota ejus pariter irrigata sanguine; mons vero Calvarius non tam ejus sanguine rigatus fuit, quam immersus scaturientibus e sacris ejus corporis vulneribus copiosissimis sanguinis quinque rivis, ceu totidem divinæ pietatis, & misericordiæ fontibus. Nec stillam e tanta copia nobis obtinuerimus? Properemus itaque nos, & accedamus, ut hauriamus, & impleamus vasa cordis nostri, sed prius lota, & emundata, ut omnes hujusce diei opes apud nos habeamus. Cum autem hujus diei tot, & tanta sint mysteria, ut de omnibus dici commode nequeat, de præcipuis saltem pauca dicamus. Narrat in hujus diei Evangelio Joannes c.13. v.17. quod peracta cum discipulis suis agni Paschalis cœna Dominus corporis sui, & sanguinis ineffabile cogitans instituere sacramentum, ad id eos aptari prius pararique voluit, supremæque humilitatis officium eis exhibens, ac pedes abluens; hujus erga nos amoris eximii, divinæque charitatis arcana verbis aperit, describitque igneis. Sic ergo ille loquitur: *Ante diem festum Paschæ* (qui sextam incidit in feriam dies) *sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, discipulos a se dilectos, *in finem dilexit eos*, hoc est ardentius eos sub finem vitæ jam discessurus ex hoc mundo dilexit. Hic vero prius advertite Passionis suæ, & mortis horam *ejus* expresse vocari horam, quæ tam acerba illi fuit, tam injuriosa, tam atrox, tam cruenta, quia videlicet illa nobis utilis fuit, & quæstuosa; sic ille nobis satis aperte indicans felicitatem, commodumque nostrum, & lucrum habere se, putareque gloriam suam, qui durissimam hanc sibi, qua vitam ille nobis atrocissima sua morte donavit, horam habuit suam; ac ne mortis horrore, metuque nos incuteremur, mortem noluit dici suam mortem, sed suum ad Patrem ex hoc mundo transitum appellavit, ut inde discamus hominis Christiani mortem vere non esse mortem, & vitæ finem, sed exordium, & ab hujus peregrinationis exilio transitum ad æterni, cœlestisque Patris nostri mansionem, & intuitum, acerbæ mœstæque, ac angustiis undique consertæ vitæ exitum ad optissimam, perennem, & felicissimam alteram translationem.

Cum itaque Dominus veteris testamenti cœnam, qua agnus edebatur, altera cujus & vetus illa typus hucusque fuerat, & imago, corporis, sanguinisque sui cœna cumulare decrevisset, quo novæ nobis hujus cœnæ majestatem innueret,

quantaque ad eam invitati deberent accedere animi puritate, & munditie discipulorum suorum abluere voluit pedes, ut vel nos intelligeremus eos, qui corporis, ejusque sanguinis participare volunt mysteriis debere mundari, priorisque vitæ sordes eluere, ac pulverem ipsum, hoc est leviorum etiam culparum labes animæ pedibus, hoc est affectibus, & desideriis, quibus ad ea quæ diligit illa progreditur adhærentem excutere, subdit Evangelista, quod post Agni comestionem Dominus *surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se, deinde mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* O grande, o stupendum, & mirabile spectaculum, o divinæ, inæstimabilisque prodigium humanitatis, & arcanum; ad hoc omnes accurrant, & accelerent expavendum, & inspiciendum homines, & Angeli. Huc omnes advolent undique cœli, terræque Creaturæ, Deumque ipsum hominibus adgeniculatum intuebuntur, & obstupescent; Creatorem creaturæ pedibus obvolutum; bonitatis omnis, & sanctitatis originem, & calicem coram peccatoribus ipsis; lucem coram tenebris; coram vilissimis, abjectissimisque piscatoribus gloriæ Regem incurvatum aspicient, nec ad discipulorum dumtaxat pedes humiliatum; sed hostis etiam ejus infensissimi, trucissimæque bestiæ illius, ac ferocissimæ, Judæ inquam illius Iscariotæ, a quo jam licitatus, & venditus, a quo & eadem ipsa nocte tradendus in manus Judæorum, & ab armatis satellitibus comprehendendus. Hæc audiens homo, quomodo jam ille vilissimus, ille terræ vermiculus intumescat, & superbiat; quomodo conceptum ultra retineat in fratrem odium, aut insuperabilis indurescat, acceptasque donare renuat injurias, vel adversarium, & a quo damni quid acceperit alloqui, rectoque jam contueri corde, & oculo cunctabitur? Hoc si tantæ mansuetudinis, & humilitatis exemplo tui si non infringatur animi duritiés, cordisque ferocia conteratur, grande tibi certe pendet exitium vixque tibi speranda salus. Tum addit Evangelium, quod Dominus *venit ad Simonem Petrum*, ut lavaret pedes ejus. Petrus autem Christum, magistrum suum, Deumque & Dominum ad pedes suos inclinatum intuitus, & obstupescens eo vilitatis, & officii dejectum, *dixit Domine, tu mihi lavas pedes, respondit que Jesus, & dixit ei. Quod ego facio tu nescis modo; scies autem postea;* adhuc autem attonitus, obstupefactusque *dicit ei Petrus non lavabis mihi pedes in æternum, respondit que ei Jesus, si non lavero te, non habebis partem mecum.* Quibus verbis, minisque perculsus, ac tremefactus, *dicit ei Simon Petrus*. Procul a me, quæso, Domine sint istæ diræ, comminationesque tuæ, si nullam habuero tecum, nisi me laveris partem, *Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput laves. Dixitque ei Jesus, qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Qui nudis enim incedunt pedibus vix fiat, ut sordes, aut pulverem illi non contrahant; *Et vos mundi estis* prope toti ut plurimum, *sed non omnes;* quod propter Judam addidit proditorem, sic innuens uno illo dempto Juda ceteros innoxios, nulliusque lethalis culpæ reos esse ceteros omnes, ac in Dei gratia discipulos suos, quamvis adhuc levioris alicujus culpæ pulvere tenerentur, atque tanta hac, ut supra diximus abluendi, mundandique discipulorum pedes anxietate, & sollicitudine Christi, quam sit ad proventum, & salutem animæ sacram ad Christi Corporis, sanguinisque Communionem accedenti Christiano homini necessaria, & sit curanda animæ mundities: *Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum dixit eis: scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magistrum, & Dominum; & bene dicitis: sum etenim; Si ergo lavi pedes vestros Dominus, & Magister; Et vos debetis alter al-*

alterius lavare pedes : exemplum enim dedi vobis , ut quemadmodum ergo feci vobis , & vos ita faciatis .

Hujus itaque peractâ solemnitate mysterii mox longe stupendum aliud aggressus est Christus ineffabilis scilicet corporis , sanguinisque sui mysterii , & sacramenti divinam institutionem , quo uno novissimo omnia veteris testamenti sacrificia consummaret , atque ut ait Leo Papa serm. de Passione Domini , *uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum* , ut umbræ sacrificiorum antiquæ legis , quibus sanguinis hircorum , & arietum immolabatur vero cederent corporis , & sanguinis Domini sacrificio , *& cessarent imagines sub præsentiâ veritatis , antiqua observantia novo excluditur sacramento , hostia in hostiam transit , sanguine Christi , sanguis aufertur animalium .* Cum igitur esset ex hoc mundo discessurus , & in cœlum abiturus modum infinita sapientia , & potestate sua mirabilem adinvenit , quo corpus suum sanctissimum in cœlum transferret , & super astra collocatet , ac nihilominus apud nos etiam hîc perpetuo simul in terris realiter , & sacramentaliter permaneret ; ut in hoc nostro semper exilio tantum erga nos amoris sui pignus , passionisque suæ monumentum haberemus . Quod autem , ut aliis quantumvis etiam inanibus , falsisque Religionibus suo opus erat , & legi gratiæ sacrificio ; eo certè quod in ara crucis obtulit Dominus Religionem haberê Christianam inferioris & dignitatis , & pretii sacrificium non decebat . Quapropter istudmet apud nos juge superesse voluit , & permanere sacrificium , non visibile quidem , sed invisibile ; Sacramentaliter sub visibilibus panis , & vini similitudinibus , & speciebus accidentalibus ; mutata divinitus per infinitam ejus potentiam panis , & vini in corporis , & sanguinis sui substantia ; ut citra nauseam , & horrorem a nobis absorberi possent sub hisce figuris & speciebus , iisque , ceu manna , divino cœlestique nectare confortaretur anima nostra , fideique lumine illustraretur , charitatis igne ferveret , demum & promissæ illi , speratæque pignus esset , & arra gloriæ . Sed & hoc mirum , & singulare fuit , qua scelus omnium nefandissimum contra Dominum , ejus scilicet occisionem , & mortem , nocte parabant homines , mundusque nequissimus hac ipsa tantum eis , tamque sublime dispensabat ille nocte beneficium , & sacramentum : *Cum in atrio Caiphæ tractaretur quomodo Christus deberet occidi , ille corporis & sanguinis sui ordinans sacramentum dicebat qualis hostia debebat offerri , (* Leo serm. cit. *)* Hoc voluit Paulus cum epist. 1. ad Corinth. c. 6. Dixit: *Dominus Jesus , in qua nocte tradebatur accepit panem &c.* Tunc scilicet infiniti pretii donum hoc corporis , & sanguinis sui Sacramentum hominibus contulit ; tunc vitæ panem hunc eis distribuit , & constituit , cum homines de eo cogitarent interficiendo , & de illius morte tractarent ; atque hæc sufficiant de peracta hodie sanctissimi hujus institutione sacramenti ; Quod jam supra libro superiore , cum de sacramentis egimus , fusius disseruimus .

Postmodum autem absoluto hoc tam mirabili sacramento suis valedicturus Domino discipulis prolixissimum ad eos sermonem habuit , sed mysteriorum charitatisque Divinæ , & amoris facibus undique rutilantem , cujus pauca hîc verba succinctè delibabimus : Filioli (ajebat illis Christus Joan. 14. v. 18.) *Etsi abjero* nunc a vobis , iterum *videbo vos , non relinquam vos orphanos*: etsi discessero a vobis , iterum *veniam ad vos: exivi a patre , & veni in mundum , & vado ad patrem ; sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis , ut ego vadam , si enim non abjero Paracletus non veniet ad vos; si autem abjero mittam eum ad vos ;* Qui vos illuminet , & mysteria mea vos edoceat , corda vestra charitatis in me ar-

doribus inflammet, qui soletur vos, consolidet in persecutionibus, & tribulationibus, quas passuri estis pro nomine meo. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet, creditis in Deum, & in me credite, qui Deus sum. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus*, aut in mente habeat. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis. Non vos me elegistis* in magistrum; *Sed ego elegi vos* in discipulos, *& posui vos, ut eatis* in mundum, & *fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Itaque parati estote ad ferendas hujus mundi, quas passuri estis ærumnas, labores, & tribulationes plurimas: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; Mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, sicut mulier, cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum non meminit pressuræ propter gaudium*. Ita *& vos nunc quidem tristitiam habetis, sed tristitia vestra vertetur in verum gaudium*. Nolite mœreri *si mundus vos odit*, & persequitur; *Scitote quoniam me priorem vobis odio habuit; si vos mundi fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo; Propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis; non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Joan. 15. v. 15. Eosdem etiam ad mutuam excitavit charitatem Joan. 13. v. 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: In hoc cognoscetis omnes, quia *mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Manete in dilectione mea; Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. In hoc cognoscent quia diligitis me si præcepta mea servaveritis; *Qui habet enim mandata mea & servat ea ille est, qui diligit me. Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis* fragilem, aut fictam, sed firmam, & sinceram, qua scilicet tranquilla quiescit, & lætatur in Domino anima, qua & cum hominibus etiam iis, qui nolebant pacem, sumus pacifici, charitatemque retinemus,

Huic cum sermoni Dominus finem imposuisset narrat Joannes, sublevatis in cœlum oculis eum sic ad Patrem orasse. *Pater venit hora* passionis, mortisque meæ, & Resurrectionis, quare tu *clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, & super omnes mundi homines, *ut omnibus quos dedisti ei* discipulis *det vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi, ut faciam*, salutis hominum. Manifestavi *eis nomen tuum, te ipsi cognoverunt*, & crediderunt, quia tu me misisti. *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum* amore, & charitate, *sicut nos sumus. Sanctifica illos in veritate verbi tui*, ac virtute. *Non pro eis tantum rogo* discipulis meis, *sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me ut sint unum, sicut & nos unum sumus* eâdem omnes conjuncti nobiscum, & invicem fide, spe, & charitate.

Postea autem, ut Joannes ait c. 18. *Cum hæc dixisset Jesus egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit*. Voluit quippe Dominus comprehendi in horto variis arboribus consito; passionisque suæ, & redemptionis nostræ primordia exordiri, quo nos intelligeremus eum etsi pro totius mundi culpis, pro Adami tamen hominum primi, Evæque peccato maxime pati, quod in horto, & Paradiso terrestri patrarunt. Hoc in horto narrant ut Evangelistæ,

Do-

Dominus *cæpit contristari*, *& mæstus esse* Matth.26. v. 35. *factusque est in agonia* sic, ut *sudor ejus esset sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Luc.22. v. 41. discipulisque suis assereret, quod *anima ejus tristis esset usque ad mortem*. Ab attenta, vivaque dolorum omnium, pœnarum, & cruciatuum, quos in toto passionis suæ decursu sustinere debebat repræsentatione, & meditatione, quam hic lethalem expertus est mœstitia, horror, & angustia prodierunt, quam & ultro, libensque passus est omni divinæ consolationis auxilio destitutam, nulloque cœlesti subsidio fultam, innataque fragilitate mutantem; volens, & permittens, humanitatem suam, ut inde palam esset quam libens, & volens pateretur, nullaque consolationis dulcedine conditos, & temperatos pro nobis in cruce dolores absorbuisset. Hunc in hortum plurima cinctus armatorum, satellitumque cohorte venit Judas, quarum in manus ille ceu mitissimam, & innocuam oviculam in cruentissimi, & rapacissimi lupi fauces ultro, & impie tradidit eum, a quibus & variis sistitur Judicibus, et ad plurima traducitur Inquisitorum, Prætorumque capitalium tribunalia. Hic porro de Passione Domini dicere plurimis haud animus est. Verum id sufficiat passionis ejus eo devenisse, ut dolorum, et cruciatuum, infamiarumque, et contumeliarum omnium supremum attigerit, et superaverit; ac de probris, et contumeliis ex Evangeliorum historia aperte constat, quantis eum affecerint irrisionibus, injuriis, sannis, et conviciis, quot falsis eum oppresserint testimoniis una omnes Optimates, et plebei Calones, et Satrapæ, Sacerdotes, et Laici, Gentiles demùm, et Judæi omnes promiscue omnes conspirarunt in eum; Et in mortem ipsius conjurarunt ne infensiores dumtaxat ejus hostes, sed vulgi etiam feces, et proletarii ab eis concitati uno ore omnes petierunt a Pilato ut crucifigeretur, sibique dimitti potius, et absolvi Barabbam nefarium, et prædonem, quam Jesum efferati conclamarunt. Denique non ab adversariis ille tantum exprobatus fuit, et lacessitus, sed ab intimis etiam discipulis, et amicis abdicatus, et derelictus: omnes enim ab eo fugerunt discipuli, quorum et ab uno traditus, negatus et ab altero fuit. De tormentis autem, dolorumque modis omnem profecto modum superasse palam est; sævissimas enim et membris omnibus, et sensibus expertus est pœnas flagris atrocissime verberatus, et dilaniatus, redimitus sentibus, alapis percussus, sputis oblitus, et gravissimo Crucis suæ pondere gravatus, quam et lividis, cruentatisque humeris ad supplicii locum usque deferre jussus, clavis eidem affixis Cruci manibus, pedibus terebratis, lancea perforatus; ac ne pars corporis ulla foret immunis, & libera supplicio, & lingua suum perferret, felle fuit, & aceto potatus. Inter prædones, ceu signifer eorum affixus patibulo vita demum, & fama cadit; vitam ut ille nobis, æternumque promereretur nomen, extremosque tulit ille dolores, & ignominias, ut ad extremas, perennesque voluptates, honores, & gaudia nos perduceret. Post autem, & tam atrocia, quæ potuerunt illi homines inferre tormenta; postquam eum in crucem egerunt, & crucifixerunt pendentique illuserunt, & subsannarunt, pro suis tortoribus æternum Patrem exorat: Tum erga peccatores profusiorem ut se præstaret, & liberaliorem: pendenti in Cruce prædoni regna cœlorum pollicitus præ ceteris fuit, & revera contulit; & cum saturatus esset doloribus, & contumeliis etiam pro salute nostra sitit, & ardet acerbiores. Sed cum nihil præterea, quod jam in eum ageret mundus, superesset, clamans voce magna Jesus dixit: *Consummatum est*. Pater sancte quando consummata sunt ea, quæ de me scripta, nec sit jam quod ultra agam, aut patiar, in manus tuas commendo spiritum meum; Et cum hoc dixisset emisit spiritum. Amen.

COL-

COLLATIO, SEU PARÆNESIS DECIMA OCTAVA.

In Die Resurrectionis Domini.

EN taodem illuxit optatiſſima nobis dies. Saoctiſſimam Reſurrectionis Chriſti Domioi Paſcha celebramus, qua convenit ut ſuper aliis Domioi Feſtivitatibus exultemus, & lætemur in ea, cum & illi majora ſuppetant, & nobis argumenta gaudiorum, & coofolatiooïs. Quamvis eoim in ejus etiam nativitate, gaudeamus, aliquid tamen & mœrore diluitur, interrumpiturque compaſſione gaudium hoc noſtrum, cum eas atteodimus, in quas incurrit puer, quibus & obnoxius factus eſt Dominus Jeſus frigoris, & nuditatis, rerumque omnium anguſtias, demùm & in quam pro nobis huc ille venit ſubeuodam mortem, & paſſionem atrociſſimam a ſtabulo, & præſepio mox ad Crucem deducendus, & configendus. Nobis etiam in ejuſdem nativitate nihil affulget harum, quas & optamus, & ſperamus eximiarum, cœleſtiumque corporis noſtri dotum, & perfectionum, mortalis quippe naſcitur per omnia nobis aſſimilatus excepto peccato, venitque carne paſſibili, qui carnem noſtram immortali optamus, & anhelamus impaſſibilitate donari. Hac autem die, & ſolemnitate Paſchali læta prorſus, quæ circumſpicimus omnia, nulloque vel illi, vel nobis, quo vel leviter amareſcant triſtitiæ, commiſerationiſque felle diluta ſunt, & commaculata. Hodie namque certiſſimo fidei oculo contuemur eum immortali jam carne donatum, & impaſſibili, nullique doloris, aut mortis obnoxium aculeo, fractis devictiſque mortis, & inferni viribus è ſepulchro ſurgere triumphantem. Quidquid autem in eo noſtris iotuemur oculis ſpes acuit noſtras, miraque cor noſtrum, & animam claritatis, & conſolationis dulcedine perfundit. Quam enim aſſecuturi ſunt aliquando filii Dei hodie gloriam aſpicimus, & quam ſperamus, expectamuſque ſuprema demum in reſurrectione vitæ ſelicitatem. Noſtris etenim ille ſe viſendum hodie proponit obtutibus; noſque ſic objecta carnis ſuæ claritate, & immortalitate compellat. En, hujus, quæ vos manet, ſi mei vere fueritis diſcipuli, quæque parata eſt corpori veſtro levis aliqua delineatio gloriæ, ut hæc immortalis, in qua reſurgo, caro mea, ſic erit & veſtra; Ut illa jam iocorruptibilis, impaſſibilis, & ab omni, quæcumque illa ſit, triſtitiæ, doloriſque anguſtia libera: Sic & veſtra. Quemadmodum, illa ſubtilis, agilis, & levis, ſervata nihilominus eſſentia carnis, & natura, membrorumque tota compage, vel oſſium: quemadmodum hæc tota pulcha eſt, & venuſta, rutilans, & lucida tota, quæ proſtat hodie vobis caro mea. Erit et ſimiliter haud dubie caro veſtra, toto ſi vos me corde dilexeritis, ſi per veram fidem, ſpemque, et charitatem adhærentes mihi per ſemitas meas ambulaveritis. Eſtne, in vobis aliquis (amantiſſimi mei) qui carnem ſuam his cumulari dotibus, hac ornari gloria, perfectiooeque decorari ſincere cupiat? *Omnes haud dubie nos in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes*, ac cum Paulo 2. ad Corinth.5. v.2. *Nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt a vita*. Nolumus hoc abdicare corpus, priorique animæ privari conſortio, et contuberoio, ſed novum optamus induere corpus reformatum, et configuratum corpori claritatis Dei, quod nullam ultra patiatur pœnam, infirmitatem, anguſtiam, acerbitatemque quamlibet, et mortem. Hoc in ſe fruebatur, expertuſque eſt deſiderium Propheta Regius, cum diceret Pſal. 62. v.2. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea:* promiſſam hanc

a te

a te sibi, et gloriosam anhelans Innovationem, et reformationem anima mea repleta est amaritudine, et circumdata est malis, et periculis: idcirco gemens expecto Domine donec veniat immutatio, et glorificatio mea. Verum cum ita sit a Domino constitutum suam ut nec anima, nec corpus assequantur, et obtineant sine merito, laboribusque beatitudinem; Quapropter hodie, quo futuræ Resurrectionis exemplum, et futuræ gloriæ proponitur imago, salubre nobis, et compendiosum exhibet Ecclesia mater sancta consilium probatissimi illius quondam medici Pauli, quo paucis, quid ad Resurrectionis gloriam assequendam agendum sit erudit his verbis 1. ad Corinth. c.5. v.7. Fratres si cum Sanctis resurgere vultis in gloria, dum hoc estis in seculo necesse est ut expurgetis vetus fermentum animæ vestræ mundantes eam ab omni malitia, livore, odio, et æmulatione, spiritualique quacumque corruptione, et putredine, ut sitis nova consperſio, et pura: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, Paschalis ille agnus pro nobis in ara crucis oblatus, qni cum fons, ipse sit, et origo puritatis omnis, et sanctitatis *non introibit in malevolam animam*, *nec habitabit in corpore subdito peccati*. Itaque novum hoc Pascha nostrum celebremus, et Resurrectionis Domini festa peragamus: *Et epulemur non in fermento veteri*, *sed in azymis* sinceritatis, et puritatis, hoc est simplici, et mundo corde, non duplici, et iniquo.

Ea propter etiam in Evangelio nobis ob oculos adducitur eximia illa trium sanctarum mulierum devotio Marc. 16. v. 2. *quæ valde mane* una *sabbatorum* egressæ *venerunt ad monumentum*, ut venientes ungerent Jesum in sepulchro positum. Sed cum venissent invenerunt eum resurrexisse. *Et introeuntes in monumentum viderunt* Angelum, sicut *juvenem sedentem in dextris coopertum stolâ candidâ*, *& obstuperunt*: *qui dixit illis nolite expavescere*, *scio quia Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum*: *surrexit*, *non est hic*: *ecce locus ubi posuerunt eum*; *sed ite*, *& dicite discipulis ejus*, *& Petro*, *quia præcedet vos in Galilæam*: *ibi eum videbitis*, *sicut dixit vobis*: hac sacrâ nos relatione docet Dominus comparanda nobis esse, dum hic vivimus, quibus ungamus Dominum, unguenta & aromata non materialia, sed spiritualia, si resurrectionis, quam expectamus gloriam assequi volumus. Quod a nobis maximè Dominus expectat officium. Tria vero sunt hæc, inquit Bernardus serm. de Maria Magdalena, videlicet *unguentum contritionis*, *unguentum devotionis*, *& unguentum pietatis*, *& misericordiæ*. Primum autem eorum, quo Deus a nobis ungi desiderat, verus est, & sincerus peccatoris dolor, peccatorumque suorum contritio; & quamvis vero viles sint, & foetidæ species, sive materia, qua conficitur hoc unguentum, quæ peccata nostra sunt, quæ, cum igne doloris, & amoris Dei supposito decoquuntur in aheno cordis nostri, pretiosissimum efficiunt unguentum, & redolens, *quod domum implet*, *penetrat cœlos*, *Angelos lætificat*, *& beatæ civitati lætitiam refundit*, *& gaudium*. Ut de unguento, quo Magdalena Dominum unxit in Evangelio dicitur Joan. 12. v. 3. Quod *Domus impleta est odore unguenti*. Quod certè unguentum nobis adeo necessarium est, & utile, ut nunquam deesse debeat in officinâ cordis nostri, nec etiam post Pascha despicere, vel abiicere liceat: ut enim sancti Patres asserunt, etsi jejunium, & carnium usus certo temporis arctetur, & circumscribatur, spatio nullo coarctatur, teneturque contritio, sed ipsa totius hujusce vitæ duratione mensuratur. Ut enim habet Augustinus, ubi contritio deest, deficit & venia peccatorum; Semel enim admissa culpa cum in mentem redit & memoriam, displicere semper nobis debet & plangi, nec licet unquam aliquando male actum approbare.

Pec-

Peccatis autem, animæque vulneribus unguento illo contritionis efficacissimè curatis illud expedit nobis & devotionis unguentum emere, & præparare, quæ prompta quædam est, & fervens, ut Bernardus ibidem habet æternorum sitis, & propensio: hoc priore longe pretiosius unguentum est *prorsusque dignissima compositio illius est & in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda, ejus enim species de cœlesti paradiso allatæ sunt, recordatio beneficiorum Dei* humano generi collatorum. *Virtutes enim divinitus collatæ, & in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ, & exultationis oleo superfusæ suffuso igne justitiæ in humilitatis aheno decoctæ faciunt unguentum hoc & odore, & virtute* mirabile. Hunc enim in corde parit, quem devotionis appellamus affectum Dei beneficiorum attenta meditatio, nec quævis iners excitandæ illi sufficeret levissima cogitatio, sed assidua opus est, & intenta meditatione; conterendæque frequenti tractatione species illæ, piorumque desideriorum igne decoquendæ: sic enim istud, quod devotionis dicimus, confici debet unguentum. Nec causetur aliquis esse se rudiorem, & illiteratum, adeoque nec huic idoneas, & necessarias unguento parando species, Christi scilicet mysteriorum accensam, incensamque contemplationem sibi posse comparare: inutilis enim excusatio est, cum iis comparandis non opus litteris, & eruditione, sed humilitate, simplicitate cordis duplicitate liber hoc & devotioni propior est, & aptior; ac idcirco Gregorius cum Ecclesia afferit in sexu femineo reperiri devotionem; nempe rudiores sunt, ut plurimum, & ignaræ, corque habentes humile, adeoque divinæ suscipiendæ gratiæ, illustrationique, & comparandæ devotioni magis idoneæ. Quare non eruditorum modò proprium est unguentum istud, sed Christianorum omnium, quippe qui nullus non recogitare debet immensa, quibus a Deo cumulati sumus beneficia, mirari bonitatem ejus, & magnificentiam, Christique mysteria recolere, quæ pro salute nostra de Virgine natus operatus est in carne sua, & pro iis assidue laudis, & gratiarum actiones agere. Quamvis autem non omnes eadem, & æque ferventi devotione ferantur, nec ad divina pari ducantur animi propensione, & affectu; cuique sufficiat pro virili conficere, parareque, quam possit exactius hoc unguentum, & perfectius, non arte sua, & industria propria, sed Dei juvante, promoventeque gratia, quam instanter, & assidue debet implorare, sicque Dominum compellare: da Domine, prompto, ferventique erga te, quæ que ad tui cultum spectant animo sim, & propensa voluntate: da cœlesti tua me lumine collustratum apprehendere mysteria; piæ tu mihi, devotæque, & tranquillæ contemplationis, & orationis donum tribue.

Tertium denique unguentum pietatis est, & misericordiæ, quo perfusa jam anima tota proximi prompta necessitatibus, sive spiritualibus sive corporalibus accurrit, & subvenit; manusque ejus distillant assidue bis septem sive spiritualis, sive corporalis opera misericordiæ. Hoc Job abundabat, & affluebat unguento, qui (cor fuit adeo tenerum, tam facilè, tam alienæ compatiens miseriæ) qui de se sic testatus est c. 31. v. 32. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit*. Et cap. 29. v. 12. *Pater eram pauperum, oculus fui cæco, & pes claudo*. Et c. 31. v. 10. *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci*, ut ejus occurrerem necessitatibus: *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ?* Quanta vero præstet unguentum istud efficacia, & excellentia suis his ad Judæos Christus indicavit aperte verbis Matth. 9. v. 13. *Misericordiam volo non sacrificium*. Et iterum Matth. 5. v. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Quapropter, amantissimi Fratres, si promis-

missam hodie, & nobis exhibitam assequi volumus beatæ Resurrectionis gloriam; triplex istud cum sanctis hisce mulieribus parare debemus, & conficere nobis unguentum: his enim a nobis ungi vult Dominus. Amen.

In Ascensione Domini accipienda Collatio, quæ habetur Lib. I. Doctrinæ Christianæ Tract. I. Cap. X. In articulum fidei sextum.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS DECIMA NONA.

In Die Sancto Pentecostes.

Etsi nullum omnino divinorum, quæ celebranda sunt nobis, non ardentissimo devotionis affectu, & spiritu celebrare debeamus mysterium, potiori nihilominus ardore mihi, & jure celebrandum videtur hodiernum hocce mysterium, festivaque hæc habenda dies & sacra, qua sic copiose, sic abundanter in terram ignis ille divinus amoris e cœlo delapsus est, æternæque sapientiæ lumen illuxit, Apostolorum corda lucis hujus, & ignis ardore succensa sunt, omnisque perfectionis, & devotionis excellentia consummata; atque idcircò convenientissimum adunari nos omnes huic amori divino celebrando, vel certe sic in id accedamus, ut vel eo jam accensi, vel ei recipiendo veniamus idonei. Nihil enim inconsultius esse videtur, Christianos hac die properare ad Ecclesiam, & accedere corde carnali, & frigido, vel fratris odio fervente, fœdis, obscœnisque cogitationibus, & desideriis conspurcato, avaritiæ cupiditatibus æstuante, superbia tumido, vel alterius cujusque sceleris, & vitii sordibus inquinato. Nec indecorum magis fuerit, & puniendum iniquo, & maligno spiritu sacra peragere in templo Dei Spiritus Sancti solemnia, quam si quis ad Regis nuptias pullatus accedere circumamictus calyptra, vel cucullo ad os usque demisso. Si quis ergo vestrum pullatus est corde, vel aliquo crimine fuscus atram hanc, & lugubrem amodo ponat vestem, & ad suscipienda Spiritus Sancti munera, luminisque spiritualis opes, & ardentissimos ejus amoris dudum terræ negatos ignes aptum se faciat, & idoneum; neque enim sine causa hactenus hæc apud se cœlum occultaverat, tamque magnifice, & largiter in universum hominum genus hodie profundit; Cum ad hanc usque diem gratum cœlo fructum, & acceptione dignum terra nullum obtulerit: at, ut terra nostra virginalis Mariæ uterus dedit fructum suum sanctissimam Redemptoris humanitatem, & in cœlum misit jam dies undecim ipso Ascensionis Domini die tam præclaro, gratoque munere gestiens, & exultans sinu suo latentes ultra jam præ lætitia, & gratitudine continere non potuit in sinu divitias suas, quin eas abundantissime in genus humanum effunderet, priorumque horum Ecclesiæ Procerum, & hominum animas donis cumularet, inebriaretque cœlestibus, uti hodierna nobis in epistola Act. c. 2. v. 1. cujus & hæc summa est. Completis a Resurrectione Domini diebus quinquaginta, cum *essent omnes pariter in eodem loco Discipuli*, promissamque sibi diem unanimes, & pacifici præstolarentur; eaque, qua par erat suscipiendis cœli muneribus cordis munditie præparati, *factus est de repente de cœlo sonus* ingens, & stupendus, *tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis* divina mysteria, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Facta autem hac voce, & audita per civitatem Jerosolimæ convenit multitudo diversarum nationum hominum *stupebantque audientes eos loquen-*

quentes linguis suis magnalia Dei. Hæ porro igneæ, quæ foris apparuerunt linguæ, iosulum intus, & accensum arguebant lumen, & ignem; ut enim lucet, & urit ignis, sic Apostolorum animis hodie lumen illapsum est, quo divina clare mysteria cognoscerent; insedit illis calor, & amor, quo afficerentur eis, & ad ea vitam componereot, convenienter autem igois ille linguæ formam accepit, ut intelligeremus hocce sapientiæ cœlestis lumen, amorisque fervorem Apostolis infusum non unis ipsis datum, sed ut linguis suis, & accensis verbis mundum illuminarent, & inflammarent universum.

Hinc discite, charissimi, mementoteque spirituales, quas a Spiritu Sancto continuo flagitare debetis opes, & impetrare lumen esse mentis, & iotellectus, ac voluntatis affectum, & amorem: lumen, quo veritatem apprehendatis; amorem, quo deprehensam, & perspectam diligatis, & sequamini veritatem. Ut autem intelligatis quodnam istud sit, de quo hic agimus, lumen; ac scitote divina, cœlestique luce frui, qui non ea modo firmissime credit, & complectitur omoia, quæ credit Ecclesia, verum, & quæ ageoda sunt, & vitanda sibi firmiter agere proponit, & fugere, sincereque, & recte de prosequendo bono, fugiendoque malo judicat, atque decernit: nempe qui boc lumioe gaudet æteroa, divinaque præ ceteris quibuscumque omnibus anteponeoda certo judicat, & prosequenda; terrenaque vicissim, & temporalia quæque despicienda, nec diligenda: Totis etiam nisibus, & summopere nobis esse contendendum, ut bene sit semper cum Deo nobis, ut non peccemus ei, vel in nullo offendamus eum, semperque munda simus, & tranquilla conscientia: consequeoter eodem videt ille lumine persecutorem ipsum, et ioimicum, non odio, sed amore sibi Dei gratia prosequendum; bonum pro malo reddendum, injurias, et contumelias, quamtumvis graves, et acerbas ad arbitrium, et authoritate propria oon ulciscendas; Hæc scilicet, et alia hujusmodi sancta, quam collustrat, hoc lumen animam crudit acroamata, quæ paradoxa suot hujus seculi filiis, et alieoa: quia carent hoc lumine, cæcutiunt, et in tenebris ambulant.

Toto late sedet, dominaturque voluntatis nostræ regno Divini donum amoris, eamque movet, et inducit ad Deum super omnia diligendum, et proximum sicut seipsum: officiumque cjus proprium est, prohibere ne Deum offendamus, aut in aliquo displiceamus ei. Quocirca sancta mater Ecclesia hac amoris Dei solemnitate proponit opportunum Evangelium, quo proprium istud Divini amoris exponitur officium, quod sic habetur Joan. c.14. v.16. *Dixit Jesus Discipulis suis; Si quis diligit me sermonem meum servabit. Qui non diligit me sermonem meum non servat*. Ac si velit, nemo se seducat, nec imponat sibi falsa pro veris accipiens signis, hisque ao amet ipse Deum apud semetipsum dijudicans; nec eoim pia verba, et colloquia, nec orationes prolixæ, nec effusæ in divinis contemplandis lachrymæ, vera sunt, et legitima divinæ dilectionis, et amoris signa; sed booa ipsa, quæ operamur opera, perfectaque Dei mandatorum observantia, signa sunt amoris ejus genuina. Quapropter in epistola 1. canonica Joannes ait c.2.v.4. *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata ejus non custodit mendax est*. Tuoc enim verè Deum diligimus, si mandata ejus servaverimus: nam ut supra diximus, proprium amoris est officium, ne quid ei, quem amamus, displiceamus. Quare cum a filio parentem omnino diligi, aut ab uxore vitum probare volumus, et asserere, solemus hoc uti proemio, et dicere: Hæc mulier nullam refugit formam, et situm ne displiceat viro, tota ad nutum illius est, et pendet: sic bonus ille, vereque diceodus, habendusque Christianus, et amicus Dei omnibus se modis habet, ni-

nihilque non agit, aut patitur, ne in peccatum incurrat, certissimus quocumque vel levissimo peccato displicuisse se Deo, & offendisse, sanctioremque eum esse longius qui a peccato fugit, & horret. Quapropter, amantissimi, si Spiritum Sanctum, & dilectionem ejus habitare volueritis in cordibus, animabusque vestris, pœnitemini de peccatis vestris, & quæ ad hanc usque diem perpetrastis, aperite Sacerdotibus, & confitemini peccata vestra, firmiterque de cetero proponite, nec ad ea, nec alia quævis amodo nullatenus recidendi, in eoque proposito perseverate. Eritisque gratum, & perpetuum hic per gratiam Spiritus Sancti domicilium, & per gloriam in secula. Amen.

Dominica Sanctissimæ Trinitatis petatur Collatio, quæ habetur Lib.I. Doctrinæ Christianæ Tract.1. C. 5.

Feria Quinta sequenti, qua festus celebratur dies Sanctissimi Corporis Christi dicatur Collatio, quæ Lib. Doctrin. Christianæ Tract. II. cap.4. habetur, de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini ubi egimus.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS VIGESIMA.

In Die Purificationis B. Mariæ Virginis.

Gloriosissimum hac præclara, lucidaque solemnitate recolimus diem hunc, quo vera lux mundi, Deus infans, & puer recens pro nobis natus post quadraginta dies a nativitate fuit in templo præsentatus, æternaque Patri Deo per Mariam Virginem oblatus. Simeon autem ille senex, vir sanctus, & timoratus repletus Spiritu Sancto accipiens eum in ulnas suas, ac quis esset a Domino doctus exclamavit, & annuntiavit advenisse verum mundi lumen. Qua propter una nos cum sene sancto, Psalteque Regio David Psal.47. v.19. his sacrum ordimur officium verbis: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*; & quas præ manibus ardentes habemus facibus, pro nobis in templo præsentatam ostendimus, profitemurque lucem hanc magnam, quas etiam faces singulari benedictione sanctificamus, ut ab hac luce cunctas oriri, pendereque benedictiones, & sanctificationes ostendamus.

Verum enim vero, quid est quod longum istud, prolixumque Virgo sanctissima præstolatur, & moratur dierum quadraginta spatium a partu suo templum ingressura, mundique lucem, & filium oblatura? An forte illa ex iis est, quæ communibus legis Moysis sunt obnoxiæ præceptis? Quibus ab ingressu templi recens enixæ vetabantur ante dies octoginta, si feminam; ante vero quadraginta, masculum illa si peperisset. Nequaquam: hac enim illa singulariter excepta videtur, quæ iis dumtaxat posita mulieribus est, quæ suscepto peperint semine Levit. 12. v.2. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit &c* Ut autem hæc intelligantur, advertendum hanc in peccati odium, & detestationem a Deo constitutam fuisse legem, qua mulierem suapte natura concipere nata, & parere adeoque noxæ causa originis, qua rei cuncti ab Adamo via seminis, ex viro, & muliere procreati tenentur, ab Ecclesia, divinisque prohibebatur, & removebatur officiis: Quod autem primum illud a Protoparentibus admissum crimen (a quo, quod nascendo cuncti contrahimus, originale peccatum originem habuit) a muliere sumpsit exordium. Hæc enim ipsa virum induxit Adamum, ut peccaret, duplo Deus in feminam parientis mulieris auxit, geminavitque vindictam & pœnam; jussitque mulierem, quæ masculum pararet ab ingressu Templi

 per

per solidos quadraginta dies ioterdictam fore; quæ vero feminam enixa dies octoginta. Quæ omnia sic a Domino constituta sunt, ut peccati nobis horrorem incuteret, & ab eo nos avocaret, intelligeremusque nihil exitialius, magis & abominaodum, quam Deum offendisse quod hac nobis apertè demonstrat lege pœnali & vindiee, quæ prægnantem, & enixam mulctat mulierem, eum vel eo videretur habenda loco digniori, & remuneranda. Res enim admiratione digna videtur, mulierem sic hominum propagationi uteri sui fructu utilem, & muodi conservationi; sic apud Dominum inhonoratam esse, & contumeliose habitam, ut dicat, absit illa jam a conspectu meo, procul hæc ab aula, & a domo mea sit tamdiu mulier enixa. Verùm ut jam dictum a nobis in odium originalis peccati sic constitutum est ob hanc fœdam, quam hæreditatem habent omnes ab omnium signifero Adamo proditore, & perduelle fati, tabem, & maculam. Hinc vos Fratres, quaotum Deo displiceat, quamque sollicite lethale peccatum fugere debeatis intelligitè, cum tam severe vel infantium recens natorum ab utero originale peccatum ulciscatur, & horreat actuali, mortalique longe levius; eum nil aliud istud sit, quam ejus quod peccavit Adam, in quo & omnes peccavimus nos, quasi vestigium, & vibex. Ex his ergo satis intelligitur hujus severitate legis immunem fuisse Mariam, quæ non de virili suscepit semine, sed de Spiritu Sancto coneepit, ac peperit filium suum totius puritatis, & sanctitatis originem. Sed illa sponte hanc voluit subire legem prægnaotium mulierum; humilitatem, & obedientiam ut nobis commendaret, exemploque foret, uti nihil obstrictus eircumcisionis austeritati filius ejus ultro se subegerit ei. Cautum erat in lege Exod. 12. v. 2. mulieri primogenitum enixæ post dies a partu quadraginta oon tantum, ut eum in templo præseotaret, sed etiam offerret sanctificaretque Domino, sive eoosecraret tradens illum Domino, nec ultra suum habitura, & domi curatura, nisi prius eum redimeret a Domino, cujus erat, ab eoque eerto pretio reciperet. Judæorum quippe primogeoitos omnes suos esse voluit Deus ob collatum eis a se beneficium, quo primogenitos Ægyptiorum omnes in eorum gratiam interfecit. O Maria? Tu ergo veni cum ceteris filium tuum defer in Templum, eumque pro nobis offer ipsa tu Domino. Nec enim est nobis, quod ei dignum offeramus: nam si nostras offerimus animas, heu quam fœdæ, quam deformes, & ab ea, quam in baptismo receperant, longe recesserunt veoustate, & puritate. Muodavit nos Dominus per lavacrum regeoerationis, & baptismi ab Adami traduce macula, quamque materoo traximus ab utero deturpatam ejus imaginem, & fuscam abstersit, suoque nitori restituit, & lumini. Nos autem insani, eœei, & ingrati iterato conspurcamus, infieimus, & delemus, ut adversam ei Diaboli figuram imponamus, & exprimamus. Adeoque, Maria piissima! offerre illi animas nostras oec audemus, nec possumus; corpus autem, quod eircumferimus, illi si vel offerre cogitemus vilissimum ei muous obtulerimus. Etenim cum Paulus asserat Roman. 7. v. 18. & 23. *non esse in carne sua bonum* (quæ tamen adeo munda, nostrisque purior etiam animabus erat) quid de nostra dicamus, & sentiamus carne, & corpore? Jam si vel nostra voluerimus ei saltem opera præsentare non ea esse, quæ digne possint offerri, manifestissimum est, quin ea esse novimus, quæ nos eum Davide Psal. 50. v. 8. compellant urgere Dominum, & dicere *averte faciem tuam a peccatis meis*. Si quæ vero videantur eorum minime mala, sed bona, tanta illa eerte suot impuritate, mixta, & imperfectione, ut vere nobis eum Isaia dicendum, sic omoes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ e. 64. v. 6. Itaque affer, o Domina pro nobis immensum istud, purumque, & infiniti valoris, & pretii munus, quod sufficit unum, & æter-

& æterno Patri gratissimum est, unum quod & mundare nos aptum, & potens, Deoque nostri & cordis, & operum acceptum facere munus & gratum. Expropter Ecclesia nobis hac die selegit ex Malachiæ Prophetæ verbis epistolam c.3.v.13. qua præsentatus in templo pro nobis hodie puer igni componitur, a quo liquescit, coquitur, & purgatur argentum, & aurum. Salus enim ipse, cor, opusque nostrum abductis, hæreutibusque potest emundare scorii sordibus, & immunditiis. Denique tu, Domina, filium hunc tuum unigenitum æterno, & Omnipotenti Deo, & Patri pro nobis obsidem offer & trade, dum ipse se pro nobis victimam obtulerit in Cruce Patri.

Quamvis autem infiniti pretii munus obtulerit Deo, ac per omnia par, & æquale illi munus, tamen aliud temporale, legèque præscriptum hoc est par turturum, aut duos pullos columbarum etiam obtulit Deo: turturibus vero, columbisque pro cantu gemitus est, quo quid in hac valle miseriæ, totaque quam in hoc exilio vivimus, agendum nobis sit vita, demonstratur, nempe pro peccatis assidue gemere nostris, & alienis pro tot tentationibus, & periculis, quibus obruimur pro dubia salutis nostræ certitudine, demum ad cœlestem illam, qua exulamus patriam aspirantes, & anhelantes, & a quo tam longè distamus, Patrem ardentibus ingemiscere desideriis, maximè cum ad templum accedimus, hoc nobis cantandi genus usurpandum, Deum orantes gemitibus inenarrabilibus, seu peccatorum causa, seu ex ardenti cœli desiderio. Quod ut intelligeremus has in templo sibi delegit ex hominibus aves offerendas Dominus.

Addit autem Evangelium, quod dum puerum offerret in templo Maria senior, *ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon, & homo iste justus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo*. Quibus verbis aperte probat Evangelista Simeonem hunc senem omni sanctitatis genere conspicuum fuisse. Vocat enim eum primo justum, hoc est hominem nullius invidia, vel injuria conversantem. Utque illum etiam interius, & animo probaret incontaminatum & purum, ait & fuisse Deum timentem, & timoratum, ejusque charitatis amplitudinem indicat, cum addit ardentibus eum Israelis populi sui consolationem expectasse desideriis, & optasse misso de cœlis mundi totius Salvatore, & consolatore sanctissimo. Heu miseros! Qui dum læta sunt nobis omnia, nostraque prospere succedunt, aliena nil cogitamus, aut dolemus mala, vel publica; parumque curamus ea, vel despicimus quod, quam intepuerit in nobis charitas, apertè demonstrat, cujus est proprium *flere cum flentibus, gaudereque cum gaudentibus*: ad Rom. c. 12. v. 15., ac communem optare præsertim, zelareque salutem, & commodum. Quibus probatus ille senex promeritus fuit, *ut responsum acciperet a Spiritu Sancto*, & intelligeret ab eo *non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*, quem & tamdiu concupierat, expectabatque visibilem in carne mundi Salvatorem. Hac vero die suis potitus est ille desideriis, & expectatione cum a Sancto ductus Spiritu *venit in templum*, in quo visurus erat, quem expectabat mundi consolatorem. Venit ergo ille in templum, attentusque iis, qui illud ingrediebantur, curiosius intuebatur, & circumspiciebat, donec advenit Maria maris Stella solem justitiæ verum in ulnis ferens, quam, & eam esse Virginem a Deo prælectam, totiusque Redemptoris mundi parituram, ipsumque in ulnis gestare, a Deò revelante, didicit, statimque ac illa suum obtulit in templo munus, *accepit eum in ulnas suas*, mutatusque jam in alterum virum, & totus in Deum transformatus suavissimum inchoavit, cecinitque canticum dicens nunc hilariùs, & in pace moriar, Domine nunc dimittes, Domine,

ne, servum tuum a vinculis hujusce corporis abire liberum nec est, quod ultra vivere cupiam: *quia viderunt oculi mei salutare tuum quod parasti*, & in mundum misisti; jam lumen istud vidi, *quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Pluribus hic agere nolo charissimi; hoc unum rogo sancti Simeonis verbum hoc attendatis, Christum Jesum lumen esse positum a Deo coram oculis, & ante faciem omnium hominum, & populorum; ut omnes in eum intuentes, doctrinam ejus audientes, & vitam, & vestigia sequentes in hujus mundi tenebris non ambulent, & errent; sed ad Evangelicæ Doctrinæ lucem gressus suos item, pedesque dirigentes ad æternæ claritatis patriam, & portum feliciter appellant. Væ qui huic terga vertunt lumini, quod Dominus posuit ante oculos, & faciem omnium populorum, nam eos in tenebris oportet ambulare, & sæpius impingere, & cadere, qui lumen illud ante faciem a Deo positum a se reiiciunt, & despiciunt, vitamque suam, & opera sua ad carnalis concupiscentiæ flammam instituunt, dum ad inferni perpetuum ignem inciderint.

COLLATIO SEU PARÆNESIS VIGESIMA PRIMA.

In Annunciatione B. Virginis Mariæ.

UNigéniti Filii Dei divinam, atque mirabilem hodiè dilectissimi, celebramus in utero Virginis Mariæ conceptionem, incarnationisque Verbi Dei mysterium, totque micat hocce mysterium, festumque fulgoribus, ut quæ per annum celebramus omnia redemptionis nostræ festa, & mysteria, pretium ab ipso, lucemque mutuent, & accipiant. Primum enim hodiè veneramur & colimus Dei miraculum, præcipuumque mysterium, ceterorumque basis omnium, & fundamentum. Quia Deum hominem fieri, & carnem induere primum id, supremumque fuit divinæ potentiæ miraculum, & a quo cetera demum Nativitatis ejus, Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque miracula pendent, suamque ducunt originem. Diem hanc itaque felicissimam, amantissimi, celebramus, sacratissimam horam, & instans, in quo *verbum caro factum est*, quo Dei verbum carnem sibi nostram personaliter univit, corpusque sibi aptavit in utero Virginis, & ex purissimo illius sanguine coagmentavit, cui rationalem infundit animam, qua assumens sibi naturam humanam, & corpore, & animâ completam, adeout una eadem persona verè simul, & Deus sit verus, & homo verus, duas in se complexa naturas integras, humanam, atque divinam eâdem unâ personâ junctas, & perfectissimè unitas, atque in eodem Incarnationis ejus instanti repleta est anima ejus plenitudine sapientiæ, gratiæ, & sanctitatis.

Hujus nobis exprimit Evangelista Lucas elegantissime mysterii modum, & œconomiam, orditurque hoc modo; missum in primis in terras a Deo nuntium, ac legatum, vix potuit mundus isthæc audiens, quidve ferret ille novi nescius, quin sinistrum aliquid auguraretur, & expectaret. Eo res enim mundi tunc erant statu, ut nuncium a Deo missum audiens ultionem ab eo sibi minitari, instareque sibi perditionem merito suspicaretur. Pugnabant enim cum Deo homines, & in perduellione pervicaces acriter adversus illum insurgebant priora quotidiè gravioribus scelera cumulantes, thesaurizantesque sibi iram in die vindictæ Domini. Quæ poterat ergo illis esse a superis veniæ spes, & expectatio? David olim indoluerat Psal. 13. v. 3. quia *Dominus de cœlo prospexerat super filios hominum*

ut

ut videret, *si esset intelligens, aut requirens Dominum*, *&* deprehenderat omnes declinavisse a Domioo, omnesque corruptos, & abominabiles in studiis, & operibus suis, nec esset qui faciat *bonum usque ad unum*. Cum ergo tunc detrudi mererentur homines ad Inferni baratrum audientes a Deo missum in terras Angelum perferre mandatum alind haud dubiè, quam ultionem, & supplicia minitari sibi præsumere vix potuerunt; maximè cum a Deo missi quondam in terram Angeli clades attulissent hominibus inauditas; velut is qni 2. Reg. 14. sub Davide Rege septuaginta millia peste sustulit, aut is, qui sub Ezechiâ 4 Reg. c. 18. centum octoginta quinque Regis Assyriorum Sennacherib exercitus millia prostravit. Sed hunc tandem nuncium, & ad quam totius orbis Provinciam, aut civitatem a Deo missus fuerit inquiramus; ad quamdam ait Evangelista missum a Deo fuisse Galileæ provinciam, & civitatem, cui nomen erat Nazareth. Bonis avibus! Præsagium felix, bene augurari licet, cum ad alias ille missus mundi civitates, quæ Diaboli parent imperio, quibus & Idolatria, & omne scelerum genus late regnat; Galileæ nam inquilini suâ fidelitate commendantur, Deoque parent, atque in iis maximè Nazareth cives, quorum plerique sancti, Deum timentes, & mandatorum ejus observantissimi; ad eorum forsan aliquem destinatus fuerit a Deo nuncius, qui læta ferat, pacisque, & misericordiæ pacta nunciet? Quisnam ergo ille est, ad quem nuncius iste venit? Aperit Evangelista, qui *missus ait ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis Maria*. Jam securi simus nuntium istud, & legationem hanc oon in mundi peroiciem, sed utilitatem, & commodum esse destinatam. Est enim hæc virgo omnium, quæ sub cœlo sunt sanctissima: ergo quid novi sit, istud inquiramus. Hæc porro legationis hujus summa. Noverint homines a Deo constitutum æternè unigenitum suum in terram mittere, qui carnem humanam, & naturam in Mariæ Virgiois utero, & visceribus induat ut ex ea natus homo cum hominibus ipse conversetur, salutisque semitas edoceat, & vias dirigat, mortisque subinde pœnam eorum causa subeat, cujus & sanguinis vi, & pretio cuncta sint illis peccata dimissa, æternamque demum felicitatem assequantur & gloriam. Quis ad hujusmodi nuncium nnn obstupescat? Quis non miretur? Quis sibi temperet audita tam insigni gratia, largientisque dignitate, & majestate? Hanc olim in spiritu subodoratus Propheta gratiam dixit: Audi Domine nuntium, quo territus sum; consideravi mirabilia tua, & expavi. Et alter: Quis unquam audivit similia? Quis talia vidit?

Narrat Augustinus sibi tunc primum ad Deum converso jucundius, & mirabilius Iocarnationis Dominicæ contemplatione mysterii, nec ea potuisse satiari dulcedine, quam experiebatur in consideratione tam ineffabilis, & opportuni reparandis hominibus a divina sapientiâ propositi, & adinventi medii: nullus profecto potnit excogitari convenientior modus, ut sancti testantur Patres firmandæ fidei nostræ, vel augendæ, vel etiam amori provocando, quam ut Deus homo fieret. Venit in carne veritas ipsa, quæ nos æterna doceat arcana, & invisibilia Dei mysteria: Quis de promissis ejus dubitet, aut ea inficiat? Quis non ei facilis acquiescat? Nihil autem ejus quam expectamus, nobisque promissa est beatitudinis spem obfirmat magis, & erigit, quam hæc in una persona divinæ naturæ cum humana conjunctio. Etenim cum in eadem una persona potuerit adunari cum homine Deus, longè facilius uniatur intellectualiter animæ Deus ut eum ipsa induat, & intueatur. Demum & convenientius oihil a Deo cogitare potuit, quo nostrum in se provocaret amorem, incenderetque charitatem, quam ut hominis

cau-

causa indueret ipse hominem, atque in eadem humanitate sumpta tanta pro nobis ille pateretur. Nullum efficacius invenire potuit argumentum, quo nos iniquitate, peccatoque revocaret, & ad sanctè mundèque vivendum induceret, ac cum naturæ nostræ vilitatem ad suæ sublimitatem evexit, & adunavit. Quis ergo jam animam, carnemque suam inquinare peccatis, & conspurcare non contremiscat, qui ejusdem eam & naturæ sciat cum ea, quam sibi Deus ipse sumpsit, univitque carne, & anima? Graviora proinde sunt ea de causa, quæ ab Incarnatione Christi, quam quæ ante fuere commissa scelera, & peccata, quod scilicet ei, quam assumpsit Deus humanæ naturæ quædam irrogatur injuria, cum substantialiter sit similis, & eadem cum nostra, quam tu peccator, & miser omni sordium, abominationumque genere conspurcas. Quocirca dixit Leo Papa serm. 1. de Nativ. Domini: *agnosce homo dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ factus, noli in veterem vilitatem carnali, & degeneri conversatione redire: memento cujus capitis, & corporis sis membrum.*

Deinde narrat Evangelista Gabriel Angelum ingressum ad Virginem in cellâ secretam his eam compellasse verbis, & salutasse: *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Miram omninò, sublimemque salutationem, cum totus esset a gratia Dei quam alienissimus mundus, Mariam ait gratiâ plenam in conspectu Domini, eique gratissimam. Utinam vel minimam invenissemus aliquam in conspectu Domini gratiam! seu verius: utinam cupiamus habere gratiam ante Dominum! haud dubie. Nam haud dubie, qui vere desideraret eam, & inquireret, & diligenter insequeretur, inquirenti vix possibile foret, ut non assequeretur. Profectò si qua Principum, Optimatumque gratiam sibi promereri contentione student homines; Deum tu promereri tibi contenderes; nunquam ejus tibi gratia deficeret, vel una tibi sufficiat ad promerendam Dei gratiam vera compunctio, sinceraque confessio: hanc nihilominus nec curas, nec optas, ut illam assequaris. Addit Angelus ad Mariam: *Dominus tecum.* O pectus dives, quod capit Deum. O miserum, & inops, in quo non ille est. Vide jam quid ad te: hæc enim inter medium nihil est, vel pectus tuum, & cor Dei domicilium est, vel Dæmoniorum. Quem alterutrius eorum eligas tu, & hospitem habeas vide. *Facta est*, ait Joannes Apocalypsis c. 18 v. 2. *Babylon magna habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* Babylon illa carnalis est anima, cui non Dominus tecum dicitur, sed ira Dei tecum sit perditio, mors æterna, vel infernus tecum, & Diabolus. Hæ sunt, quas thesaurizas in corde tuo peccator infelix opes, atque sicut ad Mariam Angelus ait: *Benedicta tu in mulieribus.* Tibi dicat, oportet; maledictus inter natos mulierum. Væ tibi, quia melius tibi foret, si natus unquam non fuisses. *Turbata est* porro Maria, inquit Evangelista, *in sermone* Angeli, tam insolito se salutari modo audiens, atque adeo præter expectationem, & intentionem suam, quæ de se tale nihil præsumebat: *& cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Quod Angelus advertens ad illam ait: *Ne timeas Maria invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & regnabit in domo Jacob*, hoc est filiorum, & servorum Dei, *in æternum, & Regni ejus non erit finis*: ad quem ait Maria: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, & respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, cujus id virtute fiat: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Quo & nunc factum est quod *Elisabeth cognata tua, & ipsa*

con-

concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis: Dixit autem Maria posterioribus Evangelii verbis humilitatem, & obedientiam intime spirantibus: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, quibus dictis integræ fidei, & humilitatis verbis, mox in ejus utero consummatum est illud absolutissimæ, & infinitæ charitatis, et humilitatis mysterium unito cum humanitate Dei verbo, uti jam diximus, atque ex purissimo Virginis illibatæ sanguine Spiritus Sancti virtute corpusculo sibi formato, & plasmato. Hanc itaque parænesim absolvamus nos hoc epiphonemate, seu viri cujusdam sancti suspirio hoc: Complaceat quæso tibi Domine, ut sicut carnem induit verbum tuum, sic è siliceo carneum fiat cor meum, blandum illud, & molle fiat, quod amoris tui, & inspirationum tuarum facilè configi sagittis valeat. Cor etenim mihi non carneum est, sed siliceum, cujus durtie inspirationum tuarum acies obtunditur, resiliuntque motionis tuæ jacula. Fac Domine molle fiat, blandum, & tractabile, ut cum Job gloriari possim, & dicere. Job.23. v. 16. *Deus mollivit cor meum*. Væ enim cordi duro, & æneo de quo scriptum est: Væ cordi indurato in die judicii. Isajæ 46. v. 12.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS VIGESIMA SECUNDA.

In Nativitate Sancti Joannis Baptistæ.

JOannis Domini Baptistæ celebramus hodie natalem, amantissimi, nec ab ejus laudibus, vitaque commendanda illius & doctrinæ, præclarisque ejus gestis extollendis dies hæc abire convenit, cum is ille fuerit, qui vel ab ipso Domino, & Salvatore nostro prædicari meruerit, & celebrari Qua quæso ratione sustineatur hunc illaudatum abire, quem adeo magnificè Dominus commendavit, totque laudum ornavit titulis? Quis unquam Oratorum, aut concionatorum eximiam alicujus extulit sanctitatem, aut merita? Joannem at Christus ipse celebravit. Contigit (ut Matth. habet c. 11. v. 7.) quadam die, ut Jesus esset plurimâ hominum turba comitatus, & cœpit mira de Baptistæ præcellentiis, & dignitate dicere ad turbas. Vos qui nuper avidi, tantaque concitatione relictis domibus in desertum properabatis Joannem intuituri, vel audituri: *Quem existis videre?* An hominem arundini vento agitatæ similem, & levioris popularis auræ, vel adversitatis persecutionisque vento flexibilem. Nequaquam ille levis arundo, sed firma, & solida virtutis veræ columna est: *sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Nequaquam utique, qui duro cilicio, camelique villosus incedit, vestitusque crinibus. *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam*; dico enim vobis. Quia ipse Angelus ille est, de quo prophetavit Malachias, qui venturus est, & præparabit vias ante Messiam, hospitiorum metator qui legis est, & prophetarum finis, & consummatio, novus, alterque Elias mundo promissus; denique *inter natos mulierum non surrexit major eo*. Quid porro videtur vobis. Potuerunt ne de illo quàm quæ dixit Dominus præclariora dici? Cum ergo eosdem ille, quos homo factus ipse Deus habere promeruit vitæ suæ, gestorumque Chronologos, & Historiographos Evangelistas; aliud impræsentiarum mihi non occurrit agendum, nisi pauca quædam ex iis, quæ proponit hodie de illo Evangelium adducere. Vita ipsius tota stupenda, mirabilisque, & pietate coruscat; etiam antequam natus & ex utero matris prodiisset, prodigiis claruit. Idem ipse qui Dei Filium assumpturum Virgini

 nun-

nunciavit hominem Angelus, & Zachariæ Patri Joannem esse nasciturum annunciavit. Gabriel qui Zachariæ promisit fusceptururn se, quantumvis effectum senem ex uxore sua etiam anicula, ac sterili semen, & puerum, qui *magnus coram Domino* futurus esset, *in cujus nativitate multi* gavisuri essent, replendusque *adhuc ex utero matris suæ Spiritu Sancto*. Luc.1. v.12. Quæ subinde completa omnia, cum Elisabetham Joannis matrem jam menses sex imprægnatam invisit mater Domini Maria Virgo, & ipsa recens Verbo fœta, habensque in utero de Spiritu Sancto: cum adhuc in utero matris suæ esset, repletus est in ea visitatione Spiritu Sancto Joannes, intellexitque tunc quænam hæc esset, a quo conveniebatur tunc mater sua, quisque ille erat, quem illa gerebat in utero femina tam præclara, & idcirco exultavit in utero infans ille Joannes. Quod autem, ut diximus, ab ipso matris utero Joannis mira ducunt exordium: idcirco hoc in ejus festo die præclarum illud, quod Esaiæ quondam proprium fuit; in epistola vaticinium usurpavit Ecclesia, quo dicitur Esaiæ c.49. v. 1. *Audite insulæ, & populi de longe attendite*, scitoteque, quia *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum*, ut adventum ejus, salutisque doctrinam omnibus annuntiarem populis, ut & libere & intrepide vitia redarguerem, increparemque impia carnalium hominum, & peccatorum amputans, secansque desideria, debitamque suadens hominibus divinæ voluntati subjectionem, & obedientiam, atque idcirco Dominus *in umbra manus suæ protexit me, & posuit me quasi sagittam electam in pharetra sua abscondit me*; ceu mox ab arcu suo mittendam, qui corda transfigam hominum, & in viam salutis dirigam.

Quæ in ejus nativitate mira contigere, quod in missa vobis hodie lectum est Evangelium exposuit, quo dicitur Luc. 1. v.17. Quia *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati ejus hæc, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei*; Et post dies octo: *factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam: Et respondens mater ejus dixit; nequaquam; sed vocabitur Joannes, & dixerunt* parentes, & cognati, *ad illam*, Quid hoc illi novum jubes imponi nomen, cum *nemo sit in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*. Cum autem ante plus menses novem obmutuisset pater ejus incredulitatem ulciscente Deo, quod pueri nativitatem annuntianti fidem non præstitisset Angelo signis, & nutibus rogabatur, ut aperiret, *quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit dicens, Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus a spiritu Sancto, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum, & super omnia montana Judeæ divulgabantur omnia verba hæc, & posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes. Quis, putas, puer iste erit?* cujus ortus tantis fulget prodigiis, *Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus Spiritu Sancto repletus est; & prophetavit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ &c.* En nativitatis historia. Quid vero de ejus adolescentiæ dicamus admirandis? Etenim ut ex Luca colligimus adhuc ætate tenerâ venit in desertum, vitamque duxit heremiticam, cœlibem, & Angelicam: Antra illi aspera fuerunt ædes, & aula: jejuniis, abstinentiis, macerationibusque durissimis carnem suam affligebat, ut nec eum comedere, nec bibere dixerit Dominus. Eo namque cibo victitabat, ut nullo uti vere diceretur, oleribus, & radicibus, locustis, & melle silvestri pascere solitus, denique tot afflictionibus, &

pœ-

pœnitentiis innocentissimam, mundissimamque attrivit ille carnem suam, ut austerioris eum omnibus pœnitentiæ speculum, exemplumque proposuerit Dominus, cum dixit Matth. 9. v. 12. *a diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum, vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quem, amabo, carnalium horum non pudeat hominum, & peccatorum adeo delicate, lauteque spurcam habere carnem suam, horrereque pœnitentiam, & fugere, cum hic sæviat in suam Joannes immaculatam, & virgineam. De orationis autem ejus, & contemplationis in deserto sublimitate, & assiduitate quis convenienter dicat? Huic nolo me committere pelago, ne submergar in profundum. Hoc unum nobis satisfuerit, eum ad annum circiter trigesimum ætatis suæ in eremo perseverantem vitam non tam humanam duxisse, quam Angelicam. Deo verò tunc intus urgente, mundo innotuit, visusque hominibus, præcursorisque implevit, ad quod electus erat officium, uti narrat egregie Lucas Evangelista cap. 3. v. 1. *Anno quintodecimo Imperatoris Tiberii Cæsaris procurante Pontio Pilato Judæam: Tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturea, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha sub principibus Sacerdotum Anna, & Caypha factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto*; ut exiret e deserto, prædicaretque gentibus, & ad quod electus fuerat, Præcursoris Domini, & Messiæ ministerium impleret, cui mox obtemperans mandato Joannes *venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; omnibus palam annuntians, ut vitam emendarent in melius eo quia prope est regnum cœlorum, advenitque misericordiæ rempus, & revelationis Messiæ, mundique Salvatoris, per quem regnaturus esset Deus spiritualiter in hominibus mundique, carnis, ac Diaboli destructurus. Et dicebat; Ego vox clamantis in deserto, de quo prophetavit Esaias c. 40. v. 3. *Quod clamaret in deserto, & diceret: parate vias Domino rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; omnis mons, & collis humiliabitur, omnis vallis implebitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas*. Non sit iter distortum, incurvum, declive, vel abruptum, aut salebrosum, quia Messiæ tempus advenit, *& videbit omnis caro salutare Dei*. Cum autem hæ, per quas iturus ille est, viæ, vel ad quæ declinaturus ille diversoria nostra futura sint, & hominum corda, proinde recta sint oportet ea, curareque debemus ne vel intumescant, & alte sapiant per superbiam, & præsumptionem, non in imum ruant desperatione, vel pusillanimitate, nullis demum aspera sint iræ, vindictæque, vel odiorum salebris, sed mansuetudine humilitate, & charitate complanata. Cum autem ad Joannem accessissent Pharisæi complures, *ut audirent eum, & baptizarentur ab ipso, dicebat ad eos genimina viperarum*, de venenatis parentibus venenati filii; *Quis ostendit vobis* fugere a ventura ira? Quis induxit vos huc accedere, & quærere remedium, quo possitis fugere a ventura ira, quæ vos manet incredulos omnes, & obduratos. In hoc certe cognoscetur, quia vere, & ex læto corde convertimini, si dignos pœnitentiæ fructus feceritis, quosque vere pœnitentes emendatamque vitam profitentes darent, egeritis actus, nec fiduciis evanescatis inanibus gloriantes, quia *Patrem habemus Abraham*, proptereaque minime puniendos a Deo fore confidentes: *dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Nolite ergo nisi in bonorum vestrorum operum fructu confidere: *jam enim securis ad radicem arboris posita est, ut omnis arbor non faciens fructum bonum excidatur, & in ignem inferni mittatur* Luc. 3. v. 9. charissimi, ne, quæso, obsurdescant aures nostræ ad hujusce tubæ clangorem; nos etenim alloquitur & pulsat, nos ipsi arbores illæ steri-

riles, & infrugiferæ mox excidendæ, & in ignem æternum mittendæ quia & Christi sanguine rigati, & sacramentorum efficacia, virtuteque saginati, tot sanctorum exemplis, documentisque adjuti, tot Ecclesiæ precationibus, divinisque inspirationibus excitati, steriles adhuc, & inutiles in hoc mundo agimus. Jam ergo, qui nec cœlestis futuræque beatitudinis fructus capi non potuimus, & movere suavitate, bonorum ut hic operum fructus ederemus, imminentis saltem vitæ interitus, & vicinæ terrore mortis, ac judicii timore securis ad radicem positæ, quæ sterilem, & inutilem, malamque succidat, & ex hoc mundo tollat arborem, atque in ignem mittat, aliquando feramur, & excitemur. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS VIGESIMATERTIA.

In Visitatione B. Virginis Mariæ,

HÆc nobis sacra dies est, qua Virgo sanctissima mox ut verbo fœta Deum concepit in utero cognatam invisit Elisabetham impregnatam, ac sexto jam mense Joannis Baptistæ gravidam. Qua certe visitatione suo nos humilitatem exemplo luculenter docet, & exprimit, quæ novo repentinoque 'nil exaltata promisso, graduque Dei Genitricis cognatam suam Elisabetham sibi jam superni gratia, dignitateque doni longe inferiorem, & ancillam invisere, præstareque illi officium, & assequi non est dedignata. Haud immemor hujus, quod Ecclesiastici 3. v.20. dicitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*, atque id vel ad confusionem filiorum hujus seculi, qui vel ubi leviori dignitate, graduque creverint, evanescunt in suis cogitationibus, suique penitus, & aliorum obliti, nec qui jam ante fuerint ipsi, nec qui sibi vel æquales olim, & superiores etiam, amplius meminerunt, vilioresque sibi despiciunt, dedignanturque consanguineos, & ad sublimia tantum anhelant. Qui certe fallacis hujus seculi gloriæ fructus est genuinus, & honoris. Quos enim Deus animæ confert honores, & gradus non extollunt non inflant, non tumefaciunt, sed accendunt lucem, augent, & afferunt novam, qua seipsos intimius agnoscant, eaque sui cognitione verissima seipsos, & Deo primum, tum & omnibus etiam vilissimis creaturis amore Creatoris inferiores habeant, & eis inserviant. Ea propter humillima Virgo Maria mox ab Angelo salutata, Deique Verbo fœta relicta discessit domo officium humilitatis exhibitura, nec ipsa dumtaxat una, sed & quem utero gestabat, incarnatus ipse Deus illud idem humilitatis officium implevit, ejusque nobis etiam, antequam nasceretur, specimen exhibuit. Ad Elisabetham quidem Maria festinabat de divinis eam allocutura, docturaque mysteriis, & suum ad præcursorem in Elisabethæ matris utero latitantem, ac præstolantem advolabat, qui claudebatur Mariæ visceribus Dei filius, quem inviseret, hilararet, sanctificaret, & omni gratiarum, benedictionumque genere cumularet. Erat enim Joannes originalis adhuc contagii labe infuscus, saliitque fons ipse puritatis, æternæque lucis splendor Virginalis uteri tubo, nubeque delatus, & latentis in utero Joannis pueri maculas abstersit, sordes eluit, ejusque animam cœlesti luce perfudit. Hæc si tibi o miser, infelixque homo peccator magna videatur altissimi miseratio, singularisque prærogativa Joannis ad eum accessisse Redemptorem, & affulsisse, ne te, quæso, longius ab ea forte dissimilem, & a suscipienda Dei misericordia quam remotissimum arbitraris, ad Joannem quidem accessit Deus, & mundavit tertio antequam nasceretur ille mense; te vero mox ut egressus ab utero, vixque dies, postquam tu natus

tus es octo primum invisit, & absterſit. Cum enim infans adhuc ſacro fuiſti baptiſmate tinctus viſitationis ille ſuæ te dulcedine prævenit, quaſque vitiatæ propaginis origine contraxeras ſordes etiam cum nondum tibi perſpectæ eſſent proprio lavit ille, delevitque ſanguine ſuo. Quin ad erubeſcentiam, objurgationemque tuam, ingratitudiniſque tuæ torpedinem extollendam addo, te vel hocce divinæ viſitationis privilegio fuiſſe Joanne ipſo potiorem; hunc enim illeſemel inviſit, præſentiæque ſuæ luce perfudit, quam ſemel acceptam ille nunquam abjecit, nunquam amiſit. Te vere toties immenſæ lucis hujus ſuæ dona deſpicientem, totque criminibus extinguentem etiamnum nec ille deſerit, ſed iterum, atque iterum ad te revertitur, te quærit, & interius aſſidue pulſat, & urget inſpirationibus, atque ut ad lucem te tandem excuſſis tenebris revertaris, invitat & provocat. Heu te miſerum! Qui ſacro mundatus jam fonte Baptiſmatis lethali te ipſum peccato fœdaſti, & interfeciſti, niſi te ſic in peccati ſorde jacentem, & umbra mortis Deus ipſe prior inviſiſſet, & inveniſſet; æternum enim haud dubiè perieras, qui ſecus ad illum, & lucem ipſe tu prior nunquam rediiſſe potueras. Ipſe quippe ille eſt immenſæ ſol bonitatis, & juſtitiæ, qui lucis ſuæ radiis ſedentes in tenebris ſcelerum, & umbrâ mortis homines illuſtrat, atque percellit; cum ad lucem illi nuſquam alias accedere poſſent. Ipſe ſuos etiam hoſtes, & perduelles ultro prior adit, & quærit, ac vel invitis, & renitentibus ipſis veniam offert, & precibus urget. Ibat olim aliquando Paulus ſpirans minarum, & cædis, Deoque bellum interminatus internecinum, cum ſubito circumfulſit eum lux de cœlo. Erat in telonii ſui tenebris immerſus & Matthæus, viditque illum cum tranſiret Dominus, & intuitus eum illuſtravit. Nec ſuum negaſſe magiſtrum unquam doluiſſet, amareque ploraſſet Petrus, niſi converſus ad eum prius aſpexiſſet Dominus. Quare merito dicebat olim Regius Pſaltes Pſal. 42. v. 3. *Domine emitte lucem tuam, & veritatem tuam*: & Pſal. 17. v. 29. Deus meus illumina tenebras meas. Hoc unum ſcilicet a te, peccator, obtinere vult Deus lucis ut ſuæ radiis illuſtrari te permittas, coruſcantem excipias, irradianti cordis tui feneſtras, & fores aperias, & pulſanti feras illius omnes, obices, & repagula cuncta reſeres, libereque ingredi ſuſtineas, atque illud ipſum eſt, quod apud Eſaiam c. 6. v. 1. voluit a Jeruſalem Dominus: *Surge*, inquit, *illuminare Jeruſalem*, *quia venit lumen tuum &c.* Exurge Jeruſalem, ut illumineris, excute ſocordiam illam, tepiditatemque tuam omnem, & contumaciam, nec lumen oblatum tibi reſpuas, nec illuſtrari fugias, & adverſeris. O ſtupendam certè noſtri cæcitatem, & ingratitudinem! Ut cum affulget nobis ſol ille verus, cum intus colluſtrat, & ad ſe nos movet, vocatque Deus, ut ad illum nos convertamus non modo fores animæ noſtræ, feneſtraſque non pandimus omnes, ſed obſeramus, validiſſimiſque peſſulis, & cuneis adverſum obſiſtimus, & inſtamus rationibus *declinantes in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Pſal. 140. v. 4., ut in peccati tenebris altum ſupini ſtertamus, in ſerum, & aliud tempus emendandæ vitæ melioris opus abiiciamus, & qui ſomno ſopiti, cum evigilantur adverſus excitantem obmurmurant, & queruntur. Extinguas, inquiunt, iſtud lumen, claude feneſtras, & conopœum, ut ad ſatietatem dormiant, & ſomnum protrahant: ſic & peccatores obſurdeſcunt obdurati, deliciantur in tenebris, horrentque cœli lumen, & ægrè ferunt; nec alia, quam quæ fuliginoſo pravorum ab igne lucet affectuum ducuntur luce, ac omnino propterea digni, qui tenebris adeo deliciati hic, ut ad æternas demum ex his tenebras addicantur, & transferantur, & ab affectuum obſcæno, quo flagrarunt hic incendio, perennem demum, & de-

tru-

trudantur in ignem, & ardeant. Hæc porro, charissimi, vobis dico, ut quasi semper ad excubias vigilemus, & præsto simus, cum venerit ad nos Dominus, venientemque grati suscipiamus, ac utilis aliquando sit ejus visitatio nobis, ac Joanni Baptistæ fuit, qui Christo ad illum veniente fuit illluminatus, & sanctificatus in utero matris; & ipsa quæ processerat in diebus suis mater ejus Elisabeth Mariæ salutatione donis aucta fuit & cumulata spiritualibus.

Jam de Evangelio dicamus, sic ergo Lucas c.2. v. 38. Ut discessit a Maria, jam in utero sicut in anima gratia, & Deo plena Angelus, exurgens illa abiit in montana Judeæ cum festinatione, ut salutaret Elisabeth. *Quo enim (* inquit Ambrosius lib.2. in Luc. *) jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione Virgo contenderet*. Certissimum illud est inhabitantis intus in anima Sancti Spiritus argumentum perfectionis gradum quotidie anhelare superiorem, & sublimiorem, virtutisque culmen æmulari, vel incrementum. Nunquam illa dicit, sufficit hæc egisse, quia potius egisse nihil adhuc queritur, & ab integro jam sibi primum ordiendum arbitratur. In via Dei non progredi (ait Bernardus) regredi est: quantumcumque perfectus quis esse videatur, nisi majorem ambiat ulterius ille perfectionem, nondum perfectus est, nec in via virtutis vere proficere dicendus, cum vel hoc ipsum deficere sit, non ulterius curare progredi, & proficere. Nemo certe mortalium ad virtutis culmen, & perfectionis ascendit, ut Virgo sanctissima, sed cum novos in eo quotidie progressus faceret, exurgens ideo illa cum festinatione perrexit in montana, ubi cngnata degebat Elisabeth, utque *audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*, & ab illo edocta, quæ ad eam advenisset hospes, quem gestaret illa utero, *exclamavit voce magna, & dixit. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me. Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti nuntianti Gabrieli, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino*. Animadvertens autem & nota, patefactaque fuisse cognatæ suæ Elisabethæ Maria, quorum una illa conscia fuerat arcana cœlestia, nec ultra dissimulare jam, & celare eam hæc posse, suavissimum bocce gratiarum illa cecinit canticum pro tantis, quæ Deus operatus in ea fuerat, stupendisque miraculis dicens: *magnificat anima mea Dominum &c.* ac si diceret: Tu cognata charissima benedictam me dicis inter mulieres, & extollis, ego magnifico Dominum, & laudo, a quo bona cuncta procedunt, benedictiones omnes, quæ namque ille magna fecit in utero, & anima mea, quam magnus ille sit, & potens manifeste comprobant. Nam etsi Dei gloriam enarrent omnes creaturæ, bonitatis ejus, & potestatis, infinitæque illius misericordiæ singulare est anima justi monimentum, & argumentum. Quapropter ait Propheta Psal.64. v. 6. *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Ut autem anima sancta Deum exaltari, magnificarique dicimus, quæ ad ejus imaginem, & similitudinem per gratiam, & alia spiritualia dona reformata est; sic ex adverso Deus ipse peccatoris anima, quantum in ipsa est, deprimitur, & conculcatur, cujus in illa deturpatur imago, & obscuratur. Infelix o homo peccator! vel hoc unum ad saniorem te revocare mentem, roboreque suffundere deberet. Quid enim hæc audeas ore impio verba proferre Virginis, & usurpare: *Magnificat anima mea Dominum*, qui verius dixeris, despicit, nihilique facit anima mea Dominum, longeque potiori jure, quæ subjunxit illa, tibi non licebit usurpare: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Verius enim de te dicatur illud, Prophetæ Regii: *lætantur cum*

cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Utique si verum fatearis, & tu haud dubie dicas: exultat cor meum, & spiritus meus non in Deo salutari meo, sed in rebus obscænis, & inanibus. Redeas ergo tu miser in integrum, & resipisce, vide quam nil sentias, & movearis; & a Deo saltem id enixe postula, & impetra, ut sicut etiam tunc insensibilis prope Joannes in utero matris adhuc positus adveniente Domino non modo sensit, sed & *exultavit in gaudio infans in utero ejus*, sic tu salutis tuæ deinceps & sentias res, & sapias, exultesque in illis in gaudio; sic & advenienti, visitantique Domino cordis tui fores, & fenestras ejus inspirationibus aperias, & patefacias omnes, ut & ipse, cum migraveris ab hujus vitæ miseria perennis tibi vitæ reserat ostium, & pandat.

COLLATIO SEU PARÆNESIS VIGESIMAQUARTA,

In Festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Solemnem hodie celebramus, amantissimi, Mariæ Virginis, & Reginæ cœli triumphum, quo erepta illa miseriis, & perversitatibus hujus exilii a tam indigno tanti, tamque pretiosi possessioni thesauri sæculo translata est, & exaltata super choros Angelorum ad cœlestia regna vocata est, ad coronas, & præmia tantis ejus debita, parataque meritis, atque virtutibus, ubi quo tantam decebat, & sublimem tanti filii matrem ab unigenito suo, Deique filio susciperetur honore, & gloria, cujus & interesset imprimis illud a se mortalibus impositum honorandi parentes implere præceptum. At licet hodie mortem illa naturalem æque ac unigenitus ejus, & filius, obierit, sanctissimaque illius anima carnis hujus exsoluta vinculis & avulsa, cœlesti mox illa fuerit gloria, lumine, & felicitate decorata; corpore nihilominus, & anima paulò post a filio suo suscitata fuit a mortuis, atque in cœlum, & corpore, & anima super choros Angelorum exaltata, & glorificata, quam supra cœlos ascendere intuita spirituali fidei lumine sancta mater Ecclesia suavissimis hisce prosequitur hymnis, & canticis: *Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum*, cœlestibus utique donis, gratiarumque fluentis irriguam, & gravem, *cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus*, virtutumque omnium operibus ejus exterioribus, *& circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium*, nempe cujuscumque sanctorum generis innumera, & promiscua copia. *Ista est speciosa inter filias Jerusalem* cœlestis ejus *plena charitate & dilectione deliciis affluens* spiritualibus, *innixa super dilectum progreditur, sicut Aurora consurgens, & Sol oriens usque in perfectum diem, pulchra ut luna, terribilis ut castrorum acies ordinata*, & tartareis ipsis tremenda spiritibus. Sic emittit illa odorem suum virtutis, & meritorum, *sicut virgula fumi, quæ ascendit ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii*. Hæc contemplationis sublimitate, & præcellentia, *quasi cedrus exaltata est in libano, & quasi cypressus in monte Sion;* virtutis inextincto, perpetuque virore, *quasi palma quæ exaltata est in cades*: amplitudine charitatis in peccatores, & miseros, *quasi plantatus est juxta aquas in plateis*: miserationis in omnes immensitate, & suavitate, *quasi oliva speciosa in campis*, & fructifera; denique spiritualis ejus elegantiæ species, *adeo pulcra est, & suavis, & decora, sicut* ipsa cœlestis illa *Jerusalem*, in qua nimirum tota se infudit plenitudo gratiarum, donorumque spiritualium; ceteri namque hominum sancti partes acceperunt; Omnium vitæ contemplativæ Patrum ardores, & collustrationes activæ deditorum egre-

egregia facinora, commiserantia alienis infirmitatibus, affectus, & pietas in eam unâ confluxerunt, & adunantur; atque vel eâ ratione nobis Ecclesia sacrum istud Evangelium hac die repræsentat, quo Lucas utriusque nobis exercitia sororum harum sanctissimarum Marthæ, & Mariæ varia proponit. Quarum illa tota in altissima mysteriorum Dei, Christique Domini mirabilium meditatione, contemplationeque versabat; Martha vero tota sublevandis egenis, necessitatibusque Christi, & sanctorum ejus discipulorum erat. Quam nobis historiam idcircò repræsentat Ecclesia, quo beatissimam hanc, quæ nobis eripitur hodie, cœlumque penetrat Dominam omnium in se complecti virtutum acervum & cumulum, Marthæque simul, & Mariæ, Sanctorumque Dei, & Sanctarum omnium meritis unam eam insigniri & prærogativis. Sic autem ad litteram habet hoc Evangelium Luc. c.10. v.21. *Intravit Jesus in quoddam castellum; & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domo suâ: Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, de suo suscipiendo, pascendoque hospite Domino Jesu, vel discipulis ejus nihil sollicita, sed id sororis in curam omne proiiciens *Marthæ, quæ satagebat circa frequens ministerium*, quæque iis opus erant magno, promptoque animo ministrabat. Cumque sororem suam illa videret ad pedes Domini stare otiosam, nec in partem accedere ministerii sociam, Dominum adiit, *stetitque, & ait; Domine non est tibi curæ, quod soror mea relinquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium*. Scito ergo tu quia omnium quibus occuparis, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ*. Acsi palam diceret, hoc quo sic occuparis pietatis in me, discipulosque meos, & affectu commota necessarium ut præpares cibum, & hospitium, quantumvis opus sit & bonum, & sanctum, quo tamen instat hic ad meos otiosa pedes, verbis attenta meis, & doctrinæ auscultans arcana meæ soror tua, longè præcellit, & præstat opus; plus enim illa sedens (ut ais) & tranquilla, quam tu etiam anxietatibus his, & sudoribus tuis, mihi confert, & præstat. Hoc quippe scito, necessarium id unum esse, caputque ceterorum, & scopum Deum contemplari, & diligere, adeoque meliorem illa partem elegit, quæ si otiosa sedens in mei contemplatione, dilectioneque vacat, exercet, nec hæc auferetur ab ea occupatio, quam elegit, ut quam elegisti tu, ipsam amittes, quando nullum erit in futuro seculo, quod exerceatur opus misericordiæ, vel exercitium, quia & nulla tunc erit cui subveniri debeat miseria: adeoque non auferetur, æternumque retinebitur, quod elegit soror tua contemplationis, & divinæ dilectionis officium, & exercitium, quod hac in mortali vita inchoatur, & post mortem ipsam ad perfectionem adducitur & consummationem.

Hæc porro historia, uti supra diximus, in hoc festo die recitatur, ut intelligamus eximie instructam in utroque vitæ genere fuisse Virginem Deiparam ut Marthæ, sic & Mariæ; atque sic utramque elegit illa, quia perfectius utramque simul, quam alteram exerceret. Bonam quippe Martha partem elegerat corporalibus Christi filii Dei necessitatibus occurrendo, & famulando; meliorem hac tamen ejus elegerat soror Maria Magdalena, quæ cum otio, & tranquillitate voluit ipsam Filii Dei divinitatem ejusque mysteria contemplari; at longe, quod elegit Maria mater Domini utraque sororum eximiis utriusque simul complexa occupationem. Hæc enim Martha ipsa, vel quavis crearurarum etiam alia filii sui Domini nostri necessitatibus inservivit, & institit, nec in ipsis ejus modo cunis, & infan-

ſantia dumtaxat, ſed per totum ejus vitæ tempus ad annum ætatis ejus præſertim uſque triceſimum, quo manifeſtavit ille mundo ſeipſum, idque longe Magdalenâ præſtantius illa præſtitit atque ſublimiùs, quæ chariſſimi filii ſui divinatis contemplationi, arcaniſque illius admirandis aſſidue vacabat, quæque, ut Lucas in c.2. *conſervabat omnia verba illius conferens in corde ſuo*, & in eis diu, noctuque meditabatur, ac licet activæ vitæ præclariſſimis occuparetur operibus, ſollicita nec turbabatur erga plurima a ſublimi oris illius apice contemplationis & puritate, velut Martha. Hæc ſcilicet omnia non Virginis modo Deiparæ præcellentiam exhibent & dignitatem; ſed & ſalutis noſtræ negotium optime conducunt. Hinc enim, ut intelligimus, omnino neceſſe nobis ad ſalutem harum amplexandam alterutram, ſequendamque vitam, aut utramque ſimul; activam ſcilicet, vel contemplativam; aut activam ſimul & contemplativam exercere vitam.

Activæ vitæ genus eſt operibus inſtare miſericordiæ ſeu corporalibus, ſeu etiam ſpiritualibus, pane famelicos, potu ſitientes reficiendo, nudos veſtiendo, infirmis miniſtrando, arguendo delinquentes, ignaros erudiendo, afflictos ſolando, atque id genus alia faciendo. Verum a ſemetipſo convenit unicuique in his incipere, misererique primum animæ ſuæ, quam alterius, vitam propriam emendare, & componere, ſeu ſpirituales animi curandæ ſunt ægritudines, ulcera ſananda, eradicandaque ſunt intus æſtuantia, & vorantia carcinomata; pravi ſunt affectus, animique motus frænandi, & coercendi. Inordinatæ quippe mentis eſt ſuper aliorum anxie compati malis, & infirmitatibus levioribus, ſuaſque etiam graviſſimas omnino negligere, quales certe, quibus laboramus ipſi, peccata, & vitia. Quocirca qui vere miſericordes animæ ſuæ primum occurrere ſatagunt infirmitatibus, tum & aliorum in utilitatem, & commodum ſeu corporale, ſeu ſpirituale charitatis ſuæ ſinum expandunt, atque idcirco dicuntur a Pſalmiſta, tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, quod ſcilicet non ſibi germinat, ſed aliorum uſibus, & commodis profert. Qui proinde Dei coadiutores merito dicuntur in hujus inferioris orbis conſervatione, ad quos ſcilicet egentes, & mœſti omnes confugiant, & accurrant, ceu ad certum & commune ſui remedium & aſilum, haud aliter ac ſolent aviculæ peroicibus alis in arborum ramos, ut quieſcant, inſilire, vel in montibus & deſertis habitantes homines ut ad vicinas, & opulentas ſe conferre ſolent annonæ ſibi cauſa comparandæ civitates.

Vitam vero contemplativam agere dicuntur ii, qui perfecta licet intus ardeant, aganturque in proximum animi charitate, nihilominus ab exteriori quocumque vacare ſolent opere & ſollicitudine, ſibique ipſis omnino attenti, atque collecti uni rerum cœleſtium, æternarumque contemplationi vacant, amoris cœleſtis deſideriis æſtuantes, corporis una dumtaxat mole terrena terræ adhærentes, animo vero, menteque, cogitatione, deſideriis, & affectibus aſſidue cœlum habitantes, & patriam anhelantes ægre præſentis vitæ miſeriam ſuſtinentes, & exilium, corporiſque ſui ſolutionem avide ſitientes, cupientes diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & ut converſatio jam ſua ſit in cœlis cum his, qui nedum amplius Deum offendunt, ſed feliciter nec offendere poſſunt. Hi porro Filii Dei omnium perfectiſſimi inchoata fruuntur hic certe beatitudine ſua, divinorum aſſidue contemplationi, & amori dediti, utque Deum intime cognoſcant, & ament unice intenti; hancque ſibi partem, & operam nacti, quæ non auferatur ab eis, uti Mariæ prædictum olim a Domino. Heu miſeranda mundi hujus egeſtas! in quo divites hujuſmodi, cœleſtium amatores adeo rari, totque reperiuntur otioſi, nec activæ ſcili-

cet, nec contemplativæ vitæ dediti, quibus omnino friget extinctusque charitatis in Deum, aut proximum ignis, & ardor, quibus nulla Deo potiundi, aut proximo serviendi sollicitudo, quos in canonica sua Thaddæus ideo vocat *arbores autumnales, & infructuosas, bis mortuas, eradicatas, & nubes sine aqua*; homines, inquam, qui frustra possederunt animas suas, neque erga Deum affecti, & devoti, neque proximo utiles, neque Marthæ, neque Mariæ facti, penes quos nec contemplationis irradiat splendor, nec oleum abundet, effundaturque misericordiæ.

Cum his ergo duabus, aut earum altera dumtaxat ad cœlum, quo Virgo mater Domini demum hodie conscendit, festinemus ingredi, & earum aliquid aggrediamur, per utramque pro virili proficere solliciti, vel salutis mysteria meditantes, & quam præstolamur gloriam speculantes, seu proximi necessitatibus accurrentes. Neque enim de hodierna solemnitate bene, convenienterque sentimus, nisi flagrantissima nos, quo hæc assumpta est Virgo, perveniendi desideria moveant, & urgeant. Demum & otiosa videtur hujus diei solemnitas, & inutilis ei, qui confessionis, & pœnitentiæ sacramentum hodie negligit, quod animæ maculas, atque rubiginem hac die maxime conveniat nobis eluere; cum inquinatum nihil eo, quo migravit illa recipiatur, & ingredi possit: gestiamusque omnes quotquot hic agimus eam sequi præeuntem, æternumque cum illa sortiri consortium.

COLLATIO SEU PARÆNESIS VIGESIMAQUINTA.

In Festo Nativitatis B. Mariæ Virginis.

Diem hodie celebramus, quo communi ceterorum usu nata Virgo sanctissima ex Annæ matris utero prodiit in mundum; solemnis utique splendidusque dies, quo qui in tenebris sedent, aurora primum illuxit, solem Justitiæ Christum Dominum nobis certo prænuncians, adeoque duplici nobis hæc est veneranda dies lætitia, tum quod ea primum oritur, illucescitque Stella matutina, tum quod & certa jam spes affulgeat mox advenientis, & ex ejus utero virginali veri solis orituri. Quapropter hodie filios suos Ecclesia provocat, hortaturque fideles in hymnis, & canticis dicens: *cernere divinum lumen gaudete fideles: Stella maris Maria hodie processit ad ortum solem justitiæ paritura supremum. Quæ est ista?* (inquit Salomon Rex) *quæ progreditur sicut aurora*; Mariæ Virginis ortum aptissima surgentis auroræ comparatione designans duplici scilicet hac ratione, & auroræ proprietate. Hæc etenim ex quo primum oritur, continuo perficitur, splendidiorique lumine, & calore intensiori crescit usque ad perfectam diem. Sic & Virgo sanctissima statim, ex quo orta est in mundum usque dum assumpta est ad æthereum thalamum, & exaltata super choros Angelorum majori semper, & spiritualis perfectionis luce, & clariori Dei cognitione refulsit, & amoris ardore divini flagravit; donec ad perfectum illa pervenit claritatis, ardorisque meridiem; quod ea certe die completum est assumptionis ejus, qua supra mortales omnes clarissima divinitatis visione, & fruitione potita est. Alterum autem quod auroræ proprium est opus noctis fugare caliginem, ultimumque tenebrarum esse terminum. Sic utique Virgo sanctissima præteritorum omnium ab Adami culpâ Protoparentis ad suam usque nativitatem seculorum attulit ingrediens mundum tenebris modum, & finem: merito namque tempus illud omne noctis nomine venit, quo necdum solis lumen, vel aurora primum affulsit, quo tam densis cæcutiebat errorum, vitio-

tiorumque tenebris orbis oniversus. Nec enim Ethnici tantum, aut Geotiles, sed ipse electus etiam Dei populus Judeorum nefandissimorum criminum nubibus, Idolatriæque tenebris offundebatur, quibus nec ipsa Virginis eximiæ, quæ lucem aspexit hodie, fuit immoois & libera soboles & generatio. Nobis ut fidem facit io hujusce festivitatis Evangelio Matthæus; quo dum ejus ille progenitores enumerat inter Patriarchas, Reges, & Populi Duces, ex quibus duxit illa originem, plures in eis etiam enumerat, gravissimosque peccatores, quorum vita nox vera fuit, tenebraque densissima; quamvis nec in eis sancti etiam desint, qui, ceu stelle in firmamento suæ tenebras ætatis illustrarunt. Fulserunt etenim inter errorum, vitiorumque feracissima tempora sua, ceu stellæ, sideraque lucidissima. Tres illi Patriarchæ Abrabam, Isaac, & Jacob, Regesque David, Ezechias, & Josias, qui tot inter, & tantos peccatores positi tenebras eorum excusserunt, & coruscarunt, ac proinde verum illud Scripturæ verbum, Apostoli etiam auctoritate roboratum *servos, filiosque Dei in medio nationis pravæ & perversæ, sicut luminaria in mundo lucere* (ad Philippen. 2.) Nec est in orbe Christiano locus, aut civitas, io qua stellarum hujusmodi aliquæ deficiant, quarum scilicet intuitu, meritis, & orationibus servatur orbis. Etsi plerumque carnalium hujus seculi filiorum oculis lux illa fugiat, quod suam illi prodere sanctitatem aliis non ament, sed intus ipsam continent cum Propbeta dicentes: *Secretum meum mihi*, nec tameo adeo clam agere possunt, ut in ipsis eorum verbis, & operibus lux ipsa latens erumpat animæ, mundanorum oculis quantumvis odiosa, & despecta. Væ tibi, Peccator, infelix! Quid hic agis, & prodes in mundo, cui tandem es illi utilitati? Nihil baud dubiè, nisi quod ut in aere nubes opaca, & densissima, qui sic vivis, ut claræ divinæ notitiæ, vitæque Evangelicæ luci tenebras offundas, & fuliginem. Infelix per te certe civitas illa, pagus, & locus, in quo habitas! cum in eo nihil aliud agas, & loquaris, nisi ut ceteris Christianæ lux vitæ, & doctrinæ non affulgeat, & rutilet, qui vitæ carnalis, & Diabolicæ turpissimum es exemplar, & incentivum, concivesque tuos, in quas demersus propellis, inducisque tenebras, inque tandem æternas ut una tecum immergantur. O Christiauorum hominum carnalium cæcitatem, & ingratitudinem, qui nec aurora surgente ipsa (quæ sanctissima Dei parens est, & Virgo Maria) nec ipso radiante sole (qui Christus Jesus Domious, & Salvator noster) tantis vitæ, doctrinæque mysteriorum ejus fulgoribus, illuminati renuunt, prioresque suas amant et sequuntur tenebras, non dumque eis aurora surrexit, affulsitque sol: quia scilicet ita vivunt, ac olim, antequam Virgo sanctissima, Chistusque illius onigenitus in mundum venissent, antiqui vixere peccatores et scelerati. Nunc ergo, vos fratres charissimi, oascentis hujusce Virginis amantes, atque devoti, vitæ carnalis abiicite tenebras, et in hacce solemnitate festiva in filios lucis æternæ et gratiæ serio regenerari satagite. Nata est Virgo sancta, quia et antequam illa nasceretur fuit illa sanctificata. Nos vero omnes nascimur peccatores, et in tenebris originalis pecccati, quod ab Adamo primo peccante contraximos: sed sol verus ipse Christus Jesus Dominus noster vocavit nos in admirabile lumen suum, et cognitionem. Cumque adhuc pueri essemus etiam, ut taotum ejus agnoscere possemus beneficium, illuxit nobis in salutari Baptismi lavacro nos purificans, emondaosque quas nascendo contraximus sordes & maculas, intellectum etiam fide sua oostrum illuminans, charitateque voluntatem inflammans, sicque uoiversas ille animæ nostræ potentias per lavacrum regenerationis virtutum omnium perfudit radiis, & spleodoribus, obscurissimi sci-

scilicet, & æternæ mortis filii descendimus in aquas Baptismatis, & immergimur; lucidique toti, & splendoribus coruscantes erigimur, & extrahimur regenerati in filios Dei, & hæredes Regni cœlestis.

Heu nostram ingratitudinem, & perversitatem, cum ad rationis usum pervenimus, & in virum crescimus, qui cum acceptas in infantia ipsa etiam insciis datas a Deo gratulari deberemus divitias, & fœnerari vitæ sanctimonia, & puritate, nedum non augemus, & fœneramur, sed dissipamus divino facti rebelles imperio, mandatisque illius inobedientes. In lethalis criminis volutati cœno nativæ dignitatis, & spiritualis originis degeneres, iterumque iræ divinæ filii, & hæredes inferni, longeque majoribus, & gravioribus, quam quando matris ex utero nati cruciatibus, atque tormentis obnoxii. Verum nec sic omni nos venia indignos ob tantam in eum ingratitudinem adhuc despicit, abiicitque divinæ pietatis commiseratio, quæ nobis etiam amissam recuperandi gratiam modum exhibet, atque remedium oportunum; sacro videlicet confessionis pharmaco, sanctissimique corporis, & sanguinis amuleto, & poculo, cujus vi, & efficacia, quam in Baptismatis fonte gratiam hauseramus, recuperamus, iterumque adoptamur in filios Dei, & hæredes regni ejus. Quarequicumque nostrum lethalis se senserit criminis conscium gratius nihil huic sacræ Virgini præstiterit, & acceptius hac in ejus celebri solemnitate nativitatis, quam ut ille cum ea Deo nasci festinet, & satagat, sancta scilicet confessione, & communione, sicque charitatem, & gratiam accipiat, & promereatur, ut ad æternæ gloriæ claritatem ipse perveniat. Amen.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS VIGESIMA SEXTA.

In Festo Sanctorum Omnium.

HÆc certe quam hodie recolimus Omnium Sanctorum festiva solemnitas meritò videtur a nobis, variisque titulis affectu singulari, devotioneque prosequenda. Hæc enim a nobis primo celebratur, ut quod in singulorum per anni decursum festivitate negligenter egimus, omisimusque reparemus, & compensemus. Quid enim magis alienum a ratione, quam quæ ad reparandas, compensandasque festivitatum aliarum negligentias, & tepiditates etiam hanc frigide, & indevote celebrare festivitatem? Sed & æquum omnino videtur eam a nobis simul adunatis omni devotione, & attentione celebrari diem, qua & omnes una simul adunantur, conveniuntque Sancti. Etenim si festum sanctissimæ Trinitatis, si Christi Domini, si Apostolorum, Martyrum, Confessorumve festivitates, & Virginum a nobis sunt cum affectu, devotioneque celebrandæ. Quanto magis hæc præsens, qua copulantur omnes, & coeunt supradictæ, festivitas est veneranda? Nec enim latere vos puto diem hanc, & solemnitatem ab Ecclesia sacram esse voluisse novæ Jerusalem, curiæque cœlestis Regi supremo, & incolis universis, adeoque lumine fidei ductam Ecclesiam, & ad cœlum usque spiritualiter elevatam, per singulosque cœlestis hujus patriæ status, & genera discurrentem, unumquemque singulatim Sanctorum adire gradum, & prosequi, convenientique reverentia venerari, laudes eorum singulatim enarrare, & unicuique Sanctorum juxta præeminentiæ suæ modum laudis hymnos recitare, uti matutinalis officii dispositione compertum habemus. Quod autem omnipotens ipse Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus rerum omnium una principium, & finis Sanctorum omnium conditor, & sanctificator, primus & ei debetur jure locus in hac celebritate,
pri-

primumque illi laudis exhibet hymnum, adorationisque reverentiam his verbis: *Summæ Trinitati, simplici Deo, una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, Patri, Prolique, Sanctoque Flamini. Qui totum subdit suis orbem legibus, Præstet nobis gratiam Deitas Beata Patris, ac nati, pariterque spiritus almi*; Sine qua nec sanctificari possumus, nec salvari. Hac æterno Deo facta salutationis adoratione, statim ad ipsam Dei matrem, Angelorumque Reginam illa se convertit, & eam cultu speciali post Deum adorat, cui proinde secundus jure debetur locus, & hunc ei recitat hymnum: *Felix namque, & sacra Virgo, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam solemnitatem*. Post hæc, & ipsos adit Angelos Ecclesia mater nostra, ac vocem attollens ait: *Te sanctum Dominum laudant in excelsis omnes Angeli dicentes. Te decet laus, & honor Domine; Cherubim quoque, & Seraphim Sanctus, Sanctus, proclamant, & omnis cœlorum ordo dicens, Sanctus Dominus Deus exercituum, pleni sunt cœli, & terra gloria tua*. Quarta verò statione Joannes Baptista Christi salutatur ab Ecclesia, cui & illa præclarum offert olim a Christo recitatum ejus elogium: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, qui viam Domino præparavit in eremo; fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Post Baptistam, & Apostolorum illa convenit adoratque Chorum, qnæ quondam illi mundum universum circumeuntes, illuminantes, & ad Christum convertentes operati sunt admiranda recitans, & dicens. *Qui sunt isti, qui ut nubes* sapientiæ cœlestis aquarum irriguæ per orbem *volant candidiores nive, nitidiores lacte*, splendidi flammis divino ardore succensis *rubicundiores ebore antiquo*. Sexto demùm Martyres alloquitur, qui fuso sanguine proprio fidei Catholicæ veritatem edocuerunt, & asseruerunt. Ideoque carmen illud agonis ipsorum epinicia affert & canit: *Isti sunt qui venerunt ex tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine agni, mundique reparatoris Dei*. Septimo postea loco beatissimum adit illa Confessorum cœtum, qui licet persecutorum non senserint gladium, tamen per vitæ meritorum martyrii non privantur præmio, qui contra sævissimos animæ suæ hostes ita viriliter, & sedulo decertarunt, carnem suam mortificantes, & continuo Deum assequendi, videndique desiderio æstuantes, quapropter & hymnum hunc illis hodie canit Ecclesia. *Hi sunt fideles, & seduli, prudentesque socii, semper vigiles expectantes Dominum suum, quando revertatur a nuptiis* æterni regni, qui morientes eos in sinu suo recipiat, quare fuerunt illi semper parati lucernas ardentes in manibus, vivæ scilicet, ardentisque fidei tenentes. Ultima tandem statione sacrarum Virginum universam illa convenit, salutatque societatem, quæ spreta liberorum propagine sponso, qui in cœlis est, perenni mente, actu, habitu, gestu, & affectu applicare se maluerunt; adeoque suavissimum istud eis offert, & canit Ecclesia carmen. *Istæ sunt Virgines sapientissimæ, quas Dominus vigilantes invenit, quæ acceptis lampadibus*, & accensis ardore sponsi sui cœlestis *acceperunt oleum secum, & exierunt obviam sponso suo*.

Hæc scilicet hujusce festivitatis officii summa est. Quocirca, charissimi, sursum erigamus oculos, ac mentes, nec humi repere cor nostrum patiamur, sed ascendamus in spiritu cœlestem illam civitatem sanctam, ac stationes illic obeamus Sanctorum omnium, Angelorumque choros adeuntes, flagrantibusque desideriis in nobismetipsis eorum ambiendi societatem excitantes cum Augustino toto exclamemus animo: *O cœlestem civitatem sanctam, beatissimamque, & securam patriam*

triam nostram, quam hinc exules in hac valle lachrymarum a longe prospicimus, & salutamus! Si quando videre te, & possidere nobis detur. Nos hic mare procellosum, insanumque navigamus innumeris tentationum periculis undique cincti, & obnoxii. Quodque magis cruciat, adhuc incerti fluctuamus, si quando superatis hisce seculi vorticibus optatissimum salutis æternæ portum demum appellere possimus, unaque nos interim hinc adte tandem aliquando perveniendi spe recreamur, & consolamur, adeoque cum Regio Propheta hunc suavissimum tibi canimus hymnum: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, ad factas mihi promissiones novas, certamque spem datam, quia *in domum Domini ibimus*, & Jerusalem illam cœlestem, & patriam, & beatam civitatem. Nos hinc etiam te flagrantissimis affectuum, cordisque desideriis habitamus, & incolimus. Una tu vera dicenda civitas es, quia in te una civium est unitas, & consensio perpetua; quia uno in Deo perfecte repleta, & subdita tota in eum, qui pax vera est, & charitas, es transformata, copinsissimus in te conscendat, recipiaturque Sanctorum exercitus ille, ut qui perpetuo requiescant in te a laboribus suis, & in laudes Domini sui resonent assidue. Hæc scilicet, de qua in epistola festivitatis hujus agit Joannes, ac meminit, turba illa magna, *quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ex omni tribu filiorum Israel* Sanctorum, & Beatorum, quos in sua visione deprehendit. Sed hic sedulo nobis investigandus, quo qui ibi morantur, ad tam cœlestem patriam ascenderunt, gradus, & iter. Hoc sancta nos docet, & exhibet Ecclesia mater en, quod lectum in missa vobis est Evangelio, in quo nos Matthæus docet, Christum Dominum, mox ut mundo se manifestavit, ac suos ille sibi delegit Apostolos in montem excelsum eos duxisse, scalamque, qua tum illi, tum & ceteri omnes vere Christiani valeant ad hunc cœlestem, æternæque felicitatis montem ascendere, ibi posuisse, & erexisse. Cujus quidem scalæ gradus sunt, ut & Angelorum ordines, & chori, novem, quibus & Sancti omnes in hac mortali vita conscenderunt, atque hi sunt. Nimirum 1. Voluntaria paupertas. 2. Mansuetudo. 3. Vita luctuosa. 4. Vitæ perfectioris, & sanctitatis ardentissima sitis, & fames. 5. Misericordia. 6. Puritas cordium. 7. Rixarum, & discordiæ fuga. 8. Persecutionem virtutis amore pati. 9. Pro fide Christi, ejusque nominis confessione contemni, vel injuriam pati. Porro gradus hos omnes, Beatitudinis nomine vocavit Christus; beatos dicens, qui per eos ascendunt, non quod subeuntes modo vere perducant ad beatitudinem, æternæque felicitatis culmen; sed quod, qui hos conscendunt gradus etiam in hoc seculo felices efficiat, atque beatos. Sunt enim illi, qui gradibus istis hic ascendunt, a peccatorum, vitiorumque captivitate liberi, carnalium passionum incursionibus, conscientiæque morsibus exempti, & in libertatem optatissimam filiorum Dei positi, ut si quæ in hac mortali vita sit, non alia plane sit, quam qui gradibus hisce conscendunt obtinent homines, felicitas, & temporalis beatitudo, atque in eo præsertim attendenda nobis est, & stupenda divina bonitas, quæ vel hujus etiam seculi felicitatem, futuræque perennis adeptionem in eis esse voluit rebus, ac posuit, quas quisquis obtinere possit, & habere si voluerit hoc est si nullus in hoc seculo beatitudinem assequeretur, nisi qui doctus egregie, qui venustus, & pulcher, qui fortis, aut potens, qui dives, & honore sublimis, & titulis: utique non quibuscumque liceret, & possent omnes hic esse beati, quia non possunt omnes hisce potiri. Jam autem, quas vobis enumeravi beatitudines, voluntariam scilicet paupertatem, mansuetudinem, cordis puritatem, virtutis amorem, & sanctitatis, patientiam, persecutionumque tolerantiam omnibus om-

nino, cujuscumque gradus, aut sexus proposuit Dominus Jesus, nec ullus eas non assequitur, nisi qui refugit, qui quod in se est, Divina juvante gratia consequatur, ultro facere renuit.

Est hic tamen, quod ad singulos hujus scalæ gradus vobis una verba dicam, & exponam breviter. Et paupertas illa quidem voluntaria nihil aliud esse vobis existimandum est, quem mammonæ contemptus, & diviriarum, adeout quantumcumque dives fueris divitiis non adhæreat cor tuum, sed omni sit earum anxietate, vel affectu liberum, atque solutum, quod ex eo certè nascitur, & pendet, ut sublimioribus, hoc est æternis, spiritualibusque divitiis, atque cœlestibus afficiatur cor nostrum. Quapropter a Domino dictum: *Beati Pauperes spiritu*, scilicet terrenarum odio divitiarum, & contemptu, spiritualiumque desiderio, & amore cœlestium incensa voluntate.

Hoc in priori beatitudinis gradu paulo diligentius attendendum nobis est, quantum ab humana differat, ac longe distet Dei sapientia: pauperes quippe & egeni miseri vocantur, & infelices ab hujus seculi filiis, & mundi cultoribus; cum ipsa Dei sapientia primum obtinere locum inter beatos, atque felices dicat amatores paupertatis, & egenos, regnique cœlestis, & gloriæ thesauris cumulandos iri promittat dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*.

Alter autem beatitudinis gradus est mansuetudo Christo dicente: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Mites eos hic intelligit, qui nec ira, nec odio, nec alia quavis inordinata commotione animi turbantur, sed sibi compotes sunt semper, & sui Domini. Quamvis enim eos aliquando vexari premi, malèque tractari contingat, & contumeliis affici, nihil inde moventur, & conturbantur, nec a solita animi sui sede, tranquillitateque deiiciuntur, ut quam in eos, a quibus ipsi vexantur, & malè habentur, olim habuerant animi propensionem, & affectum minuunt, aut extinguunt. Quodque sic ipsi, dum viverent, vere sui fuerint & omnino domini, nullisque carnis mancipari motibus, & subditi; dominos eos fore pollicetur Dominus, & possessuros firmissimam æternæ felicitatis, & hæreditatis terram & civitatem.

Tertius vero beatitudinis gradus est eorum, qui lugent, de quibus ita loquitur Christus: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Beati scilicet qui de peccatis suis assidue compunguntur, affliguntur, & amare lugent, ac alienis. Felices, inquam, & beati, qui ad tanta hæc quæ passim occurrunt, suisque contuentur oculis mala & peccata dolent, nec obdurantur ad tam frequentes, & assiduos errores suos & alienos, ad tot tentationum pericula, ad hujusce, in quo longè scilicet a patria versamur, exilii considerationem, etiam ad eam aliquando pervenire semper incerti. Quia igitur de his affliguntur, & sanctè tristantur merito consolationes æternæ promittuntur.

Quartus beatitudinis gradus est ardentissima bonitatis, & justitiæ fames, et sitis. Dicit Dominus: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam*, videlicet qui justi, pefectique fieri conantur, et curant, nec quiescunt aliquando, nec ad optatam ejus unquam putant se pervenisse possessionem; quin quanto majori sanctitate fulgent, eò suadent sibi humilitate minus in via virtutis, perfectionisque profecisse putant. Cum autem illis nunquam hac in mortali vita deficiat ardentissima fortissimaque virtutis fames, et sitis; merito pollicetur Deus in altera æterna eos vita fore saturandos, et satiandos.

Quintus gradus est misericordium, qui non sibi tantum boni sunt, sed quorum

rum etiam in proximos quosque misericordiæ plena sunt viscera: spiritualibus eorum intimo compatiuntur affectu, temporalibusque necessitatibus, & pro virili succurrunt. Quare promittitur illis a Domino, perpetuam eos consequturos esse misericordiam his verbis: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*.

Gradus alter inde seqnitur sextus, de cordis munditie, ad quam hi dumtaxat pervenient, qui, cum divina favente gratia lingua mundi fuerint, & opere toto nisu conantur affectuum, studiorumque puritate nitere, quantum in hac vita datur, nullisque carnalibus inquinari consentiuntur affectibus; Ideoque promittitur ipsos puritatis ipsius fontem, & originem, Deum scilicet, intuituros. Cum autem altissima fruantur interiori pace, qui mundo sunt corde, pacemque cum omnibus habere conentur, quantum in illis est, hominibus sive amicis, sive inimicis; pacem apud omnes etiam inducere, fovereque, lites extinguere, dissidia componere, mutuoque aversos reconciliare totis animis, & zelo provocant. Ideoque.

Gradus optime sequitur hic septimus de pacificis, de quibus ait Dominus: Beati pacifici, pacisque conciliatores, quoniam filii Dei vocabuntur, qui pacis utique Deus est, & amoris.

Gradus demum ultimus scalæ hujusce spiritualis & unicæ, eorum est qui persecutionem pro Deo patiuntur, qui proinde convenienter ultimo loco sequuntur; nempe justis omnibus hisce gradibus ad Deum ascendentibus insidiæ nunquam desunt, plurimosque obviam habent in itinere persecutores, & adversarios, quos patienter sustinere necesse est; atque ideo gradus hic ultimus quarumcumque persecutionum, seu visitationum nobis undique ingruentium tolerantiam præstat & patientiam, sive pro fide, Christique Domini nostri confessione nobis inferatur, sive eujusvis alterius exercitatione virtutis, & perseverantia.

Atque hæc illa qua cœlum ascenderunt, quorum hodie celebramus solemnia cœlites, scala mirabilis, & sanctissima, quique dimenso cursu ad seculi finem ad regna cœlorum aliquando perventuri sunt. Hac, qui non ascendit, diabolica, pestilentique vitiorum, & peccatorum scala descendere, & in ignem æternum præcipitem ruere necesse est, a quo misericordia sua nos liberabit ineffabilis Dominus.

COLLATIO, SEU PARÆNESIS VIGESIMA SEPTIMA.

In Festo Conceptionis B. Virginis Mariæ.

NOn minori nobis alacritate celebranda dies est hodierna, quæ Christianæ Religionis exordium est, omnium scilicet, quæ mundo huic possent annunciari bonorum nunciorum optimum istud est, & primum, quodque genus humanum ardentius optaret, & expectaret. Unum illud est, ut diceretur ei: Scito jam, certusque sis hanc, de qua pro salute vestra decrevit olim Altissimus humanam assumere carnem, & nasci hominem Deus, jam eo gravidam, & concepisse Virginem beatissimam; Quare omnium hæc prima est, quam hodie sancta colit Mater Ecclesia festivitatem, quam aliæ subsequuntur omnes sive Domini sint, sive Virginis ejusdem, vel aliorum etiam Sanctorum festivitates; Deoque omnino convenit immensas hac die gratias agere, qua primum illuminari cœpit & re-

& reparari mundus. Hodie scilicet arduo huic salutis nostræ ædificio positum est fundamentum, primusque firmatus est lapis, quando primum concepta illa est, quam in mundi redemptionem, & salutem assumpturus est Dei filius, caro purissima, & virginalis. Mirum namque est humanæ creaturæ conceptionis diem in Ecclesia celebrari festivam, quam lugubrem, & maledictam arbitrati sunt, dixeruntque Sanctorum plurimi. Quapropter Job primum, qui maledixit diei nativitatis suæ, noctique, qua conceptus erat, dicit: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat &c. obtenebrentur stellæ caligine ejus: expectet lucem, & non videat nec ortum surgentis Auroræ; quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum? egressusque ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Eadem prope Jeremias Propheta sanctus habet; sic in persona sua, filiorumque Adam diro peccati originalis, in quo concipiuntur omnes, & oriuntur, infectorum contagio, & hæredum hi sancti loquuntur, tristissima nativitatis suæ, propaginisque jura considerantes, quibus scilicet nascuntur filii iræ divinæ, mortis æternæ cohæredes, & inferni; ni denuo per Christi lavacrum, & sanguinem divina miseratione renascantur filii Dei, hæredesque gloriæ cœlestis. Cum ergo dubii nascantur omnes, incertique salutis suæ prorsus ignari, an incolumes evasuri sint a seculi tentationibus, atque periculis, quoque tandem a morte recipiendi; merito certè lugendum, plangendumque videtur in omnium nativitate peccatorum. At longe ab his est Conceptus sacratissimæ Virginis, & ortus ratio. Festiva dies est hæc & lætitiæ non luctus: mox enim ut illa concepta est, mox & sanctificata fuit, & gratia plena, donisque omnibus ornata & cumulata spiritualibus, non unius sui gratia tantum, quæ Regina foret Angelorum, sed in mundi totius reparationem, ac universi generis humani redemptionem, & salutem concepta, & orta. Quapropter hæc omnino festivè celebranda dies est, & solemniter, qua templum Altissimo magnificum, Regique gloriæ dignissimum, in quo versetur, erectum est palatium. Quod autem hanc ille virginalem esset inhabitaturus ædem, illumque susceptura esset non mente tantum, sed & carne; eapropter etiam non modo in illius animam tota sese infudit gratiæ plenitudo, donaque spiritualia omnia cojerunt; verum & caro ipsa mundata est, & ab omni prava instigatione, rebellioneque libera facta est & immunis, quod certe nulli sanctorum unquam inter natos mulierum, qui scilicet ex utriusque sexus commixtione ortum habuerit, conlatum est admirabile privilegium. Quamvis enim per Baptismi lavacrum ab omni peccati macula mundari, non ideo carnis rebellione, quæ militat adversus spiritum, immunes fiunt, & liberi contradictione, quæ tamen accepta Baptismi gratia, ceterorumque Ecclesiæ sacramentorum efficacia quodammodo mitigatur, pravorumque affectuum, carnalisque appetitus æstus comprimitur, & coarctatur, sed non totaliter aufertur; Sic Domino volente, & ordinante, quo spiritus habeat quo cum pugnare possit, & victor coronari; atque hæc est proposita Christianis militibus pugna, qua & a Deo probantur, qua & qui strenui, ac generosi, quique vecordes, & ignavi manifesti fiunt, adeoque sancti hujus quidem dolebant omnes, querebanturque prælii continuatione, & duratione, nec tamen cessabant a prælio. Sic Apostolus ipse Paulus plangendo clamabat (Rom.7.) *infelix homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* in quo boni nihil inest. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati;* erumpunt

Job.3.

puntex eo, ceu scintillæ, me etiam invito repentini motus, & affectus mentis meæ consiliis, & voluntati contrarii. Verùm id sibi, strenuisque Christi militibus solatium addit dicens: damnationis ab iisce fœdis, pravisque carnis affectibus, atque rebellionibus nihil esse periculi, si non in eas consentiamus, imo potius quo bellum atrocius, eo clariorem fore victoriam. Quocirca, charissimi, præcipuum illud ad quod vocamur, negotium sub Christo Duce conscripti milites, illud est, ut perpetuum adversus nosmetipsos, & continuum exerceamus prælium, ad quod id primum requiritur, nosmetipsos ut probe noscamus, ac quibus ipsi vexamur, intelligamus; Neminique sibi solus esse videatur, & unus. Sed hostes intra se duos invicem infensissimos, ex quibus constat & unum amplecti, sciat: quorum alter spiritus est immortalis, decorus, Angelo similis, atque ad imaginem Dei, similitudinemque creatus, sublimia dumtaxat, æternaque, & cœlestia tantum aspirans. Alter autem eorum ipsa caro est animalis, truculenta, spurcissimis abjectissimisque facta desideriis, & affectibus, cui demum ac jumento pares sunt cogitationes, & appetitus. Cumque talis ea sit & prava, omnem in ea provocanda, fovendaque filii hujus seculi ponunt operam, illius ut acquiescant desideriis, & obsequantur voluntati, spreto Dei consilio, a quo data quidem eis caro, non ut amicam habeant, & fœderatam, aut in deliciis habeant, sed insequantur, ut hostem fortiter comprimant, conterant, & expugnent. Væ tibi! carnalis homo, qui dum carni blandiris hosti tuo pessimo vires addis ipse contra te. O te cœcum! qui intimis habens ab utero matris occultam visceribus pestilentissimi scintillam ignis, quam protinus, omnique conatu debeas extinguere, vel certe comprimere, hanc foves & alis, injectaque incendis ipse pice, & oleo: pravis dum ejus acquiescis cupiditatibus, carnalibusque ejus te permittis, inebriarisque delectationibus & vanitatibus, ex scintilla magnum sic excitans incendium, quo totus ardeas inordinatis affectuum, pravorumque desideriorum ignibus; nunc scilicet luxuriæ, mox gulæ; nunc iræ, aut invidiæ, & odii; nunc demum ardore concupiscentiæ; sicque perpetuis ureris, ardesque febris ardoribus, quibus & præcordia tua flagrant, & anima. Quodque longe pejus est quadam phthisi laboras, atque tabescis, ut febrire te cogitans, sic ægritudinis inveteratæ consuetudine induratus, ac si ab ipsa natura traxisses. Vanitatum itaque, delectationumque continuis intus ardens incendiis, nec diram ipse febrim tuam sentis, nec ardere te miseret, aut doles, nec auxilium a Deo tibi præstari rogas, nec a perenni bonitatis ejus, & misericordiæ fonte, vel minimo divinæ gratiæ suæ rore fœdos hos ignes refrigerari tuos, vel aliqua divini amoris incendi scintilla, quæ proprii in te accensum amoris extinguat incendium.

Hac ergo, charissimi, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis solemnitate lugeat unusquisque vestrum, in quo conceptus, natusque est, quodque abinde in vita multiplicavit malum, atque peccatum. Dicamus omnes: heu me miserum! qui præter iniquitates in quibus concepit me mater mea, & genuit hactenus, dum vixi, majoribus, & innumeris accumulari non destiti criminibus, atque consputcari, nec alia mihi cura fuit, quam effrænem carnis accendere rebellionem, hostis hujus infensissimi vires augere, contrariasque spiritus infringere, labefactareque fortitudinem, & potentiam. Quare tam licet æternæ mortis, infernique foribus proximus, ceu stultus & insipiens, securus, tranquillusque dormio? Quasi liber a ferali mortis jaculo, supremique judicii periculo, & inferni cruciatibus, sic risui, voluptatibus, & genio indulgeo: quæcumque operor, loquor, & cogito, materiam incendii, quo post hanc vitam exterminari, cremarique debeam suppedito, & sub-

& fubministro ; quæ etiam in aliis vitia reprehendo , hæc ipsa perpetrare non confundor , & erubesco , inferendis injuriis strenuus , tolerandis delicatissimus , judicando temerarius , loquendo superbus , in proximum molestus , ingratus erga beneficos , nec mitis in proximum , nec devotus erga Deum . Non tranquillitatem animi , cordisque pacem quæro ut inhabitet in me Deus : sed assiduis , importunisque clamoribus , cogitationumque , & distractionum tumultibus longius ipsum a me abjicio , & arceo . Heu me ! qui hucusque sic inutiliter , & infructuose vixi ; non etiamnum mihi consulo , vel ad me ipsum redeo ! concessum mihi abundanter a Deo pœnitentiæ locum , & tempus non attendo ! Quot enim nunc vivi sunt , in mortis articulo quibus si Deus hanc pœnitendi moram , & horam concederet , nihil omnino non agerent , ut peccatorum veniam obtinerent ? Quanti nunc in inferno omni spe salutis amissa cruciantur , qui longe minus in Deum peccarunt , quam hucusque ego peccavi ? Dicamus ergo nos non lingua tantum , & ore , sed corde : Quando totum frustra mihi fuit vitæ præteritæ tempus, & quod minimum hoc superest impendatur utiliter , lucrumque fiat , ne & æterna fraudemur , & excidamus . Hodie Maria Virgo sanctissima huic oritur mundo , hodie creata est beatissima illius anima , utque creata , mox & sanctificata fuit , quam sublimiter eam redemit Deus , cum a peccato præservavit , atque abinde in Deo vivere cœpit , donec in cœlum assumpta est , & coronata : quæ nunquam in vita sua a recti tramite , viaque deflexit; nusquam in vita peccavit . Nos vero qui in iniquitatibus concepti sumus , & in peccato nati , sæpissimeque postmodum retro declinavimus a recta cœli semita , & justitiæ , hac saltem die redeamus ad cor , rectas faciamus semitas nostras , & ambulemus in via veritatis , & mandatis divinis obsequamur , ut post hujus mortalis vitæ diem æternis gaudiis cum sanctissima Virgine Maria frui mereamur in cœlis . Amen .

COLLATIO , SEU PARÆNESIS VIGESIMAOCTAVA .

In Festo SS. Apostolorum; quæ scilicet in plurium Apostolorum, vel unius cujusvis eorum solemnitate recitari debet.

HOdiè , charissimi , Principum omnium Sanctorum mundique totius Rectorum , & Magistrorum solemina celebramus, nihilque videtur æquius , quam ut hos prædicemus , qui pro salute nostra prius ipsi toto prædicarunt orbe , & peragrarunt , parumque fecerimus nos tranquille vitam agentes , & pacifice , hos prædicare viros , qui tantis laboribus , atque periculis etiam cum vitæ dispendio nos docuerunt . Ajebat olim de ea scilicet quam ipse , ceterique prædicationis intenti ministerio ducebant in mundo Apostoli vita (ad Corinth. 1. c. 4. 11.) *usque in hanc horam & esurimus , & sitimus , & nudi sumus ... Et laboramus operantes manibus nostris* , de gente in gentem , de loco ad locum continuò peregrinamur dispersi , & verberibus affecti , *maledicimur , & benedicimus , persecutionem patimur , & sustinemus : blasphemamur, & obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc* . Hæc erant illis jura , hi fructus , & census ejus , quod collatum eis fuerat prædicandi verba Dei , docendique officium . Sed ut jam in mundo contemptibiles , affectique contumeliis , ita coram Domino sublimes , & excelsi , summoque loco habiti , de quibus Ecclesia canit : Isti sunt viri sancti , quos elegit Dominus in charitate non ficta , & dedit illis gloriam æternam , quorum doctrina fulget Ecclesia , ut

 sole

sole. Hi sunt viri triumphatores, & amici Dei: Isti sunt qui vixerunt in magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni. Hi sunt denique quibus ore suo dixit Dominus: Vos estis lux mundi: Vos estis civitas supra montem posita, quæ non potest abscondi: Vos estis lucerna ardens, quæ non sub imo est, sed super candelabrum elevata, *ut luceat omnibus, qui in domo sunt Dei. Itaque sic luceat lux vestra*, vitæ vestræ scilicet, & doctrinæ *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*. Hi sunt nubes illæ cœlestis imbre doctrinæ gravidæ, de quibus Esaias olim in spiritu videns exclamabat. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant*, volandoque, & discurrendo per orbem sapientiæ salutaris imbrem offundunt? Quæ & illi tanta animi constantia, & firmitate præstiterunt; ut nec vitæ suæ pepercerint, mortemque prius elegerint, quam a verbo Dei, doctrinaque cœlesti tradenda, disseminandaque recedere. Quocirca S. Petrus Apostolorum coryphæus, & princeps postquam orbis innumeras illustrasset, irrigassetque plagas, Romam postremo venit, ubi crucifixus est. Paulus vero postquam prædicatione sua mundum implevisset eadem in urbe Roma capite truncatus est. Andreas in Achaia cruci affixus vitam amisit. Jacobus Zebedæi cum Hispaniam Evangelii luce illustrasset Hierosolymam reversus Herodis jussu gladio vitam finivit; Joannesque frater ejus, quamvis in pace quieverit, & ex hac vita migraverit graves nihilominus, dum vixit, propter Evangelium Christi sustinuit ærumnas & tribulationes; Romæ ferventis in olei dolium imperante Domitiano missus, a quo divina virture illæsus evasit. Philippus in Phrygia lapidibus obrutus, & crucifixus est. Jacobus frater Domini præceps e templi fastigio Hierosolymitani dejectus, saxis impetitus, cervicibusque contusis occubuit. Bartholomæus apud Indos virgis exceptus cute detracta vivus excoriatus est. S. Matthæus in Æthiopia lancea transfixus est. S. Thomas postquam apud Indos candentis ferri laminis exustus, & in clibanum injectus lancea demum vitam amisit. Lapidatus in Judæa Matthias, & decollatus obiit. Simon, & Judas Thaddæus apud Persas in delubris Idolorum ab infidelibus martyrio coronati sunt. In Salamina Cypri Insula Barnabas igne consumptus est. Alexandriæ injecta in collum resti Marcus Evangelista suffocatus est apud Ægyptios. Sic omnes illi Dominici nuntii vitam habuerunt Apostoli. Hi vere doctores sunt vitæ, & magistri, vitam qui nobis ut nunciarent & afferrent, mortem objerunt: qui ut vivere nos erudirent, vivere ipsi desierunt. Hos, inquit Bernardus, vitæ magistros jure dicimus, qui nos vivere, vivendique rationem erudierunt. Non herbarum illi nos & plantarum vires, & proprietates, non lapidum, non avium, aut animalium docuerunt proprietates, non solis, aut planetarum influxus, & cursus; sed vera quæ vita sit, & quomodo vivere debeamus, tradiderunt. Magna sana res est scire quid sit vivere, nobis ut omnino prosit vita. Non vere vivit animalis homo carnalis; quam enim vivit ille, verus vitæ est interitus, vita. Sic hujus seculi loquuntur filii: bene vivit ille, corpus qui laute suum nutrit, & curat homo nullis laborum adversitatumque turbatus ærumnis; sed ut idem subdit sanctus mendaces sunt; sibique mentiuntur. Bene vivere aliud omnino non est, quam operari bonum in mundo hoc, & mala pati patienter, sicque ad mortem usque perseverare. Istud vere est, bonam agere vitam, quando & rectum, certumque ad vitam æternam iter istud est. Qui vero vivens per mortis æternæ semitam ambulat, jam vere mortuus ille putandus est, & dicendus, antequam etiam ad mortem advenerit. Quis enim, cum reus ad crucem, & patibulum rapitur hoc tam brevissimo quo e carcere ad crucem duci-

citur, vivere vere dixerit spatiolo, & momento, manifeste patet, inter istas vitæ horas minimè computari in orbe. Sic qui carnaliter vivit ad mortem, & inferni voraginem continuo properat, nec vivere vere dicendus est, nisi vita reorum, & amentius eorum vivere dixeris, qui nec quid vita sit, & revera nesciunt, qui viam iniquitatis ambulantes, immersique deliciis, & peccatis æque sapientes esse videntur ac qui damnatus ad mortem reus hilaris, & saltans ad patibulum properaret, & cantaret. Quocirca, dilectissimi, doctrinam Apostolorum attente, magnaque devotione suscipiamus, qui rem tanti momenti, quanti nobis est scire vivere nos erudiunt; eorumque pauca libet hic vobis afferre & præcipua, quæ scripto reliquerunt nobis, ut discamus vivere, verba: Et Apostolorum Princeps Petrus nos epistola sua priori canonica c. 1. v. 14. docet, *ut filii simus obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ nostræ desideriis*, si vitam diligimus. Itaque qui sancti Discipuli sumus, sanctificemur in omni conversatione nostra, *scientes quod non corruptibilibus auro, aut argento redempti* sumus a captivitate carnis, & vanitatis nostræ, *sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Non obliviscamur nos in hoc mundo non esse cives, sed advenas, & peregrinos: adeoque, dum hic in via sumus, ut citius ad cœlestem patriam pergamus abstineri nos oportet a seculi vanitatibus, & carnis operibus, quæ continuo militant adversus spiritum, occurrentibus obsistere & fortiter obstaculis, susceptumque iter ad incorruptibilis, quæ nos cœlo manet, usque terminum hæreditatis indefesse prosequi, semper memores illud hujusmodi tentationum, tribulationumque spinis, & tribulis esse consitum, quibus & fides nostra sicut aurum in fornace purgari debeat, & probari. Sed & alius vitæ magister Paulus inter eas, quas nobis tradidit, vivendi regulas ita loquitur (ad Rom. 6. v. 3 Fratres quicumque *baptizati sumus* in morte ipsius consepulti sumus) baptizari vero nihil aliud est, quam vita carnis, & veteris hominis erui, vitaque nova spiritus initiari). Cum enim aquæ immergimur, & baptizamur virtute sanguinis Christi divinitus in aquis operante peccata nostra delentur, eluuntur, & moriuntur universa. Cum autem ab illis extrahimur, & elevamur cum Christo Dei Filio resurgimus, & in novam transferimur creaturam: adeoque operari nos oportet, & vivere tamquam Filios Dei, cœlestesque jam factos homines; ut sicut olim exhibuimus membra nostra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitates, ita nunc exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificationem. Quapropter hoc vobis notum sit quoniam qui in carne ambulant, & secundum carnem vivere volunt nunquam placere Deo possunt: nam sapientia carnis injuria est Deo. Non ergo secundum carnem vivatis; *Si enim secundum carnem vixeritis semper moriemini, si autem spiritu facta carnis, & studia mortificaveritis, vivetis*. (ad Rom. 8. 13.) *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. (ad Rom. 12. v. 2.) & complaceatis illi exercentes vos in omnibus operibus bonis secundum gratiam ministerii a Domino unicuique concessam, vosmetipsos invicem diligentes sine fictione, misericordes, in hilaritate sollicitii, spiritu ferventes in iis, quæ opus Dei sunt, instanter in oratione perseverantes, patientes in tribulatione, coronam in gaudio sperantes, *benedicentes maledicentibus*, & persequentibus vos, *nulli malum pro malo reddentes*, nec vindictam quærentes, *sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitierit potum da illi*; gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus (ad Rom. 12.) Denique quia *nox jam præcessit, diesque appropinquavit*, & ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, *abjiciamus opera tenebrarum*, & sicut in die cla-

clara ambulemus, *induamur arma lucis*, & indumenta virtutis quæ clara est, & lucida; *non jam in commessationibus*, *& ebrietatibus*, *non in cubilibus*, *& impudicitiis*, *non in contentione*, *& æmulatione*, *sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum*, & conformamini illi, *& carnis curam ne feceritis in desideriis.* (ad Rom. 13. v. 12. & seqq.) Non vivatis vobis, sed Deo; justum est enim ut ei vitam a quo accepimus, impendamus; qui si vitam ipse pro nobis propriam non tradidisset, nunquam vitam habuissemus. Verba hæc omnia sunt hujus ipsius vitæ præconis, & tubicinis Apostoli Pauli.

Jam & addamus hic ad idem propositum alia ab Evangelistæ Joannis divini præconis oraculis excepta: Hic priori *epistola* 3. 4., *& seqq.*, quomodo scire possimus, & intelligere, utrum vere vivamus coram Domino, an mortui simus nos docuit dicens: *Qui non diligit manet in morte*. Vita enim animæ est amor Dei, & proximi, & qui non diligit vere mortuus est, *quoniam Deus charitas est*, *& qui manet in charitate in Deo manet*, *& Deus in eo*; *Qui non diligit non novit Dominum*. Ex operibus autem ipsis utrum amor ille in nobis vere sit, an non intelligimus. *Qui enim dicit se nosse Deum*, *& diligere*, *& mandata ejus non servat mendax est*. *Hæc est enim charitas Dei ut mandata ejus custodiamus*: amoris enim certa probatio est, amato complacere, non repugnare; *Omnis ergo qui fratrem suum odit* aut proximum, in tenebris est & ambulat, *& homicida est*. *Et si quis dixerit quoniam diligo Deum*, *& fratrem suum odit*, *in tenebris est usque adhuc*, *& in tenebris ambulat*, *& nescit quo eat*, *quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*: *Qui autem diligit fratrem suum in lumine manet*, *& scandalum in eo non est*. In hoc scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; Quoniam diligimus fratrem: non autem diligamus verbo, atque lingua, sed opere, & veritate. *Qui habuerit substantiam hujus mundi*, *& viderit fratrem suum necessitatem habere*, *& clauserit viscera sua ab eo*: *quomodo charitas Dei manet in eo*? *Filioli nolite diligere mundum*, *neque ea quæ in mundo sunt*, *quoniam omne*, *quod est in mundo*, *concupiscientia carnis est*, *& concupiscentia oculorum*, *& superbia vitæ*, *quæ non ex patre*, *sed ex mundo est*. (Joan. 2. 15., & seq.) *Et mundus transit*, *& concupiscentia ejus*. Et, ne quis se seducat putans, quia in fide firmiter stat Catholica, creditque omnia, quæ docet, & credit Ecclesia Catholica, perfecte & vita spiritus vivere, Jacobus Apostolus epistola sua canonica 2. 14. vehementer errare nos admonet dicens: *Quid proderit Fratres mei*, *si fidem se habere quis dicat*, *opera autem non habeat*? vis scire, o homo, quoniam fides sine operibus mortua est? sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est, nec quidquam prodest ad vitam æternam. Quocirca, dilectissimi Fratres mei studeamus effici, & profiteri nos Apostolorum discipulos, fideique vivos, & Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæque filios. Et sicut per fidem, atque doctrinam, & intellectum eorum sumus filii, sic & operibus, & moribus exhibere nos ipsorum filios totis viribus contendamus, sicque consortem eorum fieri in æterna felicitate promereri. Amen.

FINIS.

PE-

PETITIONES

QUAS

VENERABILIS SERVUS DEI

BARTHOLOMÆUS

A MARTYRIBUS

IN CONCILIO TRIDENTINO

FACERE INTENDEBAT.

PETITIONES

QUAS

VENERABILIS SERVUS DEI

BARTHOLOMÆUS

A MARTYRIBUS

IN CONCILIO TRIDENTINO

FACERE INTENDEBAT.

Hæc ſunt quæ in Concilio Tridentino zelanda, & poſtulanda viſa ſunt, quando ego Frater Bartholomæus Archiepiſcopus & Primas Bracharenſis fui in eo præſens Anno Domini MDLXI.

Circa Papam.

I. Eligatur probatiſſimus, & ſolùm ex cœtu Cardinalium.

II. Mittat Summus Pontifex viros probatiſſimos ad viſitandum Epiſcopos; vel committat hanc viſitationem alicui inſigni Prælato cujuſque Regni, qui acta viſitationis mittat ad Papam, & in eos animadvertat.

Circa Cardinales.

I. NOn eligantur niſi excellentes vita, & doctrina, non minores annis triginta: ſint diverſarum nationum: ſint uno numero: non eligantur invitis Principibus ſuarum nationum.

2. Alantur ex redditibus Eccleſiæ æquis portionibus: non habeant Eccleſias curatas: Non interſint, quoad fieri poterit, Conſiſtorio, niſi ſacris initiati ſint.

3. De numero Cardinalium eligantur aliqui maxime idonei, qui ſimul cum Papa Eccleſiam gubernent. Reformentur in apparatu, pompa, familia, cultu exteriori: quando exeunt domo, non incedant perſonati: non ſint venatores.

De Legatis, & Nunciis Apostolicis.

I. NOn mittantur quasi ad partes Indicas ad congregandum pecunias, muniti facultatibus ad dispensandum in gradibus prohibitis; in promovendis ad ordines; ad obtinendum beneficia incompatibilia, sive curata ante ætatem; ad relaxandum exilia, & alias pœnas ab ordinario impositas criminosis.

2. Causas etiam ab Ordinariis, & Metropolitanis consilio probatissimorum decisas ipsi leviter uno tantum Assessore faciliter judicant, dum per appellationem ad eos devolvuntur: promovent ad beneficia, & sacros ordines Clericos, quos non noverunt; Notarios Apostolicos ineptissimos creant.

3. Renovetur pœna inflicta Episcopis concubináriis ut in Conciliis Carthaginensi, Agathensi, & Lateranensi ultimo.

4. Æquum esset ut in Regno Portugalliæ remotissimo a Româ crearetur unus Legatus natus, sicut in Anglia, Pannonia, Gallia, in una Metropolitana Ecclesia a Rege nominanda, & præsertim propter expeditiones in Arabiam, & Indiam; qui Legatus haberet potestatem, ut per se, vel suos Vicarios absolveret a casibus reservatis Papæ, & dispensaret in gradibus.

De Episcopis.

1. IN electione Episcoporum non servantur jura & decreta Concilii Lateranensis, & Tridentini; quod non confirmetur electus nisi probatæ vitæ, & scientiæ, & major triginta annorum. Statuendum ergo videtur, quod nullus electus confirmaretur, nisi fuerit attestatio in partibus per tres Episcopos per patentes literas eorum sigillo munitas, quibus constaret Papæ, electum habere dictas conditiones: nec possit dispensari in scientia, nisi forte in consanguineis Regum, quod nullus possit habere duas Ecclesias Cathedrales.

2. Oporteret dare modum quo efficaciter punirentur Episcopi non residentes, ac etiam minores Pastores, & declarare quæ sint impedimenta legitima excusantia à residendo, quoniam innumerabilia quotidie confinguntur.

3. Quod jussu Papæ visitentur Episcopi saltem de triennio in triennium, præsertim quoniam jam non visitantur a Metropolitanis; neque ipsi Metropolitani visitantur. Explorent etiam quales sint officiales Episcoporum, & saltem dignitates Ecclesiarum Cathedralium;

4. Quod Episcopi Titulares non creentur nisi ex urgentissima causa, qui & habeant dotes ceterorum; quoniam contingere potest, ut aliqui quærant hos titulos solum ut fugiant vitam monasticam, & eximantur a jurisdictione suorum Prælatorum.

5. Compellantur Episcopi ad personaliter visitandum, ad confirmandum, ordinandum statutis temporibus, non nisi idoneos; ac per loca Prædicatores constituant, & qui doctrinam Christianam doceant pueros: neque alienent bona immobilia suarum Ecclesiarum sub aliqua pœna ipso facto. Et ad hoc renovetur Pauli II. Constitutio, quæ incipit: Ambitiosæ cupiditati illorum. Dat. Romæ apud S. Mariam Kal. Martii 1467. Pont. sui an. 4. Insuper suo sumptu, si possint, Præceptores instituant, qui Grammaticam doceant. Mandent executioni statutum in Conc. Lateran. nimirum, ut Præceptores, & Ludimagistri moribus etiam puerorum Christiane componendis invigilent & incumbant.

6. Gra-

6. Graviſſima decernatur adverſus Epiſcopos ad ordines, vel beneficia non prædìtos qualitatibus debitis promoventes pœna.

7. Non relaxent exilia, interveniente pecunia; nec applicent Cameræ ſuæ pœnas, & mulctas pecuniarias.

8. Sua quiſque in diœceſi, prout de jure poſſunt, ipſimet Epiſcopi Inquiſitionem exerceant.

9. Non concedant facultatem in prophanis domibus Sacramenta miniſtrandi.

10. Non promoveant ad quatuor Minores, niſi promovendos ad Sacros.

11. Concilia Provincialia, aut Synodalia celebrent annis tribus ſingulis.

12. Univerſitatibus approbatis dentur aliqui menſes, ut poſſint promoveri ad beneficia Doctores per oppoſitionem: & in reliquis menſibus provideant Ordinarii, data in aliquibus menſibus aliqua media annata Summo Pontifici pro ſuis neceſſitatibus.

13. Quod Epiſcopi non teneantur viſitare ſingulis annis limina Apoſtolorum.

14. Quod in foro conſcientiæ poſſint Epiſcopi a caſibus reſervatis Papæ, exceptis pœnis graviſſimis, abſolvere, & diſpenſare in irregularitatibus, & aliquibus gradibus prohibitis ad matrimonium, & quod poſſint abſolvere ſemel in vita, & in mortis articulo, ut Papæ placuerit, ſicut conceditur Religioſis.

15. Quod Epiſcopi ponant in ſuis capitulis officiales, ſcilicet, Cenſorem & ſpeculatorem.

16. Ordinent, quod cum appellatur ab Epiſcopo ad Metropolim, vel a Metropoli ad Papam, quando is ad quem appellatur, inhibet inferiores Judices; priuſquam inhibeat, examinet an is, qui appellavit, ex juſta cauſa appellaverit; diligenterque inſpiciat acta, quoniam hæc non ſervant, & præſertim cauſæ, in quibus non eſt actor, niſi ipſe promotor juſtitiæ, deſertæ pereunt cum ſummo detrimento juſtitiæ: & ideo ſtatuatur cum pœna, quod cum conſtiterit, Appellantes non juſte appellaſſe, cauſa iterum devolvatur ad Judicem, a quo ut juris eſt.

17. Revocentur omnes exemptiones Capitulorum a ſuis Ordinariis; & Ordinariorum à Metropolitanis.

18. Statuant, quod quicumque Clericus, ſive in Curia, ſive extra ſuam diœceſim promotus fuerit ad ordines, ſive beneficium curatum habuerit; priuſquam pervenerit ad ſuam diœceſim, examinetur ab Ordinario, quem ſi minus idoneum reperit, ſuſpendatur ab executione ordinum, & curatione beneficii, donec idoneus exiſtat, aſſignata congrua portione illi, qui interim beneficium curaverit.

19. Statuant, quod cum Prælaturæ vacaverint per ceſſionem, & deceſſum, declarent fructus pro rata diſtribuendos eſſe pro tempore quo quis Prælatus habuit ad terminandas lites.

20. Statuant, quod cum Abbates, vel Eccleſiarum Rectores perſonaliter non reſident, liberum ſit Epiſcopis ponere Capellanos, aſſignata portione congrua, quantum ſibi videbitur, quando per Abbates eliguntur ineptiores, & nolunt eligere quos Epiſcopi ajunt, & ſciunt idoneos ad hoc ſcientia & moribus: poſſintque Epiſcopi eos permutare, vel removere ad nutum; vel etiam poſſint compellere Abbatem.

21. Quod Epiſcopi poſſint viſitare quoſvis Monachos, & Moniales degentes extra Monaſteria.

22. Quod

22. Quod Monachi claustrales, & reformati examinentur ab Ordinariis, quando sunt promovendi ad ordines, vel ad prædicandum, vel ad audiendum confessiones.

23. Cum pœna statuant, quod Ordinarii non permittant imprimi librum absque prævio examine.

24. Ordinarii exigant ab omnibus morantibus in sua diœcesi, exceptis solis degentibus in Monasteriis, cujuscumque conditionis sint, an confiteantur, & communicent in paroechia.

25. Quod causæ in prima, & secunda instantia semper agantur coram Ordinario, quibus suspecti fervent fora juris communis. Vide Conc. Lateran.IV. cap.48.

26. Quod Ordinarii non multiplicent festa observanda in suis diœcesibus, videlicet præter ea quæ a jure sunt præscripta.

27. Quod limitentur causæ, ob quas excommunicationis sententiam fulminent.

28. Quod Ordinarii possint dispensare in irregularitatibus, saltem ut Prælati Religionis.

29. Quod ponant Lectores pro casibus conscientiæ, & quod non reservent multos casus: præcipue casus occulti non videntur reservandi.

30. Quod Episcopi in criminibus Ecclesiasticis, vel mixtis procedant per capturam, & usque ad pœnas corporales, excepta pœna sanguinis, quorum crimina alias non emendantur; nam procedere censuris parum prodest; & pœna pecuniaria est infamis, & contemnitur a divitibus.

31. Præcipiatur Episcopis moderari taxas suarum Cancellariarum.

32. Quod Episcopi possint ponere aliquas moderatas pensiones ad sustentandum officiales suos scilicet, Revisores, Promotores, Auditores.

33. Quod omnium beneficiorum secularium, & regularium separetur decima pars pro sustentatione Scholarium Clericorum in universitatibus, ut Ecclesia habeat viros doctos.

Quoad Cathedrales Ecclesias.

1. QUando ex diuturna vacantia Ecclesiarum gravia sequuntur detrimenta, limitetur terminus præsentantibus, infra quem teneantur sub pœna statuta præsentare.

2. Nullus promoveatur ad dignitatem, vel canonicatum, nisi grammaticus, moribus probatus, ætate matura ad ministrandum in Ecclesia, qui teneatur intra annum ad sacros ordines promoveri; aliter vacet beneficium.

3. Quod in singulis Cathedralibus Ecclesiis tertia pars præbendarum, idest, ubi triginta fuerint, decem conferantur Theologis, vel in Jure Canonico peritis, vel saltem duæ præbendæ, una pro Theologo, una pro Canonista.

4. Quod non fiant comœdiæ in Eccelesia, neque repræsentetur histrionice Passio Domini nostri Jesu Christi sub magnis pœnis.

5. Quod Pater, & Filius non obtineant beneficia sub eodem tecto.

6. Quod nullus habeat duas Dignitates, vel præbendas etiam in diversis Ecclesiis.

7. Quod non fiant deambulationes in templis, juxta illud; Christus non sinebat vasa deferri per templum.

De

De reformatione beneficiorum & Beneficiatorum.

1. QUod promovendus ad beneficium si est in Curia, prius examinetur in ætate, scientia, moribus: si absens, non nisi per instrumentum approbatus ab Ordinario suo, quod habeat ætatem, & debitam qualitatem, promoveatur; & idem faciant Ordinarii, & Nuncii Apostolici.

2. Quod nullum beneficium sit exemptum a visitatione Ordinarii.

3. Quod Rectores non residentes perdant certam partem fructuum, transacto certo termino suæ absentiæ: Etsi per tempus longius perseverent, perdant aliam majorem: postea vero si non corrigantur, suspendantur & priventur.

4. Quod dispensati ad duo beneficia retinenda resideant in utroque pro rata temporis: quando autem non resident ob causas legitimas, ponant Vicarium probatum, cui detur congrua portio, & domus, in qua habitet cum passalibus Ecclesiæ: & portio assignetur non in pecunia numerata, sed in fructibus.

5. Tollantur omnes exceptiones personales, alioquin nunquam ministrabitur justitia.

6. Exceptio quæ habetur in jure cap. de multa. De præben: c. unio. (Nempe ut viri Nobiles, & literati possint habere multa beneficia) limitetur ad duo dumtaxat beneficia in quibus, & pro ratione temporis resideant: & qui jam plura obtinent, hoc est, plusquam duo, cogantur dimittere omnia, exceptis duobus, in quibus pro rata temporis resideant, ut jam est provisum in Conc. Lateran. ultimo.

7. Statuatur quod cum Ordinarius visitando invenit Beneficiatum minus idoneum, possit mox substituere alium ad curam beneficii, assignata illi congrua portione.

8. Prohibeatur unio beneficiorum, nisi quando unum est parvum, & est prope aliud; & nunquam uniatur beneficium Cappellis Majoratuum, aut Hospitalibus, & aliis locis: neque uniatur Monasteriis, nisi adsit urgentissima causa, & cedat in bonum animarum Ecclesiæ uniendæ.

9. Quod nullum beneficium sit reservatum, nisi vacaverit in Curia.

10. Quod non dentur expectativæ.

11. Quod non dispensetur in residentia, nisi in casibus à jure permissis.

12. Circa illud, quod fit in Valentia sub eodem tecto unum simplex, & unum curatum: quod extinguatur simplex, & obligetur ad aliquod ministerium.

13. De congrua portione Capellanorum, quando Rector non residet; & quod parva beneficia non possint dari, neque obtineri nisi residentibus.

14. Non dispensetur in regula Clementis VII. quod filii Clericorum nunquam ullo tempore possint succedere Patribus in beneficiis, etiam per intermediam personam.

15. Canonicis Ecclesiarum Cathedralium nunquam ad sua beneficia curata provideatur.

Quoad Sacerdotes & Sacramenta.

1. NOn dispensetur, quod minor XXV. annis ad Sacerdotium promoveatur, vel nesciens Grammaticam; & constet Ordinario vitæ illius probitas per instrumentum, seu vitæ factam inquisitionem.

2. Sacerdotes aliquando compellendi ad celebrandum,& ad singulis mensibus confitendum.

3. Quod omnes Clerici radant barbas, & utantur vestibus talaribus.

4. Renoventur Concilia, & jura contra Concubinarios.

5. Quod Sacerdotes non serviant alienis in rebus minus decentibus.

6. Quod nullus Sacerdos celebrare possit, nisi portet litteras commendatitias, habitumque decentem, & testimonium ætatis.

7. Quod Confessores nihil accipiant a Pœnitentibus.

8. Quod non nisi in Ecclesia Sacramenta ministrentur excépta unctióne extrema, & casibus limitatis in Conc. Viennensi a Clemente V. & quod ministraturus Sacramentum, prius doceat effectum ejus, & semper concurrat pronunciatio formæ cum applicatione materiæ.

9. Quod non contrahatur cognatio spiritualis per Baptismum & Confirmationem nisi inter ministrantem, & recipientem, ob multa inconvenientia.

10. Adulti non baptizentur nisi cathechizati, nisi in casu necessitatis.

11. Sit liber in quo scribantur Baptizati, & contrahentes matrimonium cum nominibus testium.

12. Circa Confessorum ætatem,& peritiam aliquid statuendum: quod compellantur habere summas casuum conscientiæ.

13. Quod Confessarius sollicitans ad turpitudines filiam spiritualem, ipso facto maneat suspensus, & excommunicatus; & sic de revelante confessionem.

14. Quod Confessarii, & confectores testamentorum non possint aliquid applicare sibi, vel suæ Ecclesiæ, vel monasterio sub pœna.

15. Quando datur privilegium de eligendo Confessario idoneo, declaretur quod idoneus non est, nisi qui à suo Ordinario pro idoneo approbatus est.

16. Interdicatur quod publicis Concubinariis & Usurariis non detur communio, etsi confiteantur, nisi constiterit publice de emendatione.

17. Exhortandi Christiani ad confessionem frequentem: & caput *omnis utriusque sexus* declaretur, ut possit dari communio per totam quadragesimam.

18. Quod omnes Peregrini, Viatores, Pauperes, commendatores reddant rationem Ordinario si confiteantur, & communicent.

19. Pœnitentiarii urbis, & Confessarii Compostellani examinentur.

20. Quoniam aliquando nolentes confiteri confingunt apographa falsa Confessariorum testantium se audisse eos, oporteret Ordinarium, vel officialem suum habere apud se nomina & signa manualia Confessariorum approbatorum, ut falsitas pateret.

21. Quoniam Curati aliquando timent viva voce declarare qui sunt excommunicati, & quinam non sunt confessi, aut non communicaverunt in parochia, statuant ut in valvis Ecclesiarum fixentur eorum nomina, & hoc sufficiat ut vitentur.

22. Sæpe admittuntur ad Sacramentum Eucharistiæ Seculares, qui ex negligen-

gentia nesciunt rudimenta doctrinæ Christianæ: adeoque his ponatur modus.

23. Calices sint duntaxat aurei, vel argentei.

24. Non servetur Eucharistia nisi in loco decenti, & ab Ordinario approbato.

25. Non celebretur Missa in privatis domibus, & eorum privilegia concessa revocentur, nisi in casu necessitatis.

26. Populus sit genibus flexis ante Eucharistiam usque ad communionem.

27. In festo Corporis Christi prohibeantur ludi varii.

28. Quod Confraternitas sanctissimi Sacramenti præcipue in parochiis, non in Monasteriis statuatur, quoniam conducit ad finem intentum, scilicet ut cum cera, pallio, & decenter deducatur ad infirmos, quod in Monasteriis non habentibus curam animarum non fit: vel occasione hujus Confraternitatis conservatur aliquando Eucharistia in locis desertis & periculosis, & indecenter, committatur ergo hoc Ordinario. Et quoniam in tertia Dominica mensis concurrunt multæ parochiæ ad unam, ubi est Sacramentum, sæpe Parochiani non audiunt missas, quorum non est, qui exigat.

29. Sacerdotes celebrent juxta Missale Romanum, nihil addentes, vel minuentes, & quæ alta voce & intelligibili, & quæ secrete dicenda sunt, dicant.

30. Interdicendæ Missæ, quæ vulgo dicuntur S. Amatoris, ob cæremonias superfluas: & ne Sacerdotes exeant extra limites Ecclesiarum; vel non tali, certoque candelarum celebrent numero.

31. Similiter ne Sacerdotes dicant missam *de Requiem* in festis solemnibus: ne celebrent super mensas, ubi comeditur.

32. Tollenda essent impedimenta, quæ oriuntur ex copula fornicaria occulta cum consanguineis conjugis ante contractum matrimonium, excepto primo gradu.

33. Tollantur etiam impedimenta cognationis spiritualis, nisi inter ipsummet Baptizantem, seu Confirmantem, & Baptizatum, vel Confirmatum.

34. Tollantur etiam impedimenta, quæ dicuntur cognationis legalis, & justitiæ publicæ honestatis; & minuantur impedimenta consanguinitatis, & affinitatis.

35. Item evitentur matrimonia clandestina, quæ sine testibus sufficientibus fiunt; & ubi dispensandi necessitas urget, gratis concedatur, & fixe.

36. Matrimonium contracturi, prius confiteri teneantur, & communicare: quique clam contraxere, nisi prius confessi non absolvantur.

Circa Religiosos, & Religiosas.

1. Videant Patres an expediat Religiosos diutius, ac maturius probari ante professionem.

2. Circa Moniales, quæ frequentius compulsione parentum ingrediuntur Religionem providendum videtur.

3. Item, ut Religiosus non possit renunciare anno probationis.

4. In quolibet Monialium Monasterio certus sit, statusque numerus earum, qui pro ratione redditum, & quantitate, sustentari possit, qui nec possit excedi.

5. Non recipiantur Novitii in Congregationibus, vel Monasteriis deformatis.

6. Cogitetur de modo reformandi Monasteria Consistorialia, sicut ea quæ Minium inter & Durum sita sunt, & alia hujusmodi.

7. Non

7. Non concedantur exemptiones, aut facultates Monachis ut transferantur ad laxiores Religiones, nisi ex causa graviſſima: Translatique maneant in Monaſtériis, in quæ transferuntur. Et qui non transferuntur, ſed qui eximuntur ab obligatione ſui ordinis deferant habitum diſtinctivum ab his, qui manent in obſervantia.

8. Nulla valeat Abbatis Electio, niſi ſit ejuſdem & ipſe profeſſus ordinis.

9. Statuatur quod Ordinarii ſint examinatores litterarum & privilegiorum Monachorum, & Monialium exemptorum.

10. Religioſi non reformati non prædicent, neque confeſſiones audiant, niſi ab Ordinariis examinati.

11. Poſſint Ordinarii compellére quoſcumque Religioſos ad comitandum Proceſſiones publicas, etiam Fratres S. Eligii.

12. In ſeſſione nona Conc. Lateranén: ultimi ſtatutum fuit ut Abbates, & Commendatarii Monaſteriorum, tertiam partem redditaum, ſi communis ſit menſa, ſi vero diſtincta a conventuali, quartam in fabricam, & pauperum eleemoſynas deberent convertere. Quod cum non ſervetur, ſtatuatur quod annis ſingulis Ordinario reddatur illius quartæ ratio.

13. Statuatur quod in Religionibus ampliſſima ſit ad tepidos expellendum foras novitios facultas, atque ad recipiendum ad profeſſionem difficultas, niſi poſt longam probationem.

14. Quod Abbatiſſæ ſint Moniales.

Quoad Curiam, & literas Apoſtolicas, & officiales curiæ.

1. OMnes Eccleſiæ urbis reparentur, & ſingulis annis viſitentur in temporalibus, & ſpiritualibus.

2. Conſtituantur in urbe viri zelum Dei habentes, qui ſint examinatores promovendorum ad ordines, & beneficia.

3. Incedant in urbe Monachi, ac Clerici habitu decénti & tonſura: & inſtituantur viſitatores Clericorum.

4. Judæi vel expellantur e terris Chriſtianorum, vel ab eis ſeparatim habitent, & ſignum deferant exterius juxta Conc. Lateran.

5. Fervens inſtituatur Inquiſitio in Italia contra Lutheranos; contra dubitantes de animæ immortalitate; & contra Sortilegos & Divinatores.

6. Purgentur, & emendentur Bibliorum tranſlationes ad antiquorum doctas atque probatas.

7. Diſſolutiones inhoneſtæ non tolerentur in urbe Roma.

8. Æquum eſſet ut omnes literæ Apoſtolicæ ſeu juſtitiam ſeu gratiam concernentes, ac diſpenſationes omnino gratis darentur, præter expenſas illorum, qui tales ſcribunt literas, ut olim fiebat; & officialibus dentur proventus ex proventibus Cameræ Apóſtolicæ.

9. Item non vendanrnr óffícia.

10. Circa moderationem Indulgentiarum plura ſtatuenda, & circa revocationem conceſſarum, velut earum quæ Quæſtuariis conceſſæ fuerunt. Revocenturque confeſſionialia, quibus committuntur multa intolerabilia in præjudicium Ordinariorum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

11. Cir-

11. Circa beneficia, multa videntur emendanda & rescindenda, videlicet, ut non ultra literæ regressus & accessus expediantur; & Coadiutoriæ, nisi in casu à jure permisso; & tunc Coadiutori deputetur certa pars fructuum, ut se substentet; non tamen sit futurus successor: ille verò, cui sic datur Coadiutor, in nullo se intromittat.

12. Tollantur reservationes in pectore, vel alias tam generales, quam speciales, & creationes in Canonicum.

13. Tollantur & expectativæ gratiæ, per quas tot lites oriuntur. Vide Conc. Lateranen. Sess.11.

14. Non concedantur incompatibilia plura, nisi eo modo, quo in hoc concilio limitanda sunt; nisi sint intra diætam; & demum personæ, quæ utilior una eis fuerit, quam duo.

15. Tollantur pensiones, nisi ad tertiam partem, ne sit causa discordiæ inter litigantes.

16. Tollatur omnino redemptio pensionum.

17. Tollatur abominandæ permutationes hæ, quando pater unius dat beneficium filio alterius, ut alter quoque det beneficium filio suo: neque dispensetur in prohibitione Clementis VII.

18. Quod in beneficium patris filius non succedat patri.

19. Tollantur Protonotarii, Comites Palatini; Acolythi, Capellani, & id genus exempti; neque debent creari, quoniam nihil prosunt hæ exemptiones, nisi ad criminum impunitatem, & insolentiam. Tollanturque privatis concessæ personis exemptiones omnes.

20. Tollantur dispensationes de non residendo, aut de percipiendo fructus in absentia, nisi in casibus a jure concessis

21. Moderentur exemptiones, quas Clemens VII. concessit Militibus de Malta in magnum præjudicium Ordinariorum, & quarum occasione gignuntur scandala.

22. Non concedantur licentiæ suscipiendi gradus in Theologia, vel Jure, nisi prævio examine in Universitatibus generalibus, & approbatis.

23. Non concedatur, quod Clericus tribuat alicui partes decimarum, nisi pro urgentissima, & manifestissima causa, & bono publico, prævio examine per Ordinarium.

24. Non dispensetur cum Simoniaco ad obtinendum beneficium Simoniace obtentum.

25. Non concedantur licentiæ ad suscipiendum Sacramentum Eucharistiæ extra Matricem Ecclesiam in Pascha: aut ut celebretur domi Baptismus, aut Matrimonium.

26. Intolerabile est, quod uniantur beneficia Curata Cappellis quibuscumque, ac quibusdam Hospitalibus conerectis.

27. Non uniantur beneficia mensis Prælatorum, aut Capitulorum, aut Monasteriorum: & quoad illa, quæ jam sunt unita, statuantur congruæ pensiones pro Rectoribus perpetuis.

28. Non concedantur licentiæ Prælatis ad testandum de redditibus Ecclesiæ, nisi ad pias causas, & debita solvenda.

29. Ultimæ voluntates testatorum non mutentur quando constant.

30. Expeditiones literarum in his quæ spectant salutem animarum, & cultum divinum gratis fiant.

31. Multi sunt inutiles, & non necessarii officiales in Romana Curia Scripto-

rum Apostolicorum nomen indicat quid agere debeant, nempe literas Apostolicas scribere, & nihil inde exigere, nisi taxam, quæ propter scripturam debetur. Nunc ex centum Scriptoribus, decem plus minus scribunt; ad quid residuum illorum? Ante centum circiter, aut paulo plus annorum unica erat Bullarum taxa, postea crevit in duas, deinde in tres. Conveniens esset ut omnes Bullæ expedirentur per Cancellariam; & Abbreviatores de majori Præsidentia examinarent, & judicarent illas, an sint concedendæ vel non: quid refert an sic, vel aliter expediatur, modo sit justa concessio?

32. Non creentur Notarii, & Tabelliones in partibus, nec in Curia, nisi priùs per viros probos fuerint examinati; nec possint exercere officium in partibus, nisi priùs ab Ordinario fuerint examinati, & probati in moribus; & quod sciant linguam Latinam, & sint idonei: oporteret etiam eorum esse limitatum numerum in qualibet diœcesi, qui videretur Ordinario necessarius.

33. Statuatur ut non possit interdictum generale poni particularis intuitu, & ratione personæ, nisi sit Dominus illius loci temporalis: vel ratione locorum, vel communitatis, si ipsa est in culpa: & in hoc videatur sessio secunda Conc. Later. ultimi.

Circa Cancellariam, & Cameram Apostolicam

Ultra verò hæc, quæ ad expeditiones attinent, quæ reformanda sunt; alii quoque defectus sunt generales in Cancellaria, & Camera Apostolica, qui etiam reformandi videntur, aut saltem moderandi, qui quidem tales sunt.

1. Super officio Scriptorum Apostolicorum, quorum institutio officii Scriptorum fuit facta ad effectum ut debeant scribere Bullas, & ratione laboris eorum solebant recipere certam tantummodo taxam, & quidem exiguam, nunc nedum de eorum labore satisfieri volunt, sed taxant Bullas pro eorum libito, præsertim perpetuas; & ut aliquam gratiam ab eis consequi non possint, statuerunt ne de cetero possit fieri per eos gratia alicui, nisi in plena eorum Congregatione, quæ de trimestri in trimestrem solet fieri; & sic Partes coguntur recipere Bullas taxatas ad libitum. Deberet ordinari, & provideri quod scriptura Bullarum deberet deduci, seu defalcari ex taxa, prout etiam ordinationes minorum deducuntur ex taxa Abbreviatorum.

2. Item, quod ipsi Scriptores aliquam materiam perpetuam taxare non possint, nisi adjuncto aliquo Prælato, vel persona gravi per Vicecancellarium deputanda, quæ cum eis illam taxare deberet.

Circa officium Abbreviatorum.

1. Videtur inhonesta Paulini unius exactio ratione primæ visionis, aut etiam duorum Paulinorum pro distributione, qui solvuntur Abbreviatoribus de minori cum nihil faciant; nec Bullas, prout tenebantur antiquitus, revideant.

Cir-

Circa officium Sollicitatorum literarum Apostolicarum.

1. Officium istud institutum fuit ad effectum ut sollicitarent literas Apostolicas ad commodiorem earum expeditionem; & pro sollicitatione reciperent taxam, quam recipiunt: & ne Partes defraudarentur, apponerent in pede Bullæ summam totius expeditionis eorum nomine subscriptam; quod nunc non observatur. Deberet ordinari saltem, si ipsi Bullas expedire noluerint, ne Partes defraudari possint, quod nullus Sollicitator, vel Procurator Curiæ Romanæ possit Parti tradere Bullas expeditas, nisi facto prius in scriptis comperto expensarum, & subscripto manu unius ex dictis Sollicitatoribus, qui in Cancellaria pro tempore deputabitur; & teneantur Sollicitatores ipsi unum practicum de eorum gremio ad hoc in eadem Cancellaria deputare.

2. Præsertim omnes expeditiones beneficiales per Cancellariam expediri ad sublevandas Partium expensas, & brevitatem expeditionum antiquitus consueverant: & ita expediri debent. Nunc autem incuria Sollicitatorum, & Partium ignorantia pro majori parte expediuntur per Cameram, ubi olim, nisi tantum illæ quæ juridice non videbantur, non expediebantur, quod in grave damnum, præjudiciumque Partium vergit.

3. Providendum igitur videretur ne de cetero aliqui consensus resignationum, & aliarum rerum beneficialium per Notarios Cameræ Apostolicæ reciperentur; Sed apud Notarium Cancellariæ ad hujusmodi effectum dumtaxat institutum præstari deberent, prout etiam ita solitum erat; & quod aliquæ minutæ per alios Abbreviatores factæ, vel eorum manu subscriptæ, ad hoc ut ipsi videre possint si est expedienda per Cameram, vel per Cancellariam, per Scriptores Apostolicos scribi non possint.

4. Quoad præjudicium Notariorum Cameræ Apostolicæ, potest provideri ut Notarius Cancellariæ det eis quolibet mense certum quid, quod fieri poterit ex augmento illius redditum.

5. Posset etiam præmissis obviari, si prohiberetur ne Notarius Cancellariæ ratione consensuum extraordinarie sumptorum, extraordinarie aliquid sumeret, videlicet, unum Ducatum, quorum ratione hujusmodi Ducati Procuratores, & Sollicitatores mittunt omnes consensus ad Cameram, & non curant de læsione, & damnis Partium, quod exinde, videlicet tempore expeditionis literarum subsequitur, cum consensus præstiti per Cameram non possint expediri per Cancellariam, licet e converso.

6. Deinde Summista ratione unius Bullæ, quæ expeditur per Cameram solebat recipere julios quatuor; a nonnullis annis verò citra solvi acquisivit, cum non expediuntur per Cameram factam coram Sanctissimo, scutum unum: & modernus Summista, videlicet Reverendissimus Cardinalis de Cæsis suis temporibus auxit scutum ad unum Ducatum auri de Camera. Et cum redimebantur supplicationes, solebat solvi ejus substituto, ratione illius redemptionis julium unum, prout fit in Cancellaria, cum Bullæ erant expeditæ; nunc autem antequam Bullæ expediantur, aut redimatur supplicatio, mihi relatum est ipsos extorquere dictum julium; aliter Bullam expedire nolle. Deberent igitur hujusmodi abusus, qui noviter inducti sunt, penitus aboleti.

Circa Annatas.

1. A Quibusdam affirmatur, officiales Annatarum in tantum devenisse contemptum mandatorum Papæ, ut non teneantur literis, in quibus narratur intrusus, & probatur intrusus, per testes recipere solummodo obligationem in eventum adeptæ possessionis, nolle obligationes tales accipere asserentes beneficia reservata; unde Partes coguntur non adepta possessione beneficiorum solvere; adeoque antequam illam adipiscantur litigare, & sæpissime juribus per alios evinci in grave ipsorum damnum, & præjudicium. Videlicet ordinandum, prout ita jam est, quod in quibuscunque provisionibus beneficiorum quomodolibet pro tempore vacantium, præterquam per resignationem, quorum tunc essent fraudulenter, in quibus narratur intrusus, & ejus intrusio probatur, non solveretur, nec posset exigi illico annata, sed obligatio in eventum adeptæ possessionis reciperetur.

2. Deinde cum annatæ in Cancellaria Apostolica solvantur, & quietantia in Banco Militum S. Petri fuit; nec Bullæ possint plumbari, seu registrari, nisi soluta dicta annata, videtur durum post expeditionem dictarum Bullarum veniri debere ad Notarios Cameræ Apostolicæ, qui ratione cassationis solutionis medium Ducatum, & secundum diversitatem materiarum multo magis extorquent. Providendum, & ordinandum igitur esset, ne Bullæ, soluta apud Cancellariam annata, & habita quietantia a Notario Cameræ Apostolicæ nomine Clericorum qui in Banco eorumdem Militum resident, ad Cameram mitterent: ex hujusmodi enim missione nihil resultat nisi gravamen, & dilationes Partium.

3. Item quoad materias Consistoriales deberet provideri, ne Notarii ipsi aliquid pro eorum liberatione exigerent, neve ad Cameram mitterentur.

4. Item quoad servitia minuta, videlicet regalia Palatii nuncupata, & alias exactiones deberet provideri.

5. Item omnes Bullæ perpetuæ post expeditionem Bullarum mittuntur ad Notarios Cameræ pro jocalibus per Clericos Cameræ Apostolicæ exigendis. Qui Clerici non animadvertentes ultra duo jocalia pro qualibet materia perpetua recipere non posse, ad quodlibet particulare verbum cujuslibet Bullæ respectum habentes ab una Bulla multoties decem, & quindecim jocalia a Partibus petere non verentur, quod multo magis, quam taxam Bullæ extendunt. Deberet igitur ordinari ne Clerici in hujusmodi exactione jocalium officium Judicis, & partis agerent, sed jocalia ipsa vel per Regentem Cancellariæ, seu aliam personam in eis interesse non habentem taxari, & moderari deberent.

De Secretariorum officio.

1. S Ecretarii Apostolici taxas Bullarum per Cameram expediendarum integraliter, prout Scriptores recipiunt, & nihil in expeditionibus agunt. Si hujusmodi taxa sit licite concessa vel non, videatur. Tamen deberetur ordinari quod, ex eo quod recipiunt supplicationes Indulgentiarum, & distributiones illarum ratione recipiunt, quod tenerentur ordinare, & conficere minutas talium supplicationum, prout Abbreviatores de minori faciunt in supplicationibus, quæ eis distribuuntur.

2. Pro-

2. Protonotariorum officia nihil agunt circa expeditiones, nisi solummodo recipere eorum jura qnoad Ecclesias Cathedrales, & Monasteria.

Quoad Pœnitentiariam.

1 SAnctum esset reformare officium Pœnitentiariæ, & limitari ea quæ per illam concedenda sunt; & ordinari ut talia observentur in toto Christianismo. Hic aliqua assignabo in quibus reformari debet Pœnitentiaria. In materiis & concessionibus per Pœnitentiariam expeditis apparet satis secundum consonantiam vocabuli abusus in eam introductos esse.

2. Solebat enim Pœnitentiaria antiquitus concedere literas ejus sigillo munitas absolutionis a quibusvis excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, quæ per universum orbem terrarum observabantur, & eis parebatur prout literis Apostolicis. Deinde permissione nonnullorum Romanorum Pontificum se immiscuit circa concessiones dispensationum Matrimonialium, ac se in eisdem videlicet locationibus, & venditionibus usque ad summam quinque Ducatorum in annuis redditibus, vel centum in proprietate: nunc autem a multis annis citra gratias, & Indulta sibi concessa, exinde ac illis abutendo, nedum promissa, quinimo quascumque locationes, & venditiones rerum Ecclesiasticarum, cujuscumque valoris cum derogatione Paulinæ, & aliis clausulis exorbitantibus. Deinde commutationes quarumcnmque voluntatnm Defunctorum, pro Fratribus, & Monialibus, & alias facultates, quæ per Signaturam Sanctitatis Suæ non conceduntur; & si aliquando conceduntur, limitantur taliter quod honestæ, & non præjudicialiter existimantur. Deberet igitur ordinari quod Pœnitentiaria de cetero in concessionibus, seu locationibus, & venditionibus in forma eumdem observaret stilum, qni observatur in talibus materiis, qnæ expediuntur per Cancellariam videlicet cum insertione Paulinæ, prout juris forma ita requirit, & non nt illi faciunt, derogando. Quoad commutationes voluntatum, nullas concederet, sed illas committeret Ordinariis, si aliquatenus justæ viderentur.

3. Quoad materias vero Religiosorum observaret stilum Signaturæ Sanctitatis Suæ, videlicet, de licentia sui Superioris. De talibus enim concessionibus videtur Pœnitentiaria majorem habere facultatem, quam Papa, quod non potest esse.

4. Circa vero materiam erectionum deberent committi, prout facit Papa, Ordinario, & sine alicujus præjudicio: Quoad reliquas vero concessiones, quas concedit, se in omnibus conformare Signaturæ Papæ; & sic obedirerur universaliter ejus literis, prout literis Apostolicis. Nec enim in Gallia literis Pœnitentiariæ obedire volunt, & hoc non nisi propter nimias gratias, & concessiones, quæ ex illa emanant.

5. Deinde super Registratura Bullarum Apostolicarum, idem qnod de scriptura, & minutis videtur observandum, vel ordinandum. Registratores enim ultra registraturam eorum accipiunt julios duos pro qualibet minima Bulla pro Registratore illam registrante: & sic Notarii Cameræ Apostolicæ de Bullis expeditis per Cameram Apostolicam, quod facere nullo modo possunt. Deberet etiam hujusmodi abusibus obviari:

Cir-

Circa Rotam, & Lites.

1. Statuendum videtur, quod Auditores Rotæ qui terram judicant, & lites totius Republicæ Christianæ, sint probatissimæ vitæ, & exactissimæ doctrinæ, & ætatis maturæ; & quod habeant certum stipendium ex proventibus Cameræ Apostolicæ; & quod nihil recipiant a Sotellis & Notariis; nec possint recipere sportulas a litigantibus, nisi sint judices arbitri. Oportet etiam reformare scripturas Scribarum quoad litteras cubitales, quas faciunt, & lineas separatas, & quoad superfluitates rerum, quas narrant de adventu Legatorum, Oratorum, & Cardinalium ad urbem, & aliarum rerum impertinentium, scilicet quod Ecclesia Cathedralis est notabilis, ubi est beneficium. Ista & aliæ superfluitates sunt tollendæ. Moderetur etiam salarium Scribarum, & Notariorum.

2. Personales expensæ litigantium debent taxari; vel statui, ut taxentur a Judicibus causarum, ne lites injustæ moveantur.

3. Compulsoriales non decernantur nisi pro utraque parte, itaut tam Actor, quam Reus, & quorum interest, possit compulsare quascumque scripturas communibus expensis pro rata, servata forma compulsorialium: & quoniam Officiales pro libito extorquent pecunias a Partibus, limitetur salarium competens in Curia a Judicibus, vel in partibus ab Ordinariis.

4. Nullum officium Judicaturæ, vel Notariatus exerceatur per substitutum.

5. Triennalis possessor & publicus cum titulo saltem colorato, nullo unquam tempore possit molestari juxta sess. X. Conc. Later. ultimi, etiam si beneficium fuerit reservatum, vel de Jurepatronatus Laicorum nobilium. Et contra triennalem possessionem non valeant prorogationes; nec dispensetur super hoc; nec ut aliquis habeat beneficium in regno, de quo non est: & servetur regula de idiomate.

6. Oporteret etiam præfigi aliquem terminum causis, quæ tractantur in partibus, & etiam illis, quæ tractantur in Curia, exceptis causis majoribus in jure expressis.

7. Item videtur statuendum, ut omnis causa tractetur in prima instantiâ coram Ordinario, & in secunda coram Metropolitano, & in tertiâ coram Sede Apostolica, si agatur super beneficio ascendente ad valorem magnum, qui limitetur; aliter committatur causa appellationis, & totius negotii principalis ad partes aliquibus probis viris Ordinariis tamen; etsi unus sit suspectus, alii circumvicino, à quibus non liceat appellare; sed decidatur, & mandetur executioni. Etsi Causa in prima instantia tractetur, coram Metropolitano, in secunda tractetur coram Judice Apostolico viro probo & docto qui instituatur in partibus, & teneatur habere secum tres viros doctos in Jure Canonico: & in tertia instantia posset tractari coram Sede Apostolica, si causa ascendat ad valorem magnum. Si tamen non ascendat dictum valorem, committatur alicui Ordinario non suspecto. Posset etiam fieri, ut quando causa tractatur in prima instantia coram Ordinario, & in secunda coram Metropolitano, & in tertia tractaretur coram illo Judice Apostolico habente prædictos Assessores doctos in jure; & hoc in causis non ascendentibus ad valorem magnum, quæ deferendæ essent ad Curiam. Ad minus duæ instantiæ deberent semper tractari in partibus, & etiam tertia, quan-

quando non ascendit causa valorem magnum. Etsi aliquæ causæ committendæ sunt in partibus Judicibus Apostolicis, non committantur nisi Ordinariis; & si unus sit suspectus, committatur alii circumvicino.

8. Videtur etiam statuendum, ut quoties tres sententiæ sunt conformes, dentur executioni.

9. Oportet etiam terminum sententiis decerni, ultra quem non possit amplius aliquid renovari.

10. Prohibendum quoque esset, ne Tribunalia fiant in Ecclesiis.

11. Item occurrente vacatione beneficiorum, Patroni tam Laici, quam Clerici, necnon Ordinarii, aliqui se intrudunt nullo titulo suffulti, & bona dissipant; ita quod processus post modum cum magna difficultate, & expensis tandem assequitur beneficium: oportet statui ut Patronus privaretur jure præsentandi ea vice, & Clerici se intrudentes inhabiles sint ad illum beneficium, & graviori etiam pœna puniendi essent, quoniam nec super hoc pœnam impositam curant, aut cavent,

12. In Romana Curia quam plurimi resident, quos *Trampistas* vocant, qui cum sciunt, hominem beneficiatum senem, aut valetudinarium, impetrant beneficia sua certo modo literis exprimendo, & vigore supplicationis decernitur citatoria contra possessorem, qui perterritus citatione cogitur aut pensioni consentire, aut numerata pecunia vexationem redimere: & *Trampistæ* hujusmodi per crebras supplicationes prorogant negotium expectantes mortem possessorum. Derogant etiam Regulis Cancellariæ super hoc editis. Et ad obviandum malitiis horum hominum, bonum esset eos exquirere, & à Curia eos expellere: *quoniam isti*, juxta Paulum, *regnum Dei non possidebunt*: neque istis debet suffragari prorogatio, aut decerni citatio nisi literis expeditis, & expressis causis vacationis in impetratione.

13. Bonum quoque esset Officiales Cancellariæ, Pænitentiariæ & Cameræ Apostolicæ visitari ad minus in quolibet biennio.

14 Reformandum videtur officium, quod dicitur Auditoris de Camera, ad quem aliqui afferunt, quod quicumque accedit ad proponendum querelam, absque aliquo examine datur ei charta citatoria sub pœna excommunicationis, quod intra tres dies appareat Romæ.

Varia Statuenda.

Ab aliis scilicet Patribus proposita, & à Fr. BARTHOLOMÆO collecta atque notata.

1. Quandò Abbbas vel Rector non residet, liberum sit Episcopo removere ad nutum Vicarium ab eo positum, ut ponat magis idoneum: & quod liberum sit Episcopo vel compellere Rectorem ad quærendum, vel ponendum idoneum probe ab ipso Episcopo approbatum, vel ipse Episcopus ponat quem voluerit; ita quod optio detur Episcopo: aut quod beneficia non sint perpetua, sed ad modum gratiæ datæ Infanti Ludovico in beneficio de Crato.

2. Ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus, festivis quibuscumque de præcepto diebus, missa celebretur.

3. Abbates omnia fabricent saltem intra Cappellam.

4. Om-

4. Omnes Abbates non residentes, quartam saltem, ut minimum, fructuum suorum partem suis Vicariis, Cappellanisque dimittant; nec minor illis cedat, & assignetur in vitæ subsidium, summa Regalium viginti quinqe millibus præter ea quæ ab altari, & collecta proveniunt Cappellano in Ecclesia, quantumvis illa fuerit exigua.

5. Detur executioni capitulum, quod Concubinarii probati Clerici statim suspendantur:

6. Quod in Universitatibus non abrogetur studium Theologiæ Scholasticæ.

7. Quod non dentur duo monasteria eidem.

8. Circa portiones Vicariorum Ecclesiarum Militum Crucesignatornm, qnod detur eis tertia, vel quarta pars.

9. Quod Ecclesia Passalin quæ sunt aforata Secularibus removeantur ab eis, & dentur Rectoribus.

10. Quod Episcopi possint assignare pensiones in Ecclesiis quas conferunt, ad substentationem officialium suorum.

11. Non permittatur Clericis quasdam vilis conditionis feminas habere in ministerium.

12. Regulæ Cancellariæ, quæ a Pontificibus renovantur, eligantur rationabiliores, & perpetuæ fiant absque aliqua variatione. Quæ vero ad alicujus instantiam ob commodum privatum emanant, nullas habeant vires.

13. Confidentiæ omnes beneficiorum, & pensionum tollantur; neque unus pro alio nominetur, aut fructus aliquos exigat sub pœna amissionis ipso facto omnium beneficiorum, & officiorum; & fiat ad alia obtinenda inhabilis tanquam vere Simoniacus, & contra eos qui transferunt in alios jus confidentiæ propter aliquod commodum severe procedatur.

14. Datæ parvæ tollantur, & resignationes in favorem certæ personæ, cum pactis & reservationibus, & confirmationes concordiarum in beneficialibus, nisi ex gravissima causa.

15. Quod non dentur facile Monasteria in commendam.

16. Tollatur si qua unquam fuerit, tota negotiatio Datarii circa compositionem propter dispensationes, sive absolutiones peccatorum; sed dentur gratis.

17. Dentur futuræ Coadiutoriæ prout de jure sine futura successione.

18. Omnes reservationes tollantur tam mentales, quam aliæ, & quæcumque gratiæ ad vacatura beneficia, ac expectativæ, quæ intuitu hominum, non Ecclesiarum forsitan fuerunt introductæ.

19. Tollantur ex beneficiorum reservationibus, quæ defectu & vitio omnino carere non possunt.

20. Fiat certa provisio ad similitudinem provisionis Ecclesiarum Cathedralium, ut cessent lites beneficiales; itaut cerrum sit, quæ beneficia Pontifex, quæ vero Ordinarii provideant. Et possunt duæ primæ Dignitates in Cathedralibus, & una major in Collegiatis, ac duo Canonicatus, ac præbendæ in singulis Cathedralibus, & unica in Collegiatis certo designari, quæ semper Pontifici maximo reserventur, etiamsi vacent Sede Romana vacante. Cetera beneficia simplicia ad Ordinarios tantum libere pertineant, exceptibus patronatibus Laicorum ex donatione, & fundatione vera, & non per privilegium. Curata vero conferantur ab Episcopis, præmisso examine inter oriundos ex eadem diœcesi doctoribus, & dignioribus, cui examini præsint certæ personæ ad id deputatæ, ab Episcopo, & Capituio annis singulis eligendæ.

21. Non

21. Non dispensetur etiam cum Nobilibus, vel literatis ad duo beneficia curata, quando unum illorum sufficit ad congruum sustentationem.

22. Cardinales habeant singuli certos & æquales redditus ex patrimonio S. Petri; nullique Regi, aut Nationi, aut Reipublicæ sint addicti; sed ex omnibus Nationibus optimi quique eligantur: ita fiet ut liberius consilium dent Pontifici, & cessabit ambitio. Numerus eorum etiam coerceatur, & resideant in urbe.

23. In beneficiis minoribus viginti aureorum nulla admittatur appellatio; & sic in aliis rebus modicis. Ceteræ vero causæ in prima instantia non facili deducantur ex provinciis ad urbem.

24. Etiam in Romana Curia non conferantur ordines aliquibus sine licentia suorum Ordinariorum.

25. Omnes dispensationes committantur Ordinariis, ut videant si preces veritate nitantur, vel aliquid dicendum non fuerit expressum.

26. Ordinarii in foro conscientiæ possint, annuente Summo Pontifice, absolvere, & dispensare quoscumque, etiam in casibus reservatis, & irregularitatibus, cum incestuosis, cum contrahentibus voto simplici castitatis consummato matrimonio, & super impedimentis occultis in causa matrimoniali: ac demum possint in foro conscientiæ, quæ possunt Pœnitentiarii majores.

27. Confessionaria, & altaria non faciliter concedantur.

28. Examinentur vita & doctrina eorum, qui præficiuntur confessionibus à Regularibus de mandato Episcopi; Nec stetur simplici relationi Præpositorum.

29. Archiepiscopi inhibendo post appellationem ad se interpositam, & in deferendo appellationibus teneantur servare jus commune, & decreta Conc. Tridentini, quacumque consuetudine non obstante.

30. Si appellatur ab Inferiori in causa fiscali, hoc est, ubi fiscus Episcopi, vel inferioris est actor, vel reus; si Procurator Episcopi non compareat, defendatur causa per Procuratorem fiscalem Metropolitani, nisi de contraria voluntate Episcopi, vel ejus fiscalis constet, & quæque ab eo fiet, expensis Episcopi fiat.

31. Confirmetur forma celebrandi Divina officia posita juxta antiquos Canones.

32. Capitulum Ordinarium fiat semel tantum in hebdomada, non tempore Divinorum officiorum. Idem servetur in aliis, ne malint confabulationibus terrere tempus in Capitulo, quam interesse Divinis. Aliter facientes ammittant distributiones illarum horarum.

33. Detur Capitularibus, & ceteris residentibus tempus recreationis certum, puta duorum mensium; nec possit prorogari, aut amissionis pœna remitti, ne altero alteri gratificante cultus divinus diminuatur.

34. Non constituti in sacris non habeant vocem in Capitulo.

35. Canonici, & Portionarii, qui habent præbendas, & onera distincta, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas cantent, teneantur ordines suscipere convenientes, cum primum ad eam ætatem pervenerint; & non aliis fiat provisio, nisi in ea ætate, & habilitate constitutis; aliter provisio irrita sit.

36. Nullus residens in Ecclesia Cathedrali cum sufficienti præbenda aliud obtineat beneficium curatum; & ponantur Vicarii perpetui pro iis, qui ea hodie obtinent, cum congrua sustentatione, nisi malint ipsi in Curatis residere.

37. Locationes possessionum mensæ Capitularis, & aliorum beneficiorum non excedant triennium, non obstante quacumque consuetudine; & in omnibus contractibns alienationum servetur forma juris, & extravagantis Pauli II.

38. Capitulum sine Episcopo non possit statuta facere, sed fiant ab Episcopo de consilio Capituli.

39. Administratio fabricæ pertinet ad Episcopum, & ad Capitulum, quacumque consuetudine non obstante.

40. Obtinentes Dignitates cogantur residere, & interesse Divinis Officiis; & incorporentur redditus mensæ Capitulari, postquam vacaverint, & ex eis certa portio detur Dignitatibus, si residerint.

41. Religiosi non habeant Canonicatus, & præbendas, & Dignirates, & alia beneficia secularia; uec seculares Regularia, etiam in commendam. Nec Episcopi habeant canonicatus, vel beneficia curata extra suam diœcesim.

42. Beneficia curata Jurispatronatus ex dotatione, & fundatione (nec enim ex alia causa servandum est) rigoroso examine præmisso ad præsentationem Patroni conferantur ab Episcopis tantùm, & non ab aliis inferioribus.

43. Paliatæ dispensationes unionum ad vitam, & commendarum perpetuarum, & aliæ similes præsertim ad duo curatu aboleantur.

44. Sine licentia Episcopi nemo Curatus se absentet a diœcesi, & cogantur residere majore parte anni; & a principio Adventus usque ad Octavam Corporis Christi, nemo posiit extra locum beneficii se absentare sub pœna privationis beneficii.

45. Decernantur gravissimæ pœnæ contra Laicos usurpantes redditus Ecclesiasticos, præsertim qui per suppositas personas Clericorum eis fruuntur; & si videbitur, singulis annis excommunicentur nominatim; & Clerici suspendantur ab ordinibus, & beneficiis; & si Laici Patroni fuerint, perdant Juspatronatus.

46. Quacumque consuetudine, vel statuto non obstante, mortuo Beneficiatò, hæredes defuncti non posint habere ultra ratam ejus temporis, quo defunctus servivit.

47. Danda esset facultas Episcopis dividendi pinguia beneficia, & uniendi tenuiora, etsi essent Jurispatronatus, præsertim Ecclesiastici: & Laicis Patronis posset assignari compensatio.

48. Quæcumque beneficia, quæ Sacramentorum habent administrationem annexam, etiamsi regularia fuerint, censeantur esse Curata.

49. Ubicumque Laici gaudent decimis, Episcopi provideant de Vicario, qui habeat congruam sustentationem; & Ecclesia sit bene ædificata & ornata, & ad id per censuras Ecclesiasticas, & detentionem decimarum cogant seculares, nisi aliunde haberet Ecclesia unde possent hæc fieri.

50. De præstimoniis, & pensionibus abusus essent tollendi.

51. Filii Presbyterorum, nisi essent graduati, & simul non paternæ incontinentiæ imitatores, non essent ordinandi.

52. Videatur num expediret unum Breviarium, & unum Missale fieri, quod ad omnes Ecclesias deserviret, exceptis Sanctis cujuscumque diœcesis, de quibus in brevi libello posset notari varietas. Tollaturque abusus eorum, qui resident, & utuntur alio genere horarum, quam ut in choro cantantur.

53. Extendatur caput VII. de Ref. sess. 7. sub Paulo III. ad annexa, quæ acta sunt regularia, & ad ea quæ habebant Vicarios perpetuos, quibus congrua portio est assignanda.

54. Ex-

54. Extendatur & caput VIII. ejuſdem ſeſſionis ad ea loca regularia, ubi non adeſt conventus Monachorum, licet ſit unus, vel duo Monachi.

55. Decretum Tridentinum ſeſſ.6. cap.3. quod loquitur de exemptis Regularibus extra Monaſterium vagantibus, habeat etiam locum, licet reſideant in beneficio, Prioratu, vel Abbatia nuncupato, ſed ſine conventu.

56. Ea quæ dicuntur nullius diœceſis viſitentur a Metropolitanis, ſaltem ſingulis trienniis, non obſtantibus privilegiis ſuorum ordinum, ut cultus divinus in eis conſervetur; & ubi Curata beneficia ſunt, magna diligentia curetur, ut Sacramenta ab idoneis perſonis adminiſtrentur. Vid. ſeſſ.24. c.1: de Ref.

57. Supplicetur Papæ, ut Officiales Epiſcoporum non citentur ad comparendum perſonaliter in Romana Curia, ſine legitima informatione coram Ordinario viciniori, vel Metropolitano facienda; vel uni ex eis cauſa criminalis committatur.

58. Fabricis Eccleſiarum Parochialium, quæ carent redditibus ad fabricas deputatis, aſſignetur ab Epiſcopo certa portio ex decimis, etiamſi pertineant alicui Laico, vel Monaſterio, vel Collegio.

59. Gradus conſanguinitatis, & affinitatis, & cognationis ſpiritualis poſſent minui, ut tollantur diſpenſationum cauſæ.

60. Scribantur nomina Patrinorum in Baptiſmo, & Confirmatione in libro authentico; & non plures ſint uno maſculo, & una femina, & ſit unus tantùm Patrinus, qui contrahat impedimentum.

61. In ſingulis Eccleſiis Cathedralibus fiat archivum publicum, in quo conſerventur omnes ſcripturæ ad Epiſcopum, & Capitulum pertinentes, cui præſint duo Archivarii, quibus aſſignetur certum ſalarium; & non ſint de Capitulo; & omnibus teneantur oſtendere ſcripturas illic contentas; ſed nemini dent originalia, ſed ſumptum collationatum.

62. Aboleatur ex toto orbe Chriſtiano monomachia, & renoventur pœnæ a multis Pontificibus in exercentes ſtatutæ; & Domini temporales id permittentes, amittant dominium ſuorum locorum, quod ad occupantes deferatur; & ſpectatores, & miniſtri majori excommunicationi ſubjaceant.

63. Aboleantur Taurorum ſpectacula, vel aliarum ferarum, in quibus multa fœda perpetrantur.

64. In diebus Dominicis, & feſtis Apoſtolorum, vel aliis quibuſcumque, & diebus jejuniorum nulli fiant ludi publici, nec ſpectacula, neque nundinæ, aut mercatus in diebus feſtis.

65. Supplicetur ſanctiſſimo Domino noſtro (nomine ſcilicet Epiſcoporum ditionis Philippi Regis Hiſpaniarum id poſtulantium) ut fructus Eccleſiarum, ſede vacante, in tres partes dividantur, quarum una detur Cameræ Apoſtolicæ, altera fabricæ Eccleſiæ, ſi indiget; alias in alia opera pia erogetur; tertia vero ſucceſſori reſervetur. Spolia vero quorumcumque Clericorum, & Epiſcoporum defunctorum ad Eccleſias, de quarum fructibus vivebant, pertineant, excepta quarta parte, de qua poſſint diſponere in pios uſus, vel ad exſolvenda debita contracta; & ſi deceſſerint ab inteſtato, in eadem debita dicta quarta expendatur.

66. Canonicatus & Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus non conferantur minoribus annis decem & octo.

67. Mutationes ultimarum voluntatum non fiant, niſi ex maxima cauſa; & tunc committantur ad Epiſcopum, ut videat ſi preces veritate nitantur.

68. Sublata quacumque consuetudine, Episcopi sint omnium piarum voluntatum executores, & visitent omnia pia loca, & exigant ab Administratoribus rationem suarum administrationum.

69. Dissolvantur Collegia minora auctoritate quavis coacta in Ecclesiis Cathedralibus, si ex eis sequatur aliquod damnum Episcopo, vel cultui divino.

70. Irregularitates contractæ ex peccatis non intelligantur incurri, nisi dum constiterit esse mortale peccatum; sicut nec major excommunicatio, sic quod prædictæ irregularitates veniant nomine censurarum.

71. Sint ubique terrarum Inquisitores hæreticæ pravitatis ad formam, & modum Hispaniæ.

72. Indulgentia, seu Bulla eligendi Confessarium, intelligatur de Confessariis positis, & approbatis per Episcopos: revocenturque aliàs datæ facultates, & Indulgentiæ.

73. Non possint Sacerdotes sibi mutuo suas audire confessiones, nisi sint omnes ab Episcopo approbati, seu ab Ordinario tanquam idonei Confessarii.

74. Nequeant erigi nova Cœnobia, aut Hospitalia, vel Fraternitates sine consensu, & licentia Ordinarii: erectæque jam antea Confraternitates ab Ordinariis, si visum eis fuerit, aboleri possint.

75. Dies festi non multiplicentur, imo diminuantur.

76. Nequeant ante vicesimum ætatis annum nec viri, nec feminæ Religionem profiteri.

77. Declaretur decretum Martini V. in Conc. Constantiensi: *Insuper ad vitanda scandala*: maxime in his, quæ spectant ad excommunicatos; an peccent, & in quibus, ingerentes se divinis citra denunciationem, & quando quis est excommunicatus: vel an per declarationem, seu denunciationem declaretur, sive prius sit excommunicatus, quàm denuntietur.

78. Nulli Religiosorum Prælati viri, vel feminæ sint perpetui.

79. Præceptum confitendi, & Eucharistiam sumendi, possit impleri tota Quadragesima, & quindecim postea diebus.

80. Non ambulent Sacerdotes inter Missarum solemnia ad sumendas oblationes.

81. Nihil possint recipere Confessarii a Pœnitentibus nec directe, nec indirecte; sic quod in administratione hujus Sacramenti tollatur omnis spes quæstus.

82. Non induantur imagines vestibus.

83. Affinitas per copulam fornicariam tollatur; maneatque per matrimonium contracta.

84. Juramenta mulierum super dotium alienatione, & Minorum etiam evitare necesse est; quia ut plurimum sunt periuria. Forte expediret potius coram Judice publice tractari, conveniat ne, aut non tales res vendi, alienari, aut permutari.

85. Imagines Christi, aut Sanctorum in locis prophanis, aut sordidis non pingantur.

Ar-

Articuli Valentinæ Sedis Vicarii nomine Sacri Conc. Trid. Patribus oblati.

1. SI fieri possit, statuatur, & decernatur circa Canonizationem, & Apotheosin Sanctorum Petri de Rotes, Giraldi Fructuosi, Martini de Domo, & Gundisalvi de Amarantha Ordinis Prædicatorum.

2. Ut in festis de præcepto generaliter accenseantur, & festum Præsentationis B. M. V. Inventionis corporis S. Stephani Protomartyris, S. Antonii de Padua, S. Benedicti, sanctæ Catharinæ, & sanctæ Luciæ Martyrum.

3. Constet omnino quis vere beneficii possessor, & Abbas legitimus, nec eo simul duo gaudere videantur; unus scilicet primus, qui revera non eo gaudet; alter vero non manifestus, sed occultus, & secretus fructibus gaudens, ne quis vere sit beneficii possessor; & alter titularius dumtaxat exterius personatus.

4. Ne Majorum, Avorumque beneficia directe, seu indirecte, ceu hæreditatis instar ad Nepotes transire permittantur.

5. Nec liceat Ecclesiæ propria tradere, locare, vel impignorare filiis, & filiabus, Leviro, vel Nurvi, familiarive, vel Nepoti Abbatis. Sic enim Ecclesiæ bona dilapidantur; vixque postmodum ab alio recuperantur.

6. Nullæ concedantur Optimaribus, & Regibus gratiæ, vel indulta, quorum occasione potentia fulti, plus etiam quam concessum habeant, sibi tribuunt & usurpant; nec ab Ordinariis cohiberi possunt; quæque illis antea concessa fuere, denuo revideantur, & excutiantur a viris integris, nec suspectis, nulliusque personæ faventibus.

7. Provideatur ne quem Patroni præsentare valeant ad beneficium Ecclesiasticum privato vel affectu, vel commodo ducti.

8. Rectoriarum, Parochiarum Præceptoriis addictarum stipendia Rectoribus augeantur, vel quibus obstringuntur onera, seu jura confirmationibus suis obtinendis amoveantur, aut minuantur, quibus solutis, nihil eis ad vitam prope superest: ad has quippe confirmationes obtinendas annui stipendii, solvere tenentur aliquando Cruciferos Lusitanicos triginta, vel quadraginta, ac nonnunquam etiam ad sexaginta, cum imposita sibi sit animarum cura; ac si in possessionem mitterentur integræ Præceptoriæ mille Cruciferorum annui census. Prædictaque in posterum Rectoriarum augeantur stipendia; vel minuantur jura, & onera pro ratione, & modo pristini valoris Abbatiæ totius, & integri beneficii.

9. Provideatur super Rescriptis, ut illa non per Judices, sed per viros probos, & eruditos, ad id specialiter deputatos probentur, inspiciantur, & admittantur; nec concedantur his, qui a minoribus ordinibus dispensari cupiunt, nisi antea de illis coram Ordinario fuerit cognitum.

10. Dispensationes imposterum nullæ concedantur cum clausula ignoranter, sed scienter tantum; Ipsis enim raro verum enunciatur, ac plerumque perperam dispensatur.

11. Nullus Episcoporum, nisi prius obtenta Ordinarii facultate, cuiquam ordines conferré valeat sub pœna nullitatis, nec aliquid à quoquam eapropter exigat, aut accipiat.

12. Nec foret inutile beneficiorum omnium, eorumque titulorum, & censuum integrum confici, pararique inventarium, & catalogum, Patronatusque il-

illorum probare, & excutere, citatis etiam citandis, & quorum interesse posset,

13. Vicariis confirmatis in officio congrua constituatur in usus vitæ portio.

14 Ordinis S. Benedicti Monasteria quantocius reformari curentur, sicut & Canonicorum etiam S. P. Augustini Regularium. Cum autem nemine curam eorum agente cuncta dilapidentur, & dilabantur, certa quædam assignetur, & stata redditum pars, quarta nimirum, aut quinta, seu quanta sufficiens fuerit visum & opportuna in usus fabricæ illorum; quod qui tertio renuerit implere, in suspensionem; qui quinquies absolutione mulctatus intelligatur, & habeatur.

15. Chartarum, seu tabularum lusoriarum usus & lusus, vitandarum causa blasphemiarum, & hujus generis flagitiorum omnino prohibiti decernantur.

16. Similiter & alii quilibet aleæ, vel sortibus obnoxii procul arceantur joci.

17. Suis quælibet Ecclesiastica, vel secularis, seu temporalis arceatur, cohibeaturque limitibus & finibus, quantum licuerit, jurisdictio: quo sic plurimis obviam eatur oppressionibus, & scandalis inde sæpissime emergentibus.

Postulata Episcoporum Italiæ in Conc. Tridentino.

Hæc sunt, quæ ex parte aliquorum Episcoporum Italicorum expedita fuerunt, ut in Ecclesia reformarentur anno Domini M. D. LXII. mense Februario in Conc. Tridentino.

1. CUM Sacra Ordinatio sit destinatio ad certum ministerium in Ecclesia bona fide obeundum non ferendum videtur ut ad inanes titulos fiat. Primum itaque expediret ut Concilii Chalcedonensis sextus observarentur canon: Ne aliquis in quocumque ministerio ordinetur, nisi specialiter ad alicujus Ecclesiæ titulum.

2. Expediret ut in usum revocarentur decreta Evaristi, Fabiani, & Silvestri, uti in qualibet Cathedrali Ecclesia septem essent Diaconi, & ex ceteris ordinibus quot Ecclesiæ necessitas exposceret. In particularibus Ecclesiis observaretur canon, quo jubetur, ut Parochus quilibet Clericum habeat, qui juxta profectum ad digniores assumeretur ordines.

3. Revocaretur in usus decretum Gelasii Papæ, ut per intérstitia temporum minores etiam ordines conferantur: utque temporis hoc intervallo in sue ordinationis functione se exercerent; sicque eo absoluto judicium fieri possit, an ad præstantiorem fuerint ordinem promovendi.

4. Ad ordinem Lectorum non promoveretur qui Latinam non calleret linguam: alioquin munus suum exercere non possit.

5. Describenda essent à sancta Synodo cujuscumque ordinis munia; sed aliquanto diligentius, quam hactenus fuit ab Isidoro, & Gratiano factum.

6. Non ordinarentur in ordine Sacerdotali, nisi ad certum titulum beneficii. Quod ut servetur; oportet efficaciter interdicere ne pro Missa possit aliquid dari, aut accipi, quoniam tunc non acciperent ordines, nisi habentes beneficia, vel

vel aliqui Clerici divites ex devotione, victum inde non expectantes; uti frequenter ordinantur innumeri vel inepti, ut ex Missa vivant.

7. Parochia aliqua ob suam amplitudinem plures requirens Sacerdotes, poterit habere plures titulos, & in ea institui.

8. Beneficia quæ idonea provisione victus sacerdotis carent, reformentur; & ex pluribus titulis unus tantum constituatur.

9. Cappellæ vetustate collapsæ, quæ fructibus beneficii ob paupertatem restaurari non possunt, in Matrices Ecclesias transferrentur.

10. Modus providendi victui horum Ecclesiæ ministrorum in Conciliis Provincialibus deliberaretur, imposita pœna; & infra duos annos hæc deliberatio fiat.

11. Esset in qualibet Ecclesia Cathedrali lectio Theologiæ ad eruditionem horum ministrorum, qui ad altiorem gradum non promoverentur, nisi in sacris literis profecissent.

12. In ordinationibus rigorosum servaretur examen, ut Archidiaconus vere testari posset, cum rogatur, an sciat eos dignos esse.

13. Publice & in choro Ecclesiæ faciendæ ordinationes secundum formam Conc. Carthaginensis.

14. An interim, dum hæc executioni mandantur, expediret ut otiosorum Sacerdotum multitudo, exclusis primo illis adeo ineptis, ut nulla spes unquam esse possit eos Ecclesiæ profuturos, munia inferiorum Ordinum exerceret.

De Collatione Beneficiorum.

1. UT disertis verbis conditiones Pastoribus necessario requisitæ declararentur, & hoc Apostolicis regulis, idest, quod compertum esset illas esse juris divini.

2. Si cui deessent illæ conditiones, revocaretur in usum decretum Concilii sub Martino V., quod scilicet beneficio privarentur.

3. An opportunum esset, ut hujus decreti executio præterita etiam respiceret; sic ut Pastores qui nunc sunt, examinarentur, & inepti excluderentur.

4. Beneficia omnia conferrentur alicui ex Diaconis, vel Ecclesiæ ministris, qui jam probati essent, etiamsi beneficia vacarent per cessionem, nulla habita ratione voluntatis ejus qui cedit.

5. Collatio Canonicatuum, & Dignitatum Ecclesiæ, maxime Archidiaconatus, & Archipresbyteratus, qui sunt Vicarii Episcopi, libere ad Episcopos spectaret, reservata confirmatione Summi Pontificis.

6. Uni non committeretur nisi unum ministerium Ecclesiasticum tantùm.

7. Decretum vero Conc. Lateranensis, quo Doctores excipiuntur, & Nobiles, interpretandum esse.

8. Decretum Conc. Tridentini de perpetuis unionibus hactenus factis declaretur, ut quæ utilissimas non habent causas, possent irritæ declarari.

9. Ad electionis Episcoporum decreta, vel id etiam adderetur, ut in Episcopum non eligeretur, qui in ordine Sacerdotali per annos aliquot non vixisset, & boni nominis esset apud eos, quibus præficeretur.

10. Consecrarentur in propriis Ecclesiis, & populo præsente:

De Beneficiorum redditibus.

1. Renovaretur canon Gelasii Papæ, & Triburiensis Concilii decimus tertius de dividendis fructibus in quatuor partes; & declararetur quænam sit pars, quæ Pastori debetur; cum debeat esse modesto victu, modestoque vestitu contentus.

2. Quod tenerentur Sacerdotes, & Beneficiati rationem Episcopo reddere de fructibus sui beneficii; cogerenturque eos juxta Gelasii decretum dispensare. Provideretur forsan per hoc remedium immani sacrilegio, quod hodie viget in Ecclesia. Namque Nobiles aliqui procurant, ut sordido alicui conferatur titulus beneficii, cum ipsi redditus omnes obtineant.

3. Providendum abusui pensionum, secundum formam quam electi Cardinales a Paulo III. scripserunt.

4. Decimæ non solverentur de quotidianis distributionibus, vel de stipendiis missarum, vel de iis quæ necessaria sunt ad victum.

De obeundis ipsis Ministeriis.

1. Declarandum esset residentiam esse de jure divino, si certum aliud remedium non inveniretur ad hoc ut residerent.

2. Cum Pastorum præcipuum sit docere; tales eos esse deceret, & oporteret, qui Pastores designarentur, ut per se ipsos illud officium præstare possent.

3. Quia frequens Concionatorum mutatio plurima sæpe incommoda affert Ecclesiæ, an expediens videretur, ut si Episcopi per se nequeant prædicare, perpetuum eligerent Concionatorem.

4. Quia frustra Evangelium, & Epistola Cathecumenorum legeretur, si populus non intelligeret, saltem qualibet die Dominica hæc a Pastore exponerentur.

5. Quia frustra præscriberetur Pastoribus, ut Missæ doctrinam explicarent, si non essent qui audirent; an opportunum esset, ut provideretur quod Parochiani festis diebus suas adirent Parochias, nam sine observantia hujus canonis non est possibile, ut populus doceatur, & quod Pastor sui pecoris vultum agnoscat. Verum hoc difficile a populo impetrabitur, nisi provideretur quod in Ecclesiis Collegiatis privatæ Missæ non dicerentur populo præsente.

6. Provideretur ut Pastores in exhibendis Sacramentis vim energiamque ipsorum inculcarent, & illorum ritus omnes populo explicarent.

7. Ad tollendam omnem avaritiæ notam, & Simoniæ labem, & suspicionem, providendum esset ne pro sacro ministerio eleémosynas avidius peterent, nec pro missis, nec pro sepulturis.

8. Nonnulli Episcopi, vel visitatores loco procurationum pecunias accipiunt, quas etiam exposcunt, & exigunt. Huic abusui providendum esset.

9. Facilius procuraretur salus animarum, si Ordinarii facultatem haberent dispensandi super irregularitates, & si per impedimenta matrimonii ex copula illicita tandem in foro conscientiæ possent absolvere ab omni censura.

10. Provideretur ut Canonici essent vel Doctores canonum, vel Theologiæ, vel saltem serio studio vacarent.

11. Notariatus Ecclesiæ officium non venderetur, vel annua pensione locaretur.

De Cultu Dei.

1. TAm Breviaria, quàm Missalia reformanda essent, & a multis ineptiis purganda, ut officium novum in totum adhiberetur illis, qui chorum frequentant.

2. Quod certiores aliqui canones, & rubricæ ordinarentur, quibus horæ canonicæ recitandæ essent, quæ ab Ecclesiis omnibus observarentur.

3. Prohibendum ne tempore, vel sacrificii Missæ, vel ceterarum precum actus capitulares pro Canonicis celebrarentur.

4. Sancta esset provisio ad cultum Dei frequentandum, si Ordinarius distributiones quotidianas posset pro his constituere, qui Ecclesiæ inserviunt, de præbendis otiosorum, maxime in illis Ecclesiis in quibus nullæ sunt distributiones.

5. An adhibendus esset aliquis modus numerositati dierum festorum.

6. Quia sacratiores sunt dies Dominici, saltem in his diebus prohiberentur nundinæ, spectacula, & cetera ea, quæ possunt homines a cultu Dei avocare.

7. Tremenda mysteria non celebrentur in privatis domibus.

8. An expediret, ut omnes ministri Altaris, quiqui essent, diebus Dominicis communicarent Missæ cui servirent; ut sic excitaretur populus ad Apostolici canonis observationem, ut præsentes sacrificio Missæ communicarent omnes.

9. In die autem Jovis sancti, ut expressius Cœnam Dominicam imitaretur Ecclesia, an statuendum esset, ut omnes tam in minoribus, quam in majoribus Ordinibus constituti, ex manu Episcopi, vel alterius celebrantis sacram sumerent Eucharistiam.

De Disciplina Ecclesiastica.

1. OBservarentur regulæ ut publice peccantes ad publicam redigerent pœnitentiam.

2. Si possent innumeræ excommunicationes ad pauciora & ad certa capita redigi.

3. Moderandæ quæ in Cœna Domini leguntur, ut est illa quæ contra deferentes arma ad infideles lata est.

4. Excommunicationes non concederentur nisi pro rebus maximi momenti.

5. Renovaretur canon, quod excommunicatus in una diœcesi, in altera non recipiatur.

6. Nullus in Ecclesiastico ordine constitutus a propria diœcesi discedens in aliam non reciperetur sine literis formatis.

7. Modus esset sepulturis adhibendus, cum hodie cadaveribus, ut vultures, multi Ecclesiastici ordinis inhiant.

8. Si aliqua ratione renovari possent canones de non sepeliendis Laicis in templo.

9. Providendum ne passim per urbes, tabernæ, lusus, & artes meretriciæ exercerentur.

10. Canones antiqui circa Judæos renovarentur de commercio, & de habitu.

11. An commodum esset statuere ne inter Christianos, nisi vel serviendo, vel in mechanicis laborando sibi vitam acquirentes morarentur, illis usura penitus inhibita.

12. Quia sine mutuo Politiæ subsistere nequeunt, nec facile invenitur qui gratis mutuet; an aliqua ratio adinveniri posset depositandi pecunias apud Montem pietatis cum lucro ejus, qui depositat, ex quibus egentibus mutuo succurri posset.

13. Canon Conc. Lateranensis revocaretur in usum, ut Medicus ægrotos non curaret, si priùs Pœnitentiæ Sacramentum non suscepissent.

14. Decreto Conc. Lateranensis de imprimendis libris addendum videretur, quod hactenus impressi vendi non possent, qui in primo margine testimonium non haberent manu vel Ordinarii, vel Inquisitoris quod essent repurgati: in illis autem qui in posterum essent imprimendi, in prima statim pagina Ordinarii, vel Inquisitoris licentia concederetur. Qui hanc non haberent, ut suspecti malæque doctrinæ haberentur.

15. Concilia Provincialia ab Apostolicis ordinata in usum revocarentur, in quibus specialiter Episcopi de proventibus suæ Ecclesiæ, suisque ordinationibus rationem redderent.

16. Quia ex constitutis plurimis Archiepiscopis Provinciæ suam amiserunt amplitudinem, in hoc Concilio Provinciæ denuo constituendæ essent.

17. Decretum Conc. Constantiensis de Concilio quolibet decennio celebrando confirmandum esset, & executioni mandandum.

De Matrimonio.

1. Renovandum contra clandestina matrimonia Evaristi Papæ decretum, & declarandum hæc irrita esse, ac nulla.

2. An expediret tollere quarti gradus affinitatem, & consanguinitatem; item impedimenta spiritualis consanguinitatis; item impedimenta publicæ honestatis.

3. An moderanda esset lex de tempore quo nuptiæ prohibentur.

4. Declarandæ conditiones requisitæ ad hoc ut matrimonium non sit clandestinum, sed in facie Ecclesiæ factum diceretur.

De Religiosis.

1. Religiosi claustrales sine speciali sanctæ Sedis privilegio nulla Sacramenta ministrarent, nec prædicarent, nisi habita priùs Ordinarii licentia.

2. Quod is qui facultates audiendi confessiones habuerit, regulas & canones illius Ecclesiæ observaret; & ab absolutione casuum reservatorum abstineat.

3. Conventuales si ad eam vivendi formam quam professi sunt reddi non possent, abolerentur.

4. Interim ab illis cura Monialium auferretur, & Ordinariis, vel reformatis conventibus committeretur.

5. An aliqua ratio inveniri posset, ne tot conventibus civitates gravarentur; sunt enim parvulæ quædam civitates, quæ duodecim habent cœnobia.

6. Religiosi functi officio vel prædicandi, vel confitendi aliquo inde discedentes obtinerent gratis ab Ordinario testimonium, quod ibi rectè, & fideliter munus suum adimpleverint.

7. In Monasteriis, & Abbatiis alicui commendatis Dei cultus manuteneretur; & pars fructuum in usus pauperum illius loci distribueretur.

De

De Monialibus.

1. Renovaretur antiquorum Conciliorum constitutio, quod non instituerentur monasteria Monialium, nisi sufficienter possent de bonis monasterii sustentari.

Petitio facta Legatis Conc. Tridentini ab Episcopis Hispaniarum, & per Archiepiscopos Granatensem, & Bracharensem eisdem præsentata die 17. Augusti anni 1562.

Quamvis multa sint, quæ in Hispaniarum, & Lusitaniæ regnis circa ministerium, & ordinem Ecclesiasticum indigeant reformatione; Hisce tamen malis occurrere sequentibus oportet præ ceteris; quæ prava, proh dolor, proximis hisce maxime quinquaginta annis magno cum animarum, & Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio & periculo, quibus animarum cura incumbit, Ecclesiis intulit consuetudo. Vix enim in quacumque diœcesi, quantumvis etiam amplissima, Rectores proprii reperiantur, & Pastores animarum, qui suo instent ministerio, propriisque resideant in Ecclesiis, quæ illis aut a Summo Pontifice Domino Nostro Sanctissimo, vel ab Episcopis commendatæ fuerunt. Quapropter non possumus non omni conatu salubre quodcumque remedium, ne crescat in dies malum, a sacrosancta Synodo postulare, supplicareque vestris Dominationibus Illustrissimis, ut eo zelo quo cetera solent exequi, & expedire, ut hæc etiam quæ nobis fuerint reformationi maxime convenire visa, Patribus Reverendissimis exponant, ut & ipsi deliberent sint ne hæc, vel alia jure optimo eorum auctoritate decernenda.

1. Primùm enim maximopere optamus, & fervore charitatis in divinæ majestatis obsequium petimus, Ecclesias omnes quibus animarum cura imminet, etiamsi fuerint Jurispatronatus Ecclesiastici cujusque diœcesis indigenis conferantur, his quidem qui vocatis omnibus per edictum generale, moribus, doctrina, & aliis quæ huic obeundo muneri jure sufficiant, reliquos antecellant; prævio super his omnibus examine Episcopi, & aliorum quos eruditione præstantiores ipse sibi delegerit Assessores. Quod si aliquæ Jurispatronatus Laici fuerint hujusmodi Ecclesiæ, Clerici qui fuerint a Patronis præsentati, ab Episcopo non admittantur, nec eis collatio concedatur, nisi ex ejusdem Episcopi, & Assessorum examine constiterit antea præditos eos esse moribus optimis, atque ea doctrina quæ Ecclesiarum regimini jure fuerit necessaria.

2. Ceterum, ut hi, qui obtinent hæc beneficia, quibusque cura commissa est animarum injuncti sibi muneris officio diligentius, optimeque fungantur decerni oportet a sacrosancta Synodo quemcumque talem non justis verisque causis absentem ab Ecclesia sua, vel in ea minime ministrantem Sacramenta, ceteraque præstantem quæ muneris hujus propria sunt, nequaquam acquirere beneficii fructus, & redditus, aut eorum dominium, jusve aliquod, quo vel eos petere possit, & debeat; ipsosque reditus Ecclesiæ pro ratione temporis, quo vel absens fuerit, vel in Ecclesia non ministraverit ipso jure acquiri, pertinereque ad fabricam ipsius Ecclesiæ, vel ad alia quæ ad divini cultus ornatum spectant, vel demum inter ejusdem Parochiæ pauperes ad arbitrium Episcopi dividantur. Hujus vero decreti executio sic Episcopo, vel ejus Vicario incumbat, ut absente Rectore vocato, & citato, quacumque semota appellatione, reditus hujusmodi, Ecclesiæ seu illius Oeconomo realiter, & diligentissime tradi curent, ita tamen ut eorum negligentia minime noceat, aut præjudicium afferat ipsis Ecclesiis, jusque aliquod tribuat

Rectoribus, quos nullum jus unquam in eos acquisivisse, nec eos posse etiam non præsente ipso Ecclesiæ Oeconomo, vel alioqui negligente, vel Episcopo, vel ejus Vicario retinere Synodus ipsa declaret, atque decernat.

3. Liceat tamen quolibet anno Pastoribus animarum, qui Episcopis inferiores sunt duobus mensibus à suis abesse Ecclesiis, petita tamen ab eorum Prælato licentia.

4. Sed quo facilius Rectores Ecclesiarum, & Pastores Ecclesiis sibi commissis residere cogantur, necesse omnino fuerit a sacrosancta Synodo certum aliquem, qui in hac causa servari debeat, procedendi ordinem institui, atque decerni; ut plane Episcopi, vel eorum Vicarii, appellatione quacumque remota, summariaque præmissa cognitione, qua constet, abesse, vel absuisse Rectorem Ecclesiæ vel à diœcesi, vel ab ea Ecclesia sibi commissa, possint per edictum in Ecclesia Cathedrali, & Matrice, propriaque cujusque Rectoris absentis Ecclesia affigendum, absentem à diœcesi monere, citareque, ut intra triginta dies accedat ad Ecclesiam, & in eam ministret Sacramenta, sibique commisso instet, & adstet muneri; vel coram ipso Episcopo, ejusve Vicario legitimas afferat, & probet absentiæ suæ causas, ac justas quibus jure possit, aut debuerit a residentia excusari; alioquin contra ipsum fore procedendum juxta canonicas sanctiones, & hujus sacræ Synodi decreta: Hac eadem admonitione itidem præmittenda illi qui non sit absens a diœcesi per citationem personalem, vel ad domum ejus die ad arbitrium Episcopi, vel ejusdem Vicarii constituenda.

5. Quod si quis intra terminum dierum prafixum non comparuerit, & ad Episcopum, ejusve Vicarium accesserit, nullamve justam, & legitimam attulerit absentiæ causam: Tunc ipse Episcopus, aut ejus Vicarius absque ulla alia citatione per edictum reditus beneficii & Ecclesiæ, ipsius fabricæ Œconomo tradi jubeat juxta sanctæ hujus Synodi decretum, constituta tamen ex eis portione quæ Vicario absentis dari debeat non sit tertia parte redituum minor, arbitrio vero Episcopi, vel ejus Vicarii congrua & sufficiens.

6. Si vero absens coram Episcopo, vel ejus Vicario comparuerit, & aliquas allegaverit absentiæ causas, ad quarum probationem summarié, & simpliciter admittatur quindecim diebus tantum illi constitutis, vel etiam paucioribus arbitrio Judicis. Si tamen Episcopo, vel ejus Vicario visum fuerit non esse excusandum a residentia, isque appellaverit; omnes ejus reditus statim sequestrentur quacumque non obstante appellatione; quæ quidem sequestratio nullo pacto per quemcumque Judicem appellationis suspendatur, aut revocetur, aut inibitione aliqua impediatur, donec per eam quæ rei judicatæ vim obtineat, sententiam, omnino finita causa fuerit; ut tandem hac in re quæcumque proponatur, etiam ad Romanam Sedem ipsam appellatio, devolutionis tantum, non suspensionis causæ habeat effectum. Verum crescente Rectorum contumacia, non obstantibus eorum negligentiis, quæ hac in re non potest non esse perniciosa, his remediis quæ fuerunt hactenus exposita, si octo mensibus ab eorum Ecclesiis absuerint; Episcopi, vel eorum Vicarii juxta Canonicas Sanctiones contra absentem appellatione quacumque remota, procedere conentur ad beneficii privationem; ita tamen, ut si constiterit summarie ipsum esse absentem a Regno, intra cujus fines sita est Ecclesia; aut incertum esse quo in loco habitet is, vel commoretur, sit satis ad privationem eundem absentem per edictum citari; alioquin citatio præmittatur personalis, vel ad domum. Per decretum tamen sacrosanctæ Synodi minime derogetur constitutionibus, aut consuetudinibus cujuscumque diœcesis, quibus fue-

fuerit ordo peculiaris ad privandum ipsum absentem, qui nec residet in Ecclesia sua, beneficio, constitutus. Sitque in arbitrio Episcopi hocce, vel illo ordine procedere, modo eligat eum qui magis Ecclesiæ conveniat, & patrocinetur, ejusque mininisterio.

7. Expensæ vero, quæ ad edicta citationum, & alia fuerint necessariæ in hisce causis, quæ super residentia contigerit intentari, exceptis beneficii reditibus, ad ipsius Episcopi, vel ejus Vicarii arbitrium ministrentur.

8. Utcumque tamen absens ab hujusmodi quicumque fuerit Ecclesiis, etiam ex justis, verisque, & rationabilibus causis, Episcopus vel ejus Vicarius, appellatione quacumque remota, Vicarium idoneum Ecclesiæ ministerio eligat, & præficiat, constituta ei portione ejus etiam arbitrio congrua, quæ non sit minor tertia parte redituum ipsiusmet beneficii, nec ad istam electionem omnino sit necessarius, aut exigendus ullo pacto Pastoris ipsius absentis consensus.

9. Sed & illud oportet a sancta Synodo definiri neminem habentem beneficium, cui cura imminet animarum excusari posse à residentia in ejusdem beneficii Ecclesia, ex eo quod Dignitatem, Canonicatum, aut aliam præbendam in Ecclesia Cathedrali, vel collegiata obtineat, quamvis ex certis Dignitatibus, Canonicatibus, & præbendis nullum quis possit consequi commodum, & fructus juxta earundem institutiones Ecclesiarum, nisi præsens fuerit, & Ecclesiæ illius ministerio serviat: cum longe major, potiorque ratio sit qua quis residere teneatur in Ecclesiis, ex quibus, & quarum ratione cura illi incumbit animarum, quam in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, quæ simplicia nuncupari solent beneficia. Atque hoc decerni æquissimum erit, non obstantibus in contrarium quibuscumque consuetudinibus etiam immemorabilibus, quas esse iniquas, & omnino perniciosas declaret omnes sacrosancta Synodus.

10. Quibus sane optime consultum fuit Ecclesiis, cum alioqnin in tanta doctrinæ penuria, morumque, & disciplinæ Ecclesiasticæ labe & ruina vix earum ministerio reperiantur idonei Sacerdotes: Clerici etenim qui sperant quoquo modo, nulloque prævio jam examine titulos, & reditus Ecclesiarum obtinere se posse earumdem ministerio immunes fore, nec literis operam dare, nec a pravis moribus abstinere, aut emendari satagunt.

Summa Articulorum qui ex parte Cæsareæ Majestatis ab ejus Oratoribus præsentati sunt Legatis Conc. Tridentini ad Ecclesiæ reformationem anno Domini MDLXII.

De reformatione Cleri.

1. Summus Pontifex per sacrum Concilium exhortandus, & orandus est, ut sicuti forsan circa Sanctitatis Suæ personam, statum, & Curiam nonnulla esse perspexerit, quæ emendatione egere videantur, & in melius reformari benigne patiatur.

2. Cardinalium cum nimius numerus possit esse Ecclesiæ onerosus; Summus Pontifex rogandus est, ut hunc statum neutiquam augeri patiatur.

3. Summus Pontifex, & sacrum Concilium provideat ne imposterum fiant dispensationes scandalosæ quibus sacri canones sua penitus auctoritate videantur orbari, aut offendicula aliqua abusu ea ipsa dispensandi potestate indigna nascantur.

4. Exem-

4. Exemptiones contra jura communia revocandæ. Bafilicæ, & Monasteria fub Episcopi diœcesani potestate consistant.

5. Decreta in priori Conc. Tridentino de neganda pluralitate Dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, de personali residentia, & id genus aliis ferio executioni mandanda.

6. Damnandus multarum Cathedralium abusus est, in quibus cavetur ne ullum habeant in Capitulo suo Doctorem; Cum docti viri, & qui vere Doctores sunt, summis præmiis ut adsint, accersiri debeant. Collegia singula scholas erigant juxta Lateranensis Concilii decreta.

7. Episcopi in Cathedralibus Ecclesiis fixam teneant residentiam: nec temere spatientur, nisi suprema id exigat Ecclesiæ necessitas; suaque ipsi per se obeant munia.

8. Turpes quæstus avaritiam quovis modo redolentes eliminandi, quam ad rem consultum forte fuerit, si curatis beneficiis aliqua non curata beneficia incorporentur.

9. Simoniaca labes propellenda, extirpandaque; & in ea culpabiles reperti, semota omni misericordia, severissime puniantur.

10. Humanarum sanctionum multitudo contrahenda, rejectis supervacaneis; nec Prælatorum constitutiones obligationi juris divini æquandæ sunt.

11. Excommunicationum nimia frequentia tollenda, nec extra casum peccati mortalis, & notoriæ incorrigibilitatis hoc terribili excommunicationis gladio abutendum est.

12. Divinus cultus in Ecclesiis graviter, devote, ac reverenter servato omni decoro adhibendus est.

13. Libri Missales, Graduales, Antiphonarii, Legendæ & Breviaria religiose & diligenter recognoscenda, & repurganda: Apocrypha expungenda: prolixitas tædiosa in horariis precibus, & Psalmodia habito delectu resecanda.

14. Utrum in cultus divini, & Sacramentorum administratione liceret alicubi latinis cantionibus vernaculas etiam aliquas pure, & fideliter versas pro populi devotione intermiscere, suo tamen loco & tempore quæ conveniant, nec prophanent divina illa, & arcana Bibliorum mysteria.

15. Monasticus ordo reformandus, & legitimis modis providendum ne tanta Monasteriorum bona ac divitiæ tam flagitiose multis in locis dissipentur; sed in alios atque pios Ecclesiæ Dei utiles usus deputentur, & convertantur.

16. In summa Patres Reverendissimi sic secum statuere debent hoc reformationis opus adeo necessarium esse, ut nisi isto remedio hisce miseriis, afflictisque Catholicæ Religionis reliquiis mature subventum fuerit in septentrionalibus provinciis de universa fide Catholica brevi actum iri videatur.

De Reformatione status Secularis.

1. Cum constet statum Secularem non paucioribus, quam spiritualem vitiis scatere in ipsius subinde reformatione instituenda nemo prætereundus erit: imo ab ipsa sacræ Cæsareæ Majestatis persona, tanquam a supremo status secularis capite initium sumendum.

2. Cæsar autem ipse paratum sese offert omnium actionum suarum rationem reddere; ac si quid ab se delictum fuerit, illud ingenue fateri, & serio emendare.

De

De his, qui ab Ecclesia defecerunt, reducendis.

1. Reverendissimi Patres expendant an non expediat nunc aliquid eorum quæ juris positivi sunt ex severitate Ecclesiasticarum constitutionum relaxandum esset.

2. Ut Laicis sub utraque specie communio concedatur: ut circa jejunia, & esum carnium aliquid de pristino rigore relaxetur.

3. Ut Clericis Matrimonii usus concedatur.

4. Concinna quædam fiat Catholicæ doctrinæ summa, præcipua complectens capita eorum articulorum, qui nunc potissimè in controversia agitantur.

5. Sitque illud doctrinæ compendium populari stylo contextum, & perspicuum pro captu etiam indoctorum Parochorum.

6. Postilla ab aliquot doctis, & præsentium controversiarum peritis Theologis conscribenda eo modo, ut in explicatione cujuslibet Dominicalis Evangelii, aliquis necessarius locus tractetur de aliquo articulo fidei Catholicæ nunc controverso.

7. Et pariter certi aliquot dies per annum festivi seligendi, in quibus alias de Baptismo, alias de Confirmationis sacramento, alias de Cœna Domini, alias de sacramento Pœnitentiæ, & ceteris sacramentis. Item de ritibus & cæremoniis Ecclesiæ conciones descriptæ habeantur.

8. Agenda quædam nova componenda retentis antiquis ritibus, & rejectis novis quibusdam non valde necessariis.

9. Hæc talia scripta auctoritate Concilii, & Romani Imperii, aliorumque Catholicorum Principum edi oportere, & tradi in remotis Provinciis Catholicorum Principum singulis Parochiis cum hac securitate, ne in expositionibus quicquam illi recederent in disceptatione controversiarum à præscripta summa doctrinæ Catholicæ, a præscripta postilla, in administrandis Ecclesiæ Sacramentis, & cæremoniis a præscripta agenda.

10. Collegia pro Theologiæ studiosis erigenda:

11. De scholis etiam particularibus & domesticis habenda cura:

12. Certus Auctorum catalogus publica auctoritate editus concedetur.

13. In latioribus Principum Catholicorum provinciis plures erigendi Episcopatus.

14. De his, qui ex Augustana confessione bona Ecclesiastica eripuerunt, cum recuperatio dictorum bonorum majori ex parte impossibilis videatur; magis cogitandum est, quomodo ad fidem Catholicam revocentur, quam quo jure sint rerum temporalium vindicandæ injuriæ; idque exemplo Sigismundi Imperatoris cum Hussitis, necnon Mariæ Reginæ Angliæ. Hæc omnia præscripta ad examinandum sunt proposita.

Circa varios abusus, qui in Missa subintroducti sunt, fuerunt hæc postulata a Nonnullis Patribus in Conc. Tridentino anno 1562.

1. Proscindantur a Missalibus multa, ut orationes apocryphæ, & novæ; novi introitus, similiter & præfationes apocryphæ, & abusivæ.

2. Certæ rubricæ cæremoniarum præscribantur, quæ ab omnibus uniformiter observentur.

3. Panis ante consecrationem non vocetur in offertorio, Hostia sancta, & immaculata: & neque calix ante consecrationem vocetur calix salutaris.

4. Placeret multis quod non fierent cruces super hostiam consecratam, ne videretur aliquid deesse ad suam sanctificationem.

5. Ab hymno Gloria in excelsis tollantur illa additamenta: Mariam gubernans, Mariam coronans: quæ videntur inepte inculcari.

6. Ad superstitiones pertinere videtur quod quædam Missæ non nisi cum certo numero candelarum celebrentur; & alia digna correctione, ut in missis S. Amatoris.

7. Intolerandus est abusus quod missæ dicantur ad quæstus.

8. Diebus Dominicis dicantur Missæ propriæ, & in festis. Missæ autem votivæ dicantur ante, vel post missam ordinariam.

9. Non celebrentur duæ missæ simul ita propinquæ, ut se invicem impediant celebrantes, & turbent. Nec dicantur missæ privatæ quamdiu dicitur missa solemnis diei; neque interim cadaver inferatur in Ecclesiam.

10. Tollantur de Ecclesia, seu templis non solum cantus prophani, sed etiam cantus occultans literam, qualis est in figurata modulatione.

11. Mandetur executioni caput *cum creatura*; & de celebratione Missarum, ubi jubetur missam pro Defunctis celebrari in Collegiatis.

12. Exterminentur sumptuosa convivia, & tripudia in Missis novis, ac prava consuetudo aliquorum locorum, quod quando aliquis dicit missam novam, debet solvere certam summam Capitulo, vel Ordinario.

13. Cæremoniæ Missæ fiant apte, decenter, graviter, distinctè, nam alias scandalum gignunt, & devotionem populi potius impediunt, quam promoveant: multi enim tam agendo, quam legendo, potius rem histrionicam, & ludicram, quam sacram peragunt. Videntur & etiam dum actualiter consecratur, ridiculis gesticulationibus capitis, & oris rem divinam agunt. Alii post consecrationem ponunt hostiam super capite, ut etiam capillos tangat, cum tamen sic censetur elevanda, ut semper videri possit ab elevante; & eamdem ineptiam circa calicem elevatum faciunt.

14. Nonnulli post paractam consecrationem in faciendis de more crucibus supra hostiam & calicem, magis gesticulari videntur quam cruces signare, ut adstantes vix risum teneant.

15. Quidam stulte devoti, quando ventum est ad illa verba: Agnus Dei qui tollis &c. & Domine non sum dignus &c. ita magno impetu pectus tundunt, ut indignati in seipsos sævire velle videantur. At tunsionem ipsam levem, ac modicam esse decet, ne indignationis, potius quam humilis compunctionis significationem præseferant.

16. Qui-

16. Quidam ita velociter celebrant, ut videantur nihil aliud cogitare, quam fugam ab altari.

17. Item videtur abusus quod celebrantes quotidie, licet peccati mortalis sibi non sint conscii, non confiteantur saltem singulis Dominicis.

Articuli.

Sebastiani Regis Lusitaniæ nomine propositi, & exhibiti Patribus Concilii Tridentini anno Domini M.DLXII. ab ejusdem ad Conc. Trid. Oratore Regis Portugalliæ Domino Ferdinando Martino de Mascarenhas misso.

1. INstituantur, indicenturque per universas Ecclesias, & Monasteria Christiani orbis orationes speciales, & sacrificia pro felici sacrosancta Synodi Tridentinæ prosecutione, & successu.

2. Quibuscumque legitimis, opportunisque remediis omnino curetur, & provideatur, ut Protestantes, & hi homines qui ab obedientia Sanctæ Sedis, & Ecclesiæ Catholicæ recesserunt hactenus, ad hoc sacrosanctum omnes accedant reapse Concilium, & ad ejusdem redeant Fidei unitatem. Huicque ceu ceterorum gravissimo & præcipuo instetur maxime negotio, seu divisis rejectisque invicem Sectariorum partibus, seu cunctis humaniter & amice susceptis, invitatis, atque tractatis, quo tot populorum animarum Diaboli laqueis, & fraude delusarum, & perditarum millia lucri fiant.

3. Eadem etiam uti constituat hocce sacrosanctum Concilium circa Regnum & Regem Angliæ solertia, & vigilantia, ne res illius commoveat; sed toto nisu, arteque fatagat, ut Oratores suos, & Legatos ad hoc sacrum Concilium Regina, supremumque Angliæ Regni Consilium mittant, & cum Ecclesia Catholica conveniant.

4. Nova proinde novi, veterisque Testamenti editio curetur ibidem à sacrosancto Concilio probata, nullaque præter hanc teri, legique permittatur, quâ una editione probata, illius originale servetur, ad cujus fidem accuratissime subinde varia cudi, promulgarique curentur exemplaria, locorum scilicet in quibus edantur invigilantibus Episcopis: quæque circa hujusmodi pridem in hocce Concilio, & civitate Tridentina statutum fuerat ad effectum tandem, & exitum adducatur, & observetur.

5 Committatur a sacro Concilio viris, qui adsunt eruditis, & præsentibus, sive etiam quaqua reperiantur, in orbe degentibus cura recensendi Græca, Latinaque sanctorum Patrum, & antiquorum opera, qui quod in eis ab Hæreticis, aut aliis erratum, depravatumque fuerit, sedulo notent, & omnium omnino singulorum censura conficiatur.

6. Provideatur & caveatur ne per Principum Christianorum ditiones, & provincias hæreticæ pravitatis erumpat virus, & serpat; atque in eam rem, quaqua terrarum parte, Reipublicæ Christianæ, sanctissimæ Inquisitionis officium instituatur, & exercitium cum omnibus a jure concessis eidem auctoritate, gratiis, & privilegiis quibuscumque, moxque reapse vicinis Hæreticorum locis & regionibus, ac ubi necesse visum fuerit & opportunum, exerceatur ejus auctoritas & Jurisdictio.

7. Deputentur a Sanctissimo Cardinalium aliqui vitæ integritate, scientiaque

 cla-

clariores, quibus cura sit præcipua fovendi, promovendique sanctissimæ Inquisitionis officii, quique Sanctitatem Suam eorum, quæ ad sancti hujus officii, bonum conferre posse putaverint, admoneant, & provocent ad illud in sua semper integritate, vigoreque manutenendum & roborandum.

8. Suæ sit Sanctitati gratum & constitutum nullas omnino deinceps concedere literas, Breviaque Apostolica, rescripta, exemptiones, & privilegia in iis, quæ sanctum istud spectare possent Inquisitionis officium, ob id quod infirmis exinde Fratribus oritur scandalum, pluriumque dispendium animarum; demum & quod iis interturbetur & infringatur, uti dicemus infra, sanctissimæ Inquisitionis auctoritas, & exercitium.

9. Ubi vero contigerit aliquos a Sua Sanctitate, quibuscumque latis in jure causis, ad Reges & Provincias Christiani orbis aliquas mitti Legatos, & Nuncios Apostolicos districte caveatur, & inhibeatur hujusmodi quibusvis ne se rebus ad Inquisitionis officium quomodocumque spectantibus, & causis ullo modo immiscere audeant, ut quæ solent ex usu contrario suboriri mala eo modo vitentur.

10. Ne Judæis omnino liceat habitare, conversarique cum Christianis.

11. Summo studio attendatur, & invigiletur firmandæ, fovendæque, quam sancire Deo Opt. Max. placuit, & concessit Christianorum Principum unioni, & paci: cumque Sanctitati Suæ incumbat, ceu Pastori Œcumenico Christianos, sibique subditos & obedientes filios inter se divisos conciliare Principes, mutuamque invicem omnium, ac perpetuam cum illis habere fovereque concordiam & pacem; ideoque necesse omnino habeat æqualem exhibere se singulis.

12. In primis verò procuretur, & promoveatur universalis Ecclesiæ Christi reformatio. Cum enim ex inductis in eam abusibus, & corruptelis, ut plurimum ortum habuerint, & occasiones hæreseon æstuans, & serpens virus; his amotis & emendatis, facilius ad fidem Hæretici revocari poterunt. Horum enim emendatio revocandis ad fidem Hæreticis non parum conducere potest, quod utriusque negotii maxima sit affinitas, unaque tractari debent, & æquo promoveri pede, quæ ad fidem, & ad mores Ecclesiæ spectant; cum ex optimo Catholicorum exemplo, sanctisque moribus, Hæreticorum maxime conversionem obtineri facillime comprobatum habeatur.

13. Antequam Romani Pontificis electio in ipso conclavi facta publicari possit, teneatur omnino solemni juramento promittere, se servaturum ea omnia, quæ fuerint a sacris Ecclesiæ Catholicæ Conciliis, ac maxime Tridentino isto constitutum.

14 Juris Canonici leges omnes, & statuta quælibet ad amussim, & integre serventur, nec in eis, ut fieri videmus, adeo facile dispensare liceat. Ubi vero dispensandi causa subest aliquando legitima, gratis omnino fiat, & Ordinario loci dispensationis causa probanda, discutiendaque committatur.

15. Eâ quâ par est reverentia supplicetur Sanctissimus pro reformanda, si opus fuerit familiâ suâ, tum circa familiarium ejus numerum, cum & vitæ modum, morumque compositionem; utque ab ea quidquid ambitum, & vanum seculi fastum, apparatumque sapit, quoad fieri dabitur opportunum, abiiciat, sitque sic ille ceteris exemplo, & ædificationi.

16. Studeat etiam eadem Sanctitas Sua diligentissime circa S. R. E. Cardinalium honestatem, atque vitæ compositionem; ne scilicet illi unquam personali larvatique prodeant, nec choreis intersint, aleis, tripudis, conviviisque, vel hujus-

hujusmodi Judicris, publicisque secularium deliramentis, qnibus scandalo sint illi populo, qnos utique ceu Principes Ecclesiæ viros, columnasque præcipuas aliis exemplo, vitæque integritate prælucere decet.

17. Inhibeatur omnino, ne quem ad sacram Ecclesiæ purpuram evehat Pontifex Summus annis triginta natu minorem, aut qui vitæ virtutisque dudum exploratæ, probatæque non fuerit, vel qui non antea rude donatus, & laurea doctoratus, saltem in utriusque juris studio licentiatus gradum in aliqua Universitate, prævio severioris examinis calculo probatus obtinuerit: Regum utique, Principumqne filiis, germanis, nepotibusve demptis, quos etsi non promotos, & graduatos, dum vita tamen virtuteque conspicui, & eruditi fuerint, ad purpuram promovere licebit.

18. Statuat insuper Sanctitas Sua, ne S. R. E. Cardinalium numerus nimium in posterum excrescat: aptioresque inter hodiernos Purpuratos Ecclesiæ Patres, & convenientiores eligantur, & retineantur; aliis, quibus cura pastoralis incumbit, excedere jussis, utque tenentur demandatæ sibi Ecclesiæ residere compulsis. Quibus autem nulla forte commissa fuit adhuc Ecclesia, sufficiens, & idoneus a Pontifice sustinendo oneri, & dignitati reditus assignentur, & census. E selectis autem uno deficiente, morteque sublato, qui visus inter ceteros idoneus, & opportunior eligatur, & sufficiatur. Teneanturque hi, qui Romæ commorati fuerint Patres Purpurati semper adesse Sanctissimo. Cumque id præstare nequeant omnino, si Sacerdotiis fruantur, & beneficiis curam animarnm, & residentiam annexam exigentibus; iis utique sponte dimissis, & abdicatis, tantum eis ex Ecclesiæ bonis aliunde provideantur, quantum ad commodam vitam illorum, & dignitatis rationem honorifice servandam sufficerit. Qui vero extra numerum severissime à Summo Pontifice præfixum creatus fuerit, & ad purpuram vocatus & acceptus, in futnris Romani Pontificis electionibus nec passiva, nec activa voce gaudere possit ullatenus.

19. Atque ne numerus S. R. E. Cardinalium aliquando prætergrediatur; nullus ad purpuram à Pontifice promoveri valeat, nisi ex voto, & majoris sacri Collegii partis assensu.

20. Pontifex statim eos, quos ad purpuram promovere volnerit, palam faciat, & nominare teneatur; nec a modo nisi ex rationabili causa, Cardinalium in pectore reservationi locus esse possit.

21. S. R. E. Cardinales ex variis quibusque regionibus, & nationibus a Pontifice deligantur, a quibus ipse de rebus, & singularitatibus uniuscujusque facilius, commodiusque doceri possit & informari. Indncaturque Sanctissimus nequando permittat, aut ferat ullum e S. R. E. Cardinalibns aliquod a qnocumque Principum, & Optimatnm munus accipere, reditumve pecuniæ, vel censum. Neque ipse quemquam ad Regum, aut Principum instantiam, nominationemve, vel commendationem ad sacram a modo promoveat purpuram. Nec Purpuratorum quis delectus à Principibus Protectoris eorum titulo, munereque fungatur: sed unius illi veritatis, & æquitatis veri sint & perpetui Protectores.

22. Nullum e sua familia, consanguineisque intra gradum sanguinis tertium a Summo Pontifice deinceps, aut successoribus ejus imposterum ad purpuram evehatur Ecclesiæ, nec ad Episcopale munus & onus aliquem annis triginta minorem, ceterisque à jure requisitis non ornatum dotibus assumat; aut nisi Doctoratus, aut licentiatus in utroque jure Divino & humano laureati fuerint, vel Regum, aut Principum filii, germani, nepotesque extiterint, quibus ad id satis

 fue-

rit, si competenti doctrina præditi, ceterisque jure præfixis ornati fuerint, & præditi conditionibus.

23. Statuatur insuper circa beneficiorum extra curiam vacantium collationem (salvo tamen jurepatronatus cuilibet Patrono Laico, vel Ecclesiastico) nimirum, ut ad Ordinarium omnino quæque pertineat: saltem ex Curatis beneficiis, Canonicatibus, & Dignitatibus, quas sibi placuerit reservare Summus Pontifex non eas indeterminate seligat juxta mensium seriem, atque delectum vacationis eorum, sed determinate, certarumque beneficia personarum: hoc est, ut dicat, Reservo mihi Joannis beneficia imposterum in perpetuum; sicque constabit Ordinario cujus sit his cum vacare contigerit, providendi jus, & onus. Ubi vero contigerit aliquorum provisionem ad Sanctissimum aliquo quoquo modo pertinere, tunc ab Ordinario cogi possint intra quadrimestre, si citra montes, vel post octimestre, si ultra montes degant, qui sic adepti sunt a Pontifice beneficii provisionem expeditionis suæ litteras obtinuisse, & Sedis Apostolicæ jura persoluisse.

24. Prohibeantur etiam expectativæ omnes, & reservationes, regressusve, & renunciationis cum retentione fructuum literæ, nullæque concedantur, & fiant uniones ad vitam, furtivæque beneficiorum in pectore reservationes, & antidatationes.

25. Omnes etiam coadiutoriarum cum futura successione collationes amoveantur, nec coadiutoriam alicui conferre Prælati valeant, nisi qui ad juris præscripta beneficium ipsum implere, & deservire potens sit, & idoneus.

26. Nullæ deinceps Curatarum Ecclesiarum cum Monasteriis uniones fiant; quæque hactenus iis unitæ non reformatis Monasteriis, vacante Monasterio provideantur ab Ordinario. Iis autem quæ reformatis unitæ sunt Ecclesiæ curiales monasteriis, perpetuus præponatur, & instituatur Vicarius cum idonea sufficientique beneficii portione, quæ duas ad minimum ejus reditus e tribus adæquet, aut superet partes, Rectoresque illarum primarii fabricæ tenebuntur oneribus, & earum incumbent, & invigilabunt visitationi. Eadem omnino ratio habeatur circa easdem a Pontifice Romano collegiis, Universitatibusve, vel etiam Hospitaliis domibus, & communitatibus unitas, aut uniendas. Curatarum vero cum curatis Ecclesiarum unio nulla ratione permittatur, nisi forte eæ sint adeo tenues, exiguique reditus, & census, ut alendo sustentandoque Rectori non sufficiant, adeoque illæ vicinæ sint, & sibi propinquæ invicem, unus ut utrique facile Rector occurrere possit, & sufficere.

27. Nemini prorsus hominum cujuscumque tandem gradus sit, & generis, dispensatio concedatur ut duas unâ simul ille Prælaturas obtineat & possideat; serveturque, circa alterius generis beneficia capitulum *de multa*, nulla in eo dispensatione admissa, vel concessa, nec pro duobus plus una retinendis incompatibilibus beneficiis, quæ tamen obtentæ dispensationes ut vim habeant, antequam executioni mandentur juxta præfati capituli normam, Ordinario probandæ, discutiendæque committantur, & permittantur arbitrio; prohibeaturque ne duas unus una retineat in diversis Cathedralibus Ecclesiis Dignitates, & præbendas.

28. Nulli creentur Episcopi Titulares, nisi causa sic exigente urgentissima, qui scilicet Episcopis alterius ope necessario indigentibus auxiliari queant, quo certe casu certa eis e fructibus ejusdem Ecclesiæ, & Episcopatus, cui inserviunt, & idonea portio decernatur annua & perpetua, qua commode vivere, honesteque gradum & dignitatem sustineant: illique demum assidue teneantur huic inservire Ecclesiæ.

29. Præ-

29. Prælatis omnibus imponatur, & præcipiatur a Concilio suas, ut quique cogant Synodos, conventusque proprio Ecclesiæ habeant singulis saltem quinquenniis, Metropolitanique omnes quolibet saltem decennio Provinciale cogere Concilium teneantur: nec in iis ulla sit imposterum excusatio, vel dispensatio. Jus porro Synodicum, quod ex juris præscripto singulis pendebatur antea Synodis, unica primaque duntaxat vice, & Synodo quam in sua quique Prælatorum primò celebrant diœcesi, recipiat a suis in obedientiæ, subjectionisque signum & fidem.

30. Cum nullo Prælatorum omnino dispensetur, ut cum ea quam obtinet Prælatura commendatum etiam habeat, & obtineat sibi Monasterium, aliudve quodvis Curatum beneficium.

31. Videatur etiam, & decernatur a sacro Concilio circa casus, & causas in civilibus Episcoporum jurisdictioni proprias, ut ab ejus judicio nemini subditorum appellare liceat intra certæ quantitatis, aut qualitatis sacro Concilio visæ, & constitutæ fines. In criminalibus vero causis idipsum pariter a Concilio decernatur circa criminum pœnarumve genus, & personarum, prout utile duxerit, & opportunum. Sic enim Episcopi suas in ordinem facile coercebunt oves, & subditos habebunt obedientes. Simili etiam modo decernendum videtur, & statuendum circa Archiepiscopos, & Metropolitas, ut in casibus, & causis appellationum ab Episcoporum sententiis, & judicio certam adusque quantitatem in civilibus forum eorum extendatur, & jurisdictio; nec ab ea liceat appellare, quod & idem circa criminales decernatur causas.

32. Decernatur etiam omnes, & quoscumque casus qui ad forum interius spectant (iis tantum quæ in Bulla Cœnæ Domini leguntur, exceptis) Ordinariorum uni arbitrio committendos esse auctoritati, & judicio.

33. Districte prohibeatur, ne quisquam omnino Prælatorum, qui causas earum habent aliquas, ob quas eis a jure licet a sua abesse posse diœcesi, possint ulla prorsus ratione, ultra quatuor mensium continuum in annos singulos a suis ovibus, & Ecclesia, sine licentia speciali Summi Pontificis abesse spatium, quam nec ipse Pontifex concedit, nisi de causis ipsis in jure expressis: ac ubi plus absuerint absque licentia prædicta quatuor omnino mensibus, mediam omnino fructuum Ecclesiæ suæ partem illius anni pro rata scilicet absentiæ teneantur in foro conscientiæ refundere pauperibus, & erogare: moneanturque Reges, & Principes, & exhortentur ne quem illorum alio distineant, aut officiis occupent & muniis, unde non residendi causam habeant, aut accipiant, nec eos alio mittant, & a sua diœcesi recedere cogant.

34. Statuatur intra singulos ad minus annos quosque Prælatos omnes suam teneri personaliter obire diœcesim, singulaque illius visitare loca, peractaque visitatione demum, uti jam dictum supra, suam inire, cogereque Synodum, ita ut in his nulla unquam exceptio detur, aut dispensatio, nisi cum legitimum aliquod obfuerit impedimentum, & necessitas, infirmæ videlicet valetudinis, aut ætatis provectioris.

35. Nulla concedatur omnino Prælatis licentia sive privilegium de bonis Ecclesiæ acquisitis ullo modo testandi, nec etiam ex eis capitale quid in perpetuum, annuumque censum & fundum in vita, vel morte constituendi; proindeque illi serio moneantur omnes a sacrosancto Concilio ne variis aut superfluis Ecclesiæ bona dilapidare audeant, aut prophanis.

36. Teneantur, & possint Ordinarii omnes quascumque personas Ecclesiasti-

cas

cas curam animarum habentes, cujuscumque sint illi ordinis, & habitus, aut magisterii (quod de iis intelligendum, qui extra sua degunt Monasteria) visitare sicut a sacro constitutum est Concilio, concessumque fuit a Summo Pontifice residentibus Ordinariis.

37. Exemptiones ab Ordinariorum auctoritate concessæ omnes, & quæcumque revocentur in eo quod a dictis eximuntur Ordinariis, Monasteriis, & conventibus dumtaxat exceptis qui in observantia vivunt, & reformatis, ac vitam in communi fraternam ducunt: Nullumque Capitulum, Dignitas ve nulla subditas visitationi suæ Ecclesias habeat, sed ab Ordinariis omnes omnino visitentur.

38. Ordinandorum examen injungatur, & strictissime commendetur Ordinariorum, Prælatorumque conscientiæ & vigilantiæ; caveaturque ne deinceps ullus sit, aut habeatur locus literis, brevibusque Pontificiis beneficii, patrimoniique, vel Grammaticæ requisitarum a jure conditionum derogatoriis. Qui si quando emanaverunt, Ordinariorum arbitrio probandi committantur, a quibus & de vita, moribus, & scientia debeant examinari.

39. Cum autem plurimi soleant ad scelerum suorum impunitatem, ultionemque vitandam minoribus abuti ordinibus nulla animi, Religionisve consideratione susceptis, ex quo plurima Ecclesiæ Dei scandala sobolescunt; statuatur ne separatim Ordines illi quatuor cuiquam à Subdiaconatu conferantur, nisi Religiosis in suo Monasterio regulariter viventibus, & Adolescentibus actu ministrantibus Ecclesiæ, illarumque servitio deditis, & obstrictis, stipendioque merentibus, quo alantur idoneo, qui necdum etiam ætatem attigere Subdiaconatui requisitam.

40. In quacumque Regni ditione, vel provincia seligantur aliqua, vel aliquæ quæ reperiri possint in eis omnium idoniores, & majorum dotium, eoque digniores munere personæ, quibus commendetur, & imponatur onus, jusque visitandi in eis Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos, deque vita illorum, persona, & familia rationem habeant, & inquirant an illi scilicet oves suas pascant, jusque subditis ex æquitate dicant, Ecclesias suas visitent Cathedrales, illarumque fabricæ decori & ornatui provideant, & modicorum incremento redditiuum, super juribus a Prælatis exactis, & impositis num immodici, modoque indebito, vel absque Regis, Principisque licentia, populique consensu quæsiti cognoscant.

41. Prælatis maxime sacrum hoc inhibeat Concilium ne pœnis excommunicationis adeo se faciles exhibeant infligendis, & ferendis, quas ipsi suis ita passim ordinationibus infligunt, & constitutionibus variis quidem, levissimisque de causis, & occasionibus. Adeoque censurarum, excommunicationum, aut irregularitatum omnium variis & multiplicibus in extravagantibus constitutionibus expressarum vix etiam passim à pluribus, & vulgo cognitarum habeatur conficiaturque catalogus.

42. Nec interdictum etiam, nisi singulare, sive personale, vel locale feratur ullum a Prælatis ob unius, aut singularis personæ culpam, quod & ipsam unam, quæcumque tandem ulla sit, & quocumque pergat, ubique comitetur, & insequatur, locusque dumtaxat unus in quo degebat interdicti lati tempore, aut ab eo lato declaratoque secessit, interdictum se vere habeat, brachiique secularis auxilium adversus eos intelligatur imploratum.

43. Nulli mittantur a Sanctissimo deinceps Apostolici Legati, sive Nuncii cum Legati facultatibus Apostolicis, nisi veris, & a jure Canonico requisitis de causis; nec alias illi, cum mittantur, habeant quàm quæ illis communiter a jure conceduntur.

44. Nec

44. Nec illi cum advenerint Legati, vel Nuncii, sine gravi necessitate, se reformatarum immisceant Religionum, Monialiumve negotiis.

45. Nec pendentes coram Ordinarii jurisdictione lites, & causas coram se advocet, nec per viam querelæ simplicis, aut denunciationis aliquid aggrediatur, nisi ubi de rebus agitur, quæ ad eos spectant, qui nullum habent ibi præsentem in Regno superiorem: Tuncque per viam appellationis illi cognoscere licuerit, ubi nullum habuerit ille superiorem in Regno, ad quem recurrere possint, idque a sententiis utique diffinitivis, seu etiam interlocutoriis vim ta nen diffinitivæ habentibus.

46. Nunciorum Apóstolicorum expeditiones omnes gratis obtineantur, & a Sanctissimo competenter eis aliunde in onera familiæ, dignitatisve provideatur eorum.

47. Synodalibus locorum constitutionibus absque gravi, legitimaque causa non derogetur, quæ scilicet in optimum Ecclesiæ, Clericorumque illorum conditæ fuerint, & a Synodo receptæ.

De Romanæ Curiæ officiis.

1. Nullum omnino toleretur, aut erigatur in Curia Romana, nisi negotiorum expeditioni congruum sit officium & necessarium: statuaturque a sacro Concilio, & decernatur quid, & quantum a quovis, & pro qualibet expeditione mercedis exigere possint & debeant.

2. Nec venalia sint, pretioque certo vel annuo concedantur, aut emantur officia Curiæ Romanæ, vel eis etiam qui non sint exercituri, vel implere ea non valent, tribuantur.

3. Nullæ concedantur facultates imposterum alicui Comitis Palatini; quæque concessæ fuerunt antehac, revocentur.

4. Cum Apostolici fuerint instituendi Notarii, Ordinariorum earum diœceseon examini committantur, qui de vita moribusque ipsorum, & ad bene agendum idoneitate inquirant, & judicent.

5. Provideatur etiam circa Brevia per Cameram expediri solita, quæ quo diligentius examinentur, in Cancellaria prius, ut moris est, discutiantur.

6. Ex Cancellariæ regulis ea seligantur, quæ majoris meriti fuerint & utilitatis in commune bonum, ac justitiæ, quæ in extravagantum editæ formam in corpus juris ipsius inserantur, & incorporentur, ut ad omnium illæ notitiam facilè perveniant.

7. Pœnitentiaria Apostolica a Summo Pontifice reformetur; nec confessionis literæ ab ea concedantur adeo illimitatæ, conscientiarumque noxiæ sinceritati, & puritati, tamque contrariæ Prælatorum, & Ordinariorum jurisdictioni concedantur, concessæque revocentur.

8. Nec in rebus se immisceat Pœnitentiaria, quæ ad justitiam spectant, aut ea demum utantur *vivæ vocis oraculo* clausula, nisi in casibus quæ Pœnitentiaria fori sunt; certusque demum ei præscribatur agendi modus, & ordo.

9. Nullæ concedantur a Pœnitentiaria, sive via, modoque quovis alio tam effusæ, generales & amplæ, nisi justissimis, evidentibusque de causis, ac pro gravitate causæ dumtaxat illæ distribuantur.

10. Profusus ille, tamque generalis Indulgentiarum coerceatur numerus; nec cum aliquas elargitur Sanctissimus, eas alteri communicandi, transferendi-

dique potestatem habeant illi quibus concessæ fuerunt.

11. Pristinus immutetur Indulgentiarum concessionis stilus, & forma, nec ad tot annorum, dierumque myriades extendantur, & numerentur; sed ad quartam dumtaxat, certamve peccatis debitam pœnæ remissionem, & relaxationem extendant.

12. Ubi novæ conceduntur Indulgentiæ, nec suspendantur, nec abrogentur sine urgentissima causa antea concessæ, ac si recentiores forent prioribus efficaciores, cum alias non nisi legitima gravique causa sint ullatenus concedendæ, eaque deficiente, tantummodo revocandæ.

13. Nulla concedatur sententiarum aut decretorum relaxatio, pœnarum ve ob crimen illatarum alicui, nisi gravissimis, æquissimisque de causis, quarum etiam examen, & discussio Prælatorum, Ordinariorumve committatur, & permittatur arbitrio & judicio.

De Beneficiis.

1. IN expeditione Brevium, Literarum, Bullarumve Apostolicarum hisce vel hujusmodi non utantur clausulis ordinariis uti sunt: *vitæ, & morum honestas, & literarum scientia, & grata familiaritatis obsequia &c.* aliisque tenoris ejusdem, nisi cum revera ita se res habuerit.

2. Prohibeatur a Summo Pontifice in Bullis, literisve Apostolicis, clausularum harum, *de plenitudine potestatis, certa scientia, motu proprio*, vel ejusmodi similium sine delectu faciliores usus; quod vitium quodlibet earum eludunt objiciendum, & ne Sanctissimus informari queat impediunt: maxime cum eæ requiruntur, & optantur clausulæ ab impetrantibus partibus, quo sic sibi cautum sit adversus eos qui debent, aut possent opponere, & contra obtentas literas legitime objicere. Tunc enim facile præsumitur impositum Pontifici, falsisque delusum ab eis esse relationibus, & informationibus.

3. Curioni sive Parocho, & Plebano plus unico, simplicique beneficio frui simul non concedatur, nec simplicium, ut vocant, beneficiorum una possidere, nisi duobus quisquam possit. Nec etiam alicui liceat variis distinctisque sedibus, & Ecclesiis geminas obtinere, retinereve præbendas.

4. Quandocumque tandem casu dispensetur a Sanctissimo Domino cum Simoniaco super beneficio, nullum unquam habeat in foro contentioso vigorem & robur, ne cum primum in eo de Simonia constiterit, quandocumque spoliari beneficio non legitime possit & debeat.

5. Nullum uniri posset alicui Cappellaniæ beneficium aut Majoratus, in quo nulla dari possit unquam dispensatio; & quæ fuerunt antehac iis unita, vel annexa revocentur.

6. Nulli Laico cujuscumque beneficii fructus, aut census in commendam concedantur, nisi forte quarumdam Ecclesiarum, quæ Militarium alicui concessæ, vel annexæ sunt ordini.

7. Non conferantur extraneis Romæ beneficia nationibus; nec quæ extraneis jure debentur, inquilinis & naturalibus.

8. Vacantibus in Curia Dignitatibus, & beneficiis, Sanctissimus ipse de personis indigenis, & naturalibus pro ratione beneficii debitis, & requisitis a jure qualitatibus ornatis providere, eaque conferre dignetur.

9. Nulla legitima sit adepta beneficii possessio cujuspiam vigore generis Brevium

vium, literarumque monitoriarum, quibus illius fructus & redditus Apostolicæ Cameræ nomine sequestrari jubentur, horumque Procurator & Minister impetrans ipse simul instituitur.

10. Nulla recipiatur, aut concedatur exceptio, vel dispensatio super ea juris regula *de infirmis resignantibus*, ut scilicet illi viginti solidos ab ipsa renunciatione, seu resignatione dies supervivere debeant: Generalique regula statuatur hujusmodi resignationes in manibus Ordinariorum omnino faciendas esse, secus irritas, nulliusque roboris habendas.

11. Nec huic etiam possit derogari juris regulæ *de verisimili notitia* obitus, adeoque dies ipsa, tempusque notetur expresse in concessionibus, collationibusque concessis a Sanctissimo; nec ita qui prius adeptus est beneficii possessionem, jura turbentur.

12. Nec recipiatur hic litigantium regula, ut in absentium, aut qui desierunt collitigantium jura subintrent, & subrogari valeant.

13. Nusquam dispensari liceat cum filio Clerici patris, ut ille succedat beneficio, etiam mediate, vel ut & aliud in eadem cui pater inservierit Ecclesia beneficium obtineat. Similiter nec ullus Episcoporum filius etiam legitimus aliquam obtinere possit, in qua Prælatus extiterit parens illius Ecclesiæ præbendam. Nec cum illegitimis dispensandi tam facilis sit, communisque dispensatio.

14. Circa vitæ Clericorum honestatem & conversationem qui Romæ habitant, seu indigenarum, seu exterorum alienigenarum Sanctitas Sua plurimum invigilet, hancque reformationis partem præsertim attendat, atque commendet, ut honeste vivere, seque illi habere modeste cogantur.

15. Sacerdotes autem Romæ Laicorum habitu palam incedentes, aut potentiorum, optimatumque vilioribus & abjectis exercitiis & ministeriis ultro sese mancipantes ad arbitrium graviter puniantur.

16. Nullus porro Clericus beneficio gaudens cui cura animarum est annexa, possit abesse ab illo sine sui licentia Prælati (quam illi, nec sine causa justissima, & jure cavetur, ille concedere debet.) Qui vero per integrum & continuum trium mensium absuerit absque prædicta Prælati licentia spatium, ejusdem incurrat ipso facto beneficii suspensionem; qui per sex absuerit menses continuos absque Prælati licentia, beneficio ipse privatus ipso jure censeatur & existat: confirmenturque, quæ circa hujusmodi antea Concilio præcedenti sancita sunt.

17. Strictissime prohibeatur Confessariorum Clericorum, vel Fratrum, & Regularium cuicumque testamenta conficiant infirmorum, vel eosdem decumbentes infirmos alliciant & provocent ad testandum, ut illi scilicet facultates suas, vel eorum etiam partem aliquam sibi, vel Ecclesiis suis, aut monasteriis eorum addicant, & tradant, nulliusque sint omnino roboris & momenti sic ab eis inducta testamenta, quantum ad ea quæ illos spectant, Missas menstruas aut annuarias, & quascumque eleemosinas sibi vel Ecclesiis assignatas, Religiosi majoris excommunicationis pœnam incurrant; Clericis vero secularibus spiritualis aut corporalis etiam eis imponatur ad arbitrium pœna.

18. Nullus ab Ordinario non approbatus Confessarius, nec examinatus a quocumque licentiam & privilegium habente sibi confessarium eligendi, possit unquam eligi, & assumi in Confessarium. Nec ad confessiones exponere possint ullum excipiendas superiores ordinum absque prævio Ordinariorum examine.

19. Non dispensetur cum iis qui notabili deformitate laborant, ut ad ordines sacros promoveantur.

De Pensionibus.

1. Nulla sine gravissima causa concedatur alicui pensio cum clausula transferendi eam alteri; nec etiam admitti possit & concedi super beneficiis, quæ summam triginta millium Regalium Lusitanicorum, seu librarum ducentarum Gallicarum annui redditus non excedunt.

2. Nec concessa possit excedere tertiam partem fructuum, seu redditum annui beneficii ulla pensio, nec absque gravissimis, æquissimis, urgentissimisque causis ullatenus concedatur; quibus certe deficientibus minime sunt hisce gravandæ pensionibus Ecclesiæ particulares. Nec dispensari liceat cum Laicis, ut etiam ipsi pensionibus super beneficiis ullo modo gaudere valeant.

Circa Religiosos.

1. Regularibus ad solemnes & indictas ab Ordinario loci publicas supplicationes seu Processiones accedere, & adesse recusantibus cujuscumque tandem illi fuerint ordinis Regularis etiam Mendicantium, pœna imponatur & præscribatur, quam etiam incurrant iidem ubi supplicationibus a Sanctissimo, vel a Prælato de gravissimis, & majoris momenti causis indictis, & præscriptis interesse noluerint, aut omiserint.

2. Facilè non concedatur licentia Regularibus susceptam regulam, & professum ordinem dimittendi, ut ad laxiorem transeant Religionem, aut ad Canonicos Regulares, nisi ad eorum domos reformatas, ea scilicet conditione, ut ab earum Præpositis & Superioribus illi recipiantur, & cum aliis vivant, nec extra domos illas vivere, vel errare permittantur.

3. Non concedatur Monialibus ulla facultas & exemptio deferendi habitum ordinis sui, vel mutandi illum, vel etiam a monasterio recedendi. Quibus vero concessa fuerit aliquando, præcipiatur eis, & injungatur ut intra certum temporis spatium ad sua redire teneantur monasteria, quæ & illas pariter admittere redeuntes, humaniterque, & charitative recipere tenebuntur.

4. Prohibeatur omnibus Provincialibus, Ministris, Abbatibus, & Superioribus ordinum quorumcumque, Confessariisve Monialium, ne dum his illi funguntur muneribus, & præsunt pro receptione consanguinearum suarum dotibus necessaris non præditarum in monasterio possint supplicare, & intervenire; idemque præceptum extendatur etiam ad Abbatissas, quas omnes triennales esse, non perpetuas, aut diuturniores expediret.

5. Districtè, subque gravioribus pœnis inhibeatur claustralibus Monialibus, ne possint illæ Novitias recipere, Laicarumque operas apud se locare, vel uti ministerio possint.

De Matrimonio.

1. Nec quartus, nec tertius etiam affinitatis, consanguinitatisque gradus contrahendo nihil obstent imposterum legitimo Matrimonio.

2. Nulla etiam eidem obstet contrahendo cognatio spiritualis, quam quæ levatum inter, & levantem oritur.

3. Publicæ vero honestatis impedimentum vulgo dictum omnino revocandum ab aliquibus censetur.

4. Ut

4. Ut autem innumeris quæ, matrimoniorum clandestinorum occasione, frequentissime sobolescunt & oriuntur, scandalis & corruptelis obviam eatur, statuatur adolescentium, & puellarum, & personarum, quæ sub cura patris aut matris, aut cujusvis alterius earum educationi præpositæ personæ subsunt, occultè clamque datum, aut absque patris, aut matris, sive curam earum agentis personæ consensu sponte datum, clamque sic & occulte præstitum earum matrimonio consensum omnem esse, foreque nullum, & invalidum hujusmodi matrimonium, dum tamen ætatis annum nondum excesserit filia vicesimum quintum, quam si illam superasse constet ætatem, ratum habeatur eo casu matrimonium tum ætatis ratione, quæ tunc omnino consilii capax, & idonea, tum in pœnam ipsarum, qui puellæ nondum providere curaverunt, distuleruntque parentum, tutorumque negligentiæ.

5. Prohibeatur etiam, ne prorsus ulla devolvatur ad Curiam Apostolicam matrimonialis causa per appellationem, qua misellæ vexantur persæpe, pauperesque feminæ viris suis sic orbatæ, quod nec illis ob egestatem a vexatione se redimendi remedium sit, nullumque mittere, vel constituere, conducereve pretio possint illic procuratorem, nec eo possint illæ decenter & honeste proficisci, seque personaliter sistere. Quocirca causas omnes hujusmodi committendas in partibus, & definiendas esse statuatur.

De Judiciis Ecclesiasticis.

1. Ecclesiasticæ quæcumque tandem lites, & causæ semper ipsis in partibus agitentur, & judicentur in prima instantia; ubi vero causa instructa sit, & judicata fuerit, ab ea licet appellare, & Romæ in Curia prosequi, vel in partibus agitanda, prosequendaque committatur, si modo reus, aut actor aliquod habeat personale privilegium, aut officii ratione; nisi is Episcopus extiterit nullum agnoscens in Regno sibi superiorem; aut his agatur de Prælatura.

2. Sic imposterum judicii, ad quem cognoscere de causa liceat, gravaminis, appellationis, aut interlocutoriæ, ut litis decisionem ipsam sibi avocare, judicique, a quo subducere nequeat donec ille Judex a quo diffinitivam super ea tulerit sententiam; ubi vero parti suspectus fuerit ipse Judex a quo, ipsa suspicionis intenta causa separatim agitetur & terminetur a Judice ad quem.

3. Appellationes vero prædictæ gradatim factæ dumtaxat admitti possint, nec omisso medio.

4. Provideat Sanctitas Sua sibi per Regna, & provincias orbis Christiani universas viros aliquos idoneos, & sibi gratos eligi, & constitui, quos super causis Apostolicis cognoscendis ipsa proponat & committat, qui & ex variis diversisque Regni cujusque diœcesibus eligantur, & sic à fidis sibi viris Apostolica Sedes informationem hanc accipiat.

5. Horum autem sit delectorum a Sanctissimo virorum, ubi deesse contigerit, aut alias impediri legitimè ne huic imposito sibi vacare queat muneri, ipsimet aut iidem ipsi, a quibus Apostolica Sedes informari debet, illud ei opportune significare satagant, aliumque loco ipsorum, qui sufficiatur & inserviat Sanctissimo suggerere & proponere.

6. Executoriales omnes literæ in causis Apostolicis obtentæ, vel emanatæ delegatis, delectisque viris, & judicibus omnino committantur.

7. Iidem ab Apostolica Sede delegati, delectiqoe Judices, vel Ordinarii, si mo-

modo Conservatores Ordinum fuerint, Ecclesiarumve Romano Pontifici immediat. subjectarum Collegiatarum, vel ubi Conservatorum quis in conservatoriis literis nominatus, & constitutus non possit cognoscere de causa, qui Conservator assumptus est, eam alteri Judici demandare possit in conservatoriis ejus literis denominato.

Caput ultimum de Concilio.

1. QUæ superiori nuper agitata, sancitaque fuere Concilio confirmentur, & ut ea quæ hoc etiam statuta fuerint, observentur, & quæ jure ipso sancita sunt firma permaneant; statuatur ut annis quibusque viginti saltem generale Concilium in Ecclesia celebretur nisi aliter Summo Pontifici visum fuerit.

2. Deligantur hoc in sacro Concilio viri scientia, & probitate conspicui, qui constitutiones omnes humanas, sive Canonicas, sive regulares ordinum peccati capitalis reatum inducentes & obnoxias excutiant, diligenter, & exponant, videantque num ab ejusmodi reatu, pœnaque quædam earum eximenda, temporalique potius pœna servanda & retineoda, quidve circa hæc omnia statuendum fuerit & observandum aperte declarent.

3. De Romani correctione Calendarii quo meliori convenientiorique facienda sit modo decernatur.

4. Jam vero cum veram optatamque sortita fuerit Ecclesia Catholica reformationem & veritatem de opportunis quibus illa se ab hostium, impiorumque tueatur injuriis & conatibus, efficaciter, & cum effectu deliberetur & decernatur maxime vero qua tandem via Turcam illum adversarium ejus atrocissimum, & indefessum atterere, profligareque potuerit, & quid ad hocce consilii visum fuerit opportunum, & necesse statuatur.

5. Demum ut innumeris obviam eatur & petitionibus, & scandalis, statuatur nullam iniri posse veram & legitimam a quocumque beneficii possessionem vigore cujuscumque Brevis Apostolici, vel provisionis, nisi prius exhibitum fuerit & approbatum illud ab Ordinario; aliàs vero nullam esse possessionem, & irritam: Nonnunquam enim falsis, mentitisque titulis, supposititiisque membranis, & adulteratis aliqui possessionem ineunt & usurpant: decernaturque ipsis etiam Ordinariis pœna, qui in ea neglexerint inquirere.

FINIS.

COL-

COLLECTA

EX GESTIS

CONCILII TRIDENTINI

A VENERABILI SERVO DEI

BARTHOLOMÆO

DE MARTYRIBUS

ARCHIEPISCOPO BRACARENSI.

Anno Domini M.D.LXII. quando ſub Pio IV. iterùm Concilium Tridentinum congregatum eſt.

COLLECTA
EX GESTIS
CONCILII TRIDENTINI,
Cui interfui Ego Fr. BARTHOLOMÆUS Archiepiscopus Bracarensis, anno Domini MDLXII. quandò sub Pio IV. iterùm congregatum est.

Concilium apertum est die decimâ octavâ Januarii 1562. primâ Dominicâ post octavam Epiphaniæ.

Secunda sessio celebrata die 26. Februarii, & in eâ sunt ad Concilium invitati Hæretici, dato eis salvo conductu; & propositum est quod eligerentur aliqui Prælati ad conficiendum Indicem, vel cogitandum de opportuno remedio contra pestiferos libros. Horum Prælatorum unus ego fui.

Ante hanc sessionem fuit inter Patres controversia, an in titulo decretorum esset dicendum, quod hæc Synodus repræsentat universalem Ecclesiam. Quia tamen plures dixerunt, quod non; ideo non fuit positum.

In hac sessione fuerunt lecta decreta tam Concilii, quam Papæ, quibus Primates non haberent locum absque præjudicio suarum dignitatum.

Post secundam sessionem, multis congregationibus agitatum est inter Patres, an expediret discutere, disputare, ac deinde definire an residentia Pastorum sit de Jure divino; & divisi sunt in varias sententias, quibusdam dicentibus, quod sic, aliis quod non; & tandem cum major pars nollet dictam quæstionem statim discuti, (quibusdam paucis totaliter repugnantibus ejus discussioni, aliis pluribus dicentibus non esse examinandam, nisi priùs conscio Papa) dilata est controversia, quando ageretur de Sacramento Ordinis, quamvis Hispanorum maxima pars, & aliqui Itali postularent, quod statim tractaretur. Volo tamen hic breviter annotare utriusque partis fortiora Argumenta.

QUOD SIT DE JURE NATURALI, ET DIVINO RESIDENTIA PROBATUR.

PRimo tùm quia pascere est inseparabile ab officio Pastoris; pascere autem non potest fieri sine residentia. Et quod pascere sit onus personale, & non nisi per Pastorem factibile, probatur, quia Dominus Joan. 10. ponit differentiam inter Pasto-

florem, & mercenarium *cujus non sunt oves propriæ*. Ex quo sequitur quod omnis Vicarius Pastoris proprii sit mercenarius, utpote *cujus non sunt oves propriæ*; ac proinde sequitur, quod pastura mercenarii non sit pastura Pastoris; ac denique sequitur, quod illa pastura, quæ est propria Pastoris, & a qua Pastor dicitur, per solum ipsum potest exerceri: quia quantumcumque mercenarius sit doctus, & sanctus, ejus pastura non est Pastoris.

Secundo probatur. Sponsus, sive maritus separari non potest a conjuge, quæ illi convivat relinquendo Parentes & Patriam.

Tertio. Quia non potest caput separari a corpore.

Quarto. Si interrogetur Aristoteles an ex vi juris naturalis tenetur Medicus qui data fide, & annuo stipendio accepto se obstrinxit incumbere, & curare quoddam hospitale infirmis refertum innumeris, sive Nauclerus navim gubernare, vel Dux etiam exercitum dirigere; irrideret haud dubie interrogantem, ceu indubitatam sibi quæstionem propositam.

Quinto. Si jus humanum est quod a primo principio nihil differt, utrum sic, vel aliter fiat: Quis auderet dicere, quod antè quam essent jura humana præcipientia residentiam nihil differebat (quoad bonos mores attinet) residere, vel non residere.

Sexto. Ad hoc exstant infinita testimonia scripturarum, quorum sola loco citabo; numerorum 18. v. & 27. v. Matthæi 10. v. 15. Joan. c. 20. v. 24 Actuum c. 20. v. 13. prima Petri c. 5. v. 10. prima ad Timoth. c. 5. v. 7. prima ad Corinth. c. 9. Ex epistola ad Timoth. & Titum.

Septimo. Quis dubitat quod, cum eligitur Præsul, Prætor, Gubernator, eligitur personalis industria? Ergo a fortiori munus Episcopale est personale, nec potest per alium exequi.

Octavo. Si esset præceptum juris humani posset abrogari per contrariam consuetudinem; imo jam esset abrogatum, cum plurimi non resideant: item possent homines excusari ab eo multis rationibus, & causis, sicut excusantur a præcepto jejunii. Insuper scientia, & tolerantia Papæ posset excusare Romæ commorantes. Insuper & dispensatio Papæ etiam sine rationabili causa excusaret non residentem a transgressione præcepti.

PRO CONTRARIA SENTENTIA AFFERTUR.

1. Quod tota Ecclesia est unum civile corpus, cui toti Deus præfecit Petrum, ac Papam, tanquam universalem Pastorem, cui soli dixit *Pasce oves meas*. Soli, inquam, aliisque exclusis ut (inquit Cajetanus) patet ex præmissa comparativa interrogatione *Simon diligis me plus his?* Ex quo patet quod intendebat ei committere munus, quod aliis non committebat; nam cum dixit: *Pasce oves meas*, nullis exceptis, etiam comprehendebat reliquos Discipulos, Andræam, Joannem, Jacobum, & omnes homines do tibi in oves. At quia Petrus per se ipsum non poterat oves totius Orbis pascere, & gubernare, statuit, quod Petrus assumeret sibi adjutores in partem sollicitudinis. Unde omnes fatentur, quod Officium Episcopale est de jure Divino, neque posse Papam non creare Episcopos: hinc ergo se habent Episcopi ad Papam, sicut rivuli ad fontes, sicut radii ad solem, sicut rami ad radicem, sicut si Rex constitueret aliquem Generalem Ducem exercitus, diceret ipsi; Tu tua voluntate, & prudentia constitue inferiores, & particulares Duces, Tribunos & Centuriones &c. Et sic Deus con-

constituit Petrum universalem pastorem totius gregis, & commisit ei, ut constitueret sub se particulares Pastores, qui sibi viderentur necessarii. Esto enim dicatur, Actorum cap. 20. Episcopis: attendite gregibus, ubi vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos; non sequitur, quod Christus immediate instituit Episcopos, sed mediante Petro, vel Papa.

His suppositis, arguitur sic. Papa comparatur dicto Duci Generali, aut cuidam universali Medico, cui datum esset instituere particulares Medicos per singula hospitalia. At manifestum est quod posset ille Generalis Dux, vel Medicus dare licentiam cuilibet suorum inferiorum substituendi alium loco sui, & interim occupare ipsum in alio negotio, quod sibi videretur majoris importantiæ, sive multo, sive parvo tempore, (quamvis peccaret, si sine rationabili causa ipsum impediret ab exercitio sui muneris; ille tamen excusatus esset, quoniam non incumbit inferiori illa particulari cura nisi quatenus universalis curator, vel Medicus injunxit; Ergo Papa jubente vel dispensante eum aliquo Pastore, quod non resideat, & loco sui ponat alium præsertim quando hoc agit ex justa, & rationabili causa non exit extra limites suæ potestatis, ac per consequens sequitur, quod nullus Pastor inferior Papa tenetur residere ex jure naturali, & divino, sed solum humano; alioquin non posset Papa cum eo dispensare.

Et confirmatur; nam si Rex à Deo institutus, ex potestate sibi data constitueret per singulas civitates Gubernatores, Prætores perpetuos, nonne iis institutis, posset quemlibet eorum ad se vocare, vel in aliis eos occupare, & ut interim per substitutos civitates gubernarentur, permittere? Quare & illud ipsum Papa non poterit? Ergo residentia non est juris naturalis, vel divini.

Ad hoc occurrit tamen respondendum, negando ultimo illatum reliquis concessis; dico quod hæc consequentia non valet in illis casibus; Prætor enim, Medicus, Episcopus, vel Parochus non tenentur residere, nam residentiæ obligatio non est de jure naturali, vel divino tunc: quando enim dicitur quod illi tenentur residere ex jure divino, vel naturali jure, intelligitur quamdiu non aufertur ab eis potestas, vel quamdiu non suspenditur exercitium suæ potestatis a potente suspendere, vel quamdiu non impeditur exercitium à rationabili, & legitima causa. Et hoc tertium addo ob epikejam, seu æquitates, quas præceptum residentiæ, cùm sit affirmativum, permittit. Potest enim Episcopus, vel Parochus absque licentia superioris exire diœcesim suam ad visitandum amicum, ad solatium, ad breve tempus unius scilicet, aut alterius hebdomadæ.

Similiter non valet; Residentia est de jure divino, ergo non possunt esse casus necessitatis, in quibus liceat abesse, sicut non valet: non edere panes propositionis est de jure divino: ergo non poterat David eos comedere, nec eos Heli poterat ei porrigere. Observantia Sabbati est de jure divino, ergo non licebat Machabæis tunc belligerare. Vincit enim jus naturale divinum, quando simul concurrunt, sicut divinum vincit humanum quando simul concurrunt. Potest autem Papa interpetari, seu declarare, in quibus casibus non obligat jus divinum de residentia. Non potest quidem dispensare in divino jure, quando dispensare est tollere vinculum legis quoad aliquem: potest tamen declarare legem Dei, scilicet quod in tali casu non obliget, quia hæc est natura præceptorum affirmativorum.

Denique rationes allatæ pro posita sententia videntur efficaces: ideo illa vera videtur. Et adhuc suadetur: de jure divino est, quod in Ecclesia sint Episcopi, ac Pastores particulares, vel universales Pastores: Ergo probabile est de jure divino esse residentiam personalem eorum in suis diœcesibus.

Antecedens probatur ex Paulo ad Ephesios c. 4. v. 11. ubi dicitur, quod sicut *Deus posuit in Ecclesia Apostolos, & Evangelistas*, ita & *posuit Pastores, & Doctores*. Nam esse Pastores, nihil aliud est quam esse Doctores, ut dicunt Sancti PP. & Actorum 20. dicitur: *attendite Gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus posuit Episcopos &c.* Nam Dominus post resurrectionem instituit Petrum universalem Pastorem, & ante Passionem instituit omnes Apostolos Episcopos, alioquin non applicasset Petrus ad Judam illud, *Episcopatum ejus accipiat alter*. Igitur institutio Episcoporum in genere à Christo est. Institutio vero eorum in speciali, ac diœcesum divisio ad Papam pertinet: Hæc enim particularia ipsi sunt a Deo commissa; ipsius enim est dividere unam diœcesim in plures, vel ex pluribus unam facere, vel ob defectum Pastorum, seu ob alias urgentissimas causas, duas finitimas diœceses eidem commendare; ut aliquando fecit Gregorius Papa.

Consequentia probatur: quando functiones essentiales Episcopi sunt docere, gubernare, & conjungunt residentiam cum Episcopo.

Neque valet: residentia est medium ad salutem animarum tamquam ad finem: Ergo quando Episcopus potest habere Vicarium doctiorem, & sanctiorem se, Ecclesiæ utiliorem, quam ipse sit, satisfacit, si illum substituat, esto non resideat. Neque, inquam, consequitur; est enim similis huic ista consecutio. Ego committo alicui viro sancto ut divinum pro me dicat officium, ut jejunet, aut vice mea Missam audiat; ergo per me ipsum ista non tenebor exequi, & præstare. Sunt enim quædam debita personalia, quæ per alium impleri vix possunt cujusmodi Pastoris onus. Unde Apostolus 1. ad Timot. c. 3. v. 2. ait *oportet Episcopum esse Doctorem*, non dixit, inquit Cajetanus, *oportet Episcopum habere Doctorem*. Sed arguitur: Jurisdictio Episcoporum pendet ex Pontificis arbitrio, & voluntate; ergo & ab eodem residentia pendet. Ad hoc hicitur, quod jurisdictio Episcoporum est duplex: quædam essentialis officio Episcopali, scilicet pascere docendo, prædicando, consecrando; & hæc non pendet ex arbitrio Pontificis, sed inseparabiliter officium istud consequitur (quamvis Episcopum ab ejus executione suspendere possit Pontifex ob culpam) & ad hanc requiritur residentia; alia est jurisdictio judicialis secundum quam Episcopus judicat suos subditos puniendo, vel absolvendo; & hæc pendet ex arbitrio Papæ; & ideo potest arctare in hoc potestatem Episcopi, ut eximendo personas aliquas a jurisdictione Episcopi, vel reservando sibi absolutionem certorum casuum; & hæc non ita exigit residentiam.

Circa hoc præsciendum est, quod 68. Patres petierunt absolute quod declararetur residentiam esse de jure Divino necessariam; & 45. idem illud petierunt, prius tamen consulto Pontifice. Alii vero 30. numero, dixerunt non placere sibi quod declararetur residentiam esse de jure divino; & hi triginta fuerunt Itali Hispani cum Episcopo Parisiensi, & multi Itali fuerunt in posita sententia prima, quod absolute deffiniretur. Hoc fuit die 20. Aprilis anno 1562. Quando igitur illi qui vota sua remittebant ad arbitrium Pontificis, adiuncti fuerunt illis omnibus, quibus non placebat hæc definitio, fuerunt numero plures, quam illi qui postulabant discussionem, & declarationem hujus veritatis. Ideo res delata est quibusdam Cardinalibus, qui suadere conati sunt Pontifici, non expedire hanc quæstionem ventilari, quamvis de hac nihil ex parte Pontificis fuerit publice responsum Concilio. Accidit tamen Regem Philippum, prope finem Julii, scribere ad Episcopos suæ ditionis, quod displicebat ei quod insisterent in negocio

re-

residentiæ. Et ideo cœpit negotium magis tepere non defectu zeli Patrum, sed considerata impossibilitate rei contra quam Rex Philippus, & maxima pars Concilii se opponebat; quamvis Philippus potius tacendo, quam resistendo obstaret, qui dicebat quod non nimis in hoc insisterent.

Cum petierunt Patres quod declararetur residentiam esse de jure Divino, postulaverunt etiam quod adhiberentur pœnæ contra transgressores, puta, quod absentes sine justa & urgenti causa (apprnbanda vel a Papa, vel a Metropolitano, vel a duobus Suffraganeis) non facerent fructus suos in foro conscientiæ pro rata temporis suæ absentiæ, neque possent conferre aliqua beneficia tempore absentiæ, sed conferrentur à Capitulo.

Post prædicta, occurrentibus diversis difficultatibus, & impedimentis, factæ sunt duæ sessiones vacuæ in quibus nihil decretum est; sed dumtaxat mandata diversorum Oratorum lecta. Prima (quæ in ordine est 3.) fuit 14. Maii: Secunda (quæ in ordine 4.) fuit 4. Junii.

Inpedimenta præcipua duo fuerunt: primum discordia inter Oratores Principum, circa expressionem, vel non expressionem, quod erat continuatio Concilii. Nam Orator Regis Philippi instabat quod explicaretur esse continuationem inchoati pridem Tridentini Concilii. Orarores vero Cæsarei, & Gallici contrarium petebant. Secundum impedimentum fuit circa residentiam. Hispanis aliud admittere decretum, aut proponi nolentibus, quoad usque discuteretur, & definiretur an illa juris esset Divini, vel non.

Die vero sexta Junii, propositis novis quæstionibus circa communionem sub utraque specie, cum adhuc instarent Hispani Patres in exigenda dicta declaratione de residentia, Cardinalis Mantuanus promisit se, Legatosque proposituros hanc quæstionem opportuno postea tempore. Hanc autem ille fecit promissionem ad meam exactionem, & instantiam. Ego enim hac oratione in summa sic exigebam, & urgebam scilicet; Nos Episcopi jure, ac in rigore justitiæ postulamus hujus veritatis declarationem. Hoc autem exigimus duplici ratione. Prima, in quantum Pastores, quos non potest excusare divini juris ignorantia, præsertim in his quæ maxime spectant ad Pastoris officium: Volumus ergo scire, an jubeat Deus ut resideamus, an non. Secunda, in quantum Procuratores nostrarum Ecclesiarum Parochialium desertarum, & orbatarum suis Rectoribus. Conqueruntur enim illæ per os nostrum de maritis suis perfidis, qui nolunt eis reddere debitum officium; sed auferentes dotem redditiuum fugiunt a suis sponsis, idest, Parochiis. Postulant ergo quod declaretur an violent jus divinum deserentes suas sponsas, & soli ovium lacti, & velleri inhiantes.

Quinta sessio celebrata est die 16. Julii, ubi de usu Sacramenti sub utraque specie actum est, & alia ad reformationem pertinentia.

In tertio Decreto, ubi de concertanda tertia parte Præbendarum in distributiones quotidianas (ubi nullæ, vel quasi nullæ erant) petierunt multi Hispani, quod idem fieret ex redditibus Dignitatum non residentium. Esto habeant redditus suos extra mensas Capitulares, ut non otiose comederent Ecclesiæ bona. Sed dilata est resolutio in aliud tempus, scilicet in sextam sessionem, ubi decisa est. Et quando ego in hoc satis institi, dicebant multi quod in gratiam meam hoc præstabant.

Cum in dicta sessione quinta Patres interrogarentur de quorundam verborum additione, quæ non fuerant antea examinata, ut responderetur illis verbis *Bibite ex eo omnes*, & cum cepisse varia dicta, allata est tertia pars.

 Et

Et ob verba ejus conclusum est, quod non adderentur aliqua verba absque majori examine.

Sexta sessio celebrata est die 17. Septembris, in qua de altissimo Missæ sacrificio dictum est. Displicuit tamen nonnullis Patribus, quod poneretur secundus canon de institutione Sacerdotum per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem &c.* quæ esto res esset, videreturque probabilis, non tamen videbantur sufficienter discussa. Quia tamen hi paucissimi erant 50. aut 52. circiter, & aliis videbatur sufficienter discussa res, & examinata, ideò & definita est.

Mense Octobris ejusdem anni 1562. Orator noster Dominus *Ferdinandus Martinus Mascareñhas* instanter scripsit Papæ super quinque punctis pertinentibus ad reformationem, scilicet 1. Super Cardinalibus non creandis ante annum quadragesimum suæ ætatis. 2. De beneficiis conferendis per Episcopos prævio examine. 3. De dispensationibus gratis dandis, & quando imponerentur pœnæ pecuniariæ, illæ expenderentur in piis operibus. 4. Quod non conferantur incompatibilia. 5. Demum quod Synodi celebrarentur Provinciales. Et hæc postulata sunt ope Romani Oratoris nostri Domini *Alvari de Castro*, qui etiam addidit alia tria, quæ gerebat in sua instructione. 1. Quod nulli filio beneficium conferretur in Ecclesia, cujus & Beneficiatus esset, aut fuisset pater ejus. 2. Quod nullus alteri concederetur in coadjutorem, & futurum successorem, nisi jam talis esset ut statim ei merito beneficium istud conferri posset. 3. Quod omnes causæ in prima instantia deciderentur in partibus: Causæ vero matrimoniales quoad omnes instantias in partibus expediantur.

Ad primam autem Domini Martini Ferdinandi Mascarenhas Oratoris Tridentini petitionem Papa respondit, quod ipse libenter id faceret, nisi Patres contradicerent suis postulationibus. Ad secundam vero, quod providebitur quod provisio Papæ non valeat nisi Episcopo approbante electum. Ad tertiam nihil respondit.

Ad alias vero Domini Alvari de Castro Oratoris Romani petitiones Papa respondit. Primam quidem sibi placere: ad secundam autem, quod providebitur quod coadiutor datus approbetur ab Ordinario: ad Tertiam nihil responsi datum.

Eodem & mense Octobri adivi Legatos ego, Granatensisque, & Segobiensis, & postulavi quod impleretur promissum circa quæstionem de residentia, an sit de jure divino. Promiserant enim de ea agendum esse quando tractaretur de sacramento Ordinis, de quo tunc, & hocce eodem mense tractabatur. Et responderunt agendum fore de residentia.

Eodem & mense Octobris dicti anni 1562 surrexit longa concertatio inter Patres, an potestas jurisdictionis quam habent Episcopi, sit a Christo, vel a Summo Pontifice. Et ut intelligatur in quo versabatur difficultas, distinguenda primo potestas Episcopi in potestatem ordinis, & potestatem jurisdictionis. Et circa utramque, distinguere debemus institutionem, seu creationem, & collationem. Et quidem quoad primam partem, Ordinis scilicet potestatem, quæ est potestas ordinandi, confirmandi, consecrandi; & omnes concordabant illam immediatè collatam a Christo, tàm quoad institutionem, quia instituit, & ordinavit Christus quod talis esset in Ecclesia sua potestas, quam quoad collationem; nam illa adeo producebatur immediate in anima consecrati in Episcopum; sicut etiam Ordinum characteres, Episcoporum inserviente ministerio consecrantur. Et posset dari verus Episcopus hanc solum habens potestatem, ut si quem etiam, invito Papa, consecrarent in Episcopum aliqui Episcopi.

Item

Item quantum ad potestatem jurisdictionis, quæ est potestas gubernandi Ecclesiam docendo, prædicando, præcipiendo, judicando, puniendo &c. omnes contendebant eam fuisse a Christo immediate institutam. Instituit enim Dominus ut in sua Ecclesia essent Episcopi, haberentque potestatem pascendi, & gubernandi suas diœceses. Sed tota difficultas erat de immediato collatore dictæ potestatis. Quidam enim dicebant, quod Deus conferret; ita quod consecrato in Episcopum hæ simul infundebantur ei a Deo potestates duæ spirituales, & supernaturales, prima ad ordinandum, confirmandum &c. & secunda ad gubernandum &c. & quod Papa non dabat aliquam potestatem Episcopo, sed solus ministrabat materiam, in quam Deus hanc conferret ipse potestatem. Alii vero dicebant, quod secunda potestas hæc jurisdictionis erat immediate a Papa; & non erat aliquod supernaturale in anima Episcopi, sed quædam deputatio, & relatio superioritatis; & hæc est conformior D. Thomæ 22. qu.39. Art.3. Sed ut ego dicebam, hæc quæstio parùm ad rem faciebat, cùm a quocumque producatur illa potestas, omnes in causa illius ablativa potestatis optime conveniant, & dicant, quod Papa potest eam auferre ut facit, quando privat Episcopum suo Episcopatu. Tunc enim nulla potestas ei remanet jurisdictionis, cum tamen nec tunc amittat potestatem ordinandi, confirmandi &c. nam, esto, peccet, vera tamen ille sacramenta ministrat, si tentet ordinare, aut confirmare. Et si dicat, Episcopus depositus ab Episcopatu, se quandam adhuc habere in anima potestatem spiritualem gubernandi: quid ad rem attinet, vere ne eam ille habebat, an non; cum aperte constet eum nullum omnino illius actum exercere posse potestatis; si que quem exercuerit, nihil facere. Ut si tentet præcipere, judicare, excommunicare, vel absolvere, nihil ille facit, & operatur. At insistunt, qui primam ipsi tuentur opinionem, & dicunt quod multum interest, a quo potestas illa conferatur immediate: nam si conferatur a Papa, tunc si Papa privat Episcopatu virum innocentem, & sanctissimum injustè, manet ille nihilominus eo vere privatus, factumque tenet, quamvis & Papa peccet. Sicut Episcopus potest ad nutum removere Vicarium suum virum nihilominus bonum, optimeque meritum, munusque ejus alteri conferre cui libuerit: Itaque factum tenet. Et hoc dicunt secundam opinionem tenentes. Si autem dicta potestas immediate conferatur a Deo, Papa vero materiam tantùm administret; tunc in dicto casu, quo Papa sine causa privaret Episcopatu virum sanctum, factum non tenet. Et quamvis ille sit ab eo depositus, graduque dejectus, suamque depositionem ad vitandum scandalum, & schisma, tolerare debeat æquanimiter, nec in aliquo jurisdictionis actu publice se intromittere. Si quem tamen suæ diœcesis excommunicatum a censuris absolveret, hic verè absolutus esset. Et sic de aliis, quæ posset ille secreto peragere. Et hoc dicunt prioris opinionis authores, ac probant quia alias Episcopi meri tantùm essent Papæ Vicarii, & Procuratores, quales sunt Episcoporum Vicarii, quod est falsum, cùm sint Pastores, & Ordinarii. Et ideo datur eis cura animarum cum quadam consecratione, ut dicitur secunda secundæ quæst.184. Quibus respondent qui secundam opinionem sequuntur, negando sequelam; Quia Papa non habet tantam libertatem ad amovendum Episcopum, sicut habet Episcopus ad amovendum Vicarium suum. Quia Episcopus absque peccato potest amovere Vicarium suum etiam virum integrum, & sanctum, quia vult istud officium alteri dare æque idoneo, & in hoc nullam ei infert injuriam, sed utitur jure suo. Peccaret autem graviter Papa si virum probum Episcopatu suo privaret, ut alteri daret æque, vel magis etiam idoneo; quia facit injuriam ipsi privato, quia consecratus est in perpetuum sponsum,

ſum, & Paſtorem ſuæ Eccleſiæ. Et hoc ſufficit ut Epiſcopi non poſſint dici Vicarii Papæ. Eſto, quomodocumque priventur, factum teneat, & nihil poſſint agere privati ſuo Epiſcopatu.

Alii tertiam opinionem quandam adſtruebant, ſcilicet, quod in Epiſcopo ſint tres poteſtates; Prima Ordinis, ſcilicet ad ordinandom, confirmandum &c. Secunda poteſtas gubernandi Eccleſiam, quæ exercetur per illos actus: 2. Tim. c.4. v.2. *Prædica verbum, argue, obſecra, increpa &c.* & hæc dicebatur etiam a Deo immediate infuſa, ſicut prima, quando conſecratur Epiſcopus, unde poteſtatis illius ſæpè inculcatur collatio in officio conſecrationis, cum dicitur, *ad Epiſcopum pertinet judicare &c. recipe baculum paſtoralem &c. pie ſervias &c. vade, prædica Populo tuo &c.* Et hæc eſt immobilis in Epiſcopo quocumque etiam degradato. Tertia vero eſt poteſtas juriſdictionis; & hæc eſt mera relatio ſuperioritatis ad aliquas determinatas oves; Et ideo nunquam illa obtinetur, niſi quando aliqui ſubditi dantur; quia relatio non poteſt poni ſine correlativo. Et hæc totaliter eſt a Papa, tamquam a fonte juriſdictionis, quia ipſe eſt, qui dividit diœceſes, & iſti aſſignat iſtas oves, & illi alias. Fuit tamen hæc poteſtas etiam a Chriſto inſtituta in genere; nam ſtatuit quod in Eccleſia eſſent hæ poteſtates Epiſcopales juriſdictionales, & ideo non poſſet Papa non dare hanc juriſdictionem.

Seſſio ſeptima deſignata erat ad 12. Novembris: at cum certificaretur ſancta Synodus, quod Cardinalis de Lotharingia veniebat cum multis Epiſcopis ex Galliâ, ac Doctoribus Gallis, prorogata eſt ſeſſio ad diem 26. ejuſdem menſis, ut eidem & Galli poſſent intereſſe ſeſſioni, ut cupiebant. Poſtea facta eſt alia prorogatio ad diem 17. Decembris 1562. Ingreſſus eſt autem Tridentum dictus Cardinalis de Lotharingia die 13.Novembris anno 1562.cum duodecim Epiſcopis Gallis, & fuit cum magnâ pompâ receptus, nam etiam Legati obviam ei fuerunt per milliare.

Iſte Cardinalis tranſivit per Claramvallem, & duxit ſecum Abbatem, cui dixit (ut mihi retulit idem Abbas, idemque poſtea Cardinalis ipſe 20 dicti menſis) Provideas tu Abbas Clarævallis, quomodo beati Bernardi corpus ſalvare poteris ab Hæreticorum injuriis; ne idem illi in illud audeant, & faciant, quod & beati Martini Turonibus, Hilarii Pictavi, & Irenæi Lugduni perpetrarunt impie, quæ combuſſerunt, corporibus. Quapropter dictus Abbas ante quam a ſuo Monaſterio diſcederet, corpus beati Bernardi transferri fecit in quamdam civitatem quam non nominavit, Avenionem ſcilicet; & hoc occulte quia neque cives hoc noverunt. Invenit autem corpus beati Bernardi poſitum in capſa plumbea, & involutum in quodam corio, (& ideo non vidit oſſa) ſuper quod erat Crux lignea cum ſuperſcriptione: *Faſciculus mirrhæ dilectus meus mibi &c.* & cum reliquiis B. Thaddæi Apoſtoli in quadam capſulâ, quas ſecum ſepeliri juſſerat ipſe Sanctus, ut probatur in ejus legenda.

Die 23. Novembris fuit auditus dictus Cardinalis a Lotharingia publice patefactis omnibus januis; & fecit mirabilem orationem, cujus ſumma fuit Galliæ deflere calamitates, & Eccleſiæ reformationem petere veram, & ſeriam; & quia propter Eccleſiaſticos forſitan veneraт hæc tempeſtas, hi primum & reformarentur, & jura antiqua reſtituerentur, & pluribus obviaretur abuſibus, in quos & Patres clamabant, ac inſtanter remedium poſtulabant. Erat enim peſſima tunc Eccleſiarum Parochialium proviſio, quæ ſic diſtribuebantur, ac ſi mera aſſent prædia, nulla ſalutis animarum habita ratione. Unde ſemel cum de hoc ageretur, conabar perſuadere, ut aliquem modum cogitaret Sancta Synodus, quo adſtrigerentur

tur

tur Episcopi, nonnisi bonos eligere. Dixi, si volumus occurrere animarum stragi, vel hoc solum agamus; quæramus remedium, quomodo possit habere bonos Episcopos Ecclesia, & superintendentes Parochiales. Excogitetur modus quomodo neque Papa, neque Episcopi provideant; sed dentur omnia per oppositionem diœcesanis, ut in Galestina, & Burgensi diœcesi &c. Si non habeamus, qui doceant, non qui confessiones salubriter audiant, quomodo per Episcopos in singuli, Parochiis implebitur illud: *prædica verbum, argue, obsecra, increpa &c.* Quid prodest quod Generalis Minorum sit sanctus Franciscus, si Guardiani sint carnales, & improbi, nec eos ille possit amovere? Quid prodest quod Episcopus sit alter Martinus, si Parochi ministerium suum implere negligant?

Quicumque iis non afficitur sensibus, & in aliam veniendum esse ducit sententiam; ac simul propositionem admittat, necesse est, scilicet nihil curandum, sive pereant animæ, sive non pereant: Nec facere ad rem, & referre salutem, aut damnationem animarum. Et tamen si quæratur a tali, utrum referat, curandumque sit, ut hospitali, quo plures jacent ægri corpore, non quilibet præficiatur Medicus, sed expertus, & idoneus, habeatque ille certo deputatum, ac sufficiens stipendium, & honorarium, quid respondebit?

Profecto nisi huic malo provideatur, testor hic coram Ecclesia Dei, quod creditam mihi non possim ego regere Ecclesiam utiliter, cogarque redire ad cellam meam, ne videam puerum morientem.

Tandem, Domino favente, post multos dies, scilicet, die Novembris undecima, in festo Sancti Martini anni 1562. promulgatum est optimum decretum de collatione beneficiorum, quo statuitur quod non nisi ad testimonium examinatorum juratorum possit conferri parochia. At redeamus ad filum historiæ.

Decretum de residentia cœpit examinari 9. Decembris an. 1562. & quia in eo non explicabatur eam esse de jure divino iterum instarunt Hispani, & Lusitani, excepto Conimbricensi, & nonnulli Itali, & Galli, quod hoc discuteretur, si opus esset, & definiretur, afferentes ad hoc rationes ad probandum dictam veritatem.

Abbas Claraevallis vir doctissimus in suo voto quod pronunciavit die 18. Januarii anno 1563. in summa posuit tres rationes. Prima quod de jure divino Pastores tenentur per seipsos pascere; hoc enim ex evidentissimis testimoniis Sacræ Scripturæ. Unde munus Apostolicum non exprimitur in scriptura per vocabula significantia dignitates, sed actiones, scilicet, prædicare, docere, pascere, baptizare &c. tum quia non oporteret dicere: *oportet Episcopum esse doctorem*, si ipse non teneretur per seipsum docere, sed per alium: & ex verbis Domini: *sicut me misit Pater, & ego mitto vos*: Probatur autem Christum missum esse, ut per se ipsum pasceret, & doceret, & in propriis humeris oviculam portaret. Unde de eo Isaias dixit: *In brachio suo levabit agnos &c.* ergo ad hoc ipsum per se exequendum mittuntur Episcopi.

Et dicta ratione clarè sequitur, quod tenentur residere, non in aliquo certo loco, puta, in sede Cathedrali, aut in alio certo loco diœcesis, sed in loco, ubi possint prospicere gregi, & per se ipsos exercere munus suum.

Secunda ratio: potest sine peccato Pastor abesse a sua Ecclesia non solum quando urgent magnæ causæ necessitatis, charitatis; sed etiam potest aliquando ad breve tempus abesse sine urgenti causa, scilicet, ad visitandum amicum, vel ad honestum solatium: Prima pars est manifesta, de qua & nulla est controversia. Secundam probavit primo ex decreto Concilii Sardicensis, quo statutum est ne pos-

possit Episcopus ultra tres hebdomadas a sua abesse Ecclesia. Ex quo sic argumentor. Decretum hoc Sardicense non intelligitur de absentia ex urgente causa; ergo intelligendum est de causa alia voluntaria, ut ad videndum amicum &c. Probatur antecedens: quando absentia est ob causam urgentem, Concilium non potuit, neque debuit taxare tempus, & limitare; si enim causa urgens requirit magnum tempus, ut annum, aut sex menses quomodo potuit Concilium restringere illud ad tres hebdomadas, hoc enim esset destruere negotium.

Secunda: Præceptum residentiæ est affirmativum, ergo datur tempus in quo non obligat: ergo tunc licebit non residere sine urgenti causa v.g complevit visitationem, prædicavit multis diebus &c. est probabile quod non sequetur aliquod detrimentum, si absit per mensem &c. relinquens bonum Vicarium; in tali casu potest abesse etiamsi non sit causa necessaria. Si dicas: illo mense posset prædicare, & multa alia utilia facere ad commodum ovium, dicitur quod non tenetur Pastor ad omnia quæ potest, alias teneretur quotidie prædicare si posset; & alia multa agere, quod esset durissimum, & nullus hoc debet.

Tertia: Quamvis Pastor absit sine rationabili causa, nihilominus facit fructus suos, nisi per legem pœnalem privetur eis. Probatur; præceptum, & obligatio residendi, & per se pascendi, non est præceptum justitiæ, sed charitatis, idest, non pendet ex vi justitiæ commutativæ, qualis est obligatio famuli, aut operarii conducti per annum, qui si per tres menses non serviat, non facit pro rata mercedem suam ex vi justitiæ; neque tenetur Dominus solvere illi, nisi novem menses; & si ille usurpet illam mercedem trium mensium, tenetur ad restitutionem. Non est, inquam, simile inter Pastores & Ecclesiam, sed tenetur dumtaxat ex præcepto charitatis quo præcepit ei Christus residere, & per se pascere; & ideo quando sine causa abest longo tempore, esto peccet, non tamen tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum. Quod autem non sit simile inter Pastores, & operarium conductum, sic ostenditur. Si esset simile, sequeretur quod Episcopus præsens Concilio non faceret fructus suos, aut alias absens pro bono universali, aut pro utilitate alterius Ecclesiæ: quod probatur, quia operarius conductus, quamtumcunque absit pro bono regni, aut pro alia urgentissima causa, suum non facit quod cum Petro pepigit, stipendium sibi debitum, ut patet, quia quantumcumque bonum sit commune, non tenetur Petrus suis expensis occurrere bono communi, nisi eo modo, quo cives ceteri, dando scilicet eam portionem, quam alius quilibet dare tenetur civis, quâ serviunt communitati.

Nam sequeretur quod Episcopus senex, qui jam per seipsum non potest pascere gregem suum, non faceret fructus suos, sicut operarius, vel famulus conductus non facit suum stipendium promissum, postquam fit impotens ad præstandum debita obsequia, sed ex sola miseratione sustentatur a Domino.

Alii tamen oppositam sententiam defendebant, scilicet, quod ex vi naturalis justitiæ non faciebant fructus suos, qui adstante legitimo impedimento per se ipsos non pascunt oves.

Igitur ob controversiam de residentia, & de Episcoporum jurisdictione, facta est alia prorogatio ejusdem septimæ sessionis ad diem 4. Februarii anni 1563. Sed nec tunc celebrata est ob duas controversias: prima scilicet, quia in decreto confecto de residentia clare insinuabant, quamvis non explicarent, residentiam esse juris divini, quibus se opposuerunt Itali plurimi. Placebat tamen decretum Hispanis, Gallis, & parti Italorum. Erant autem substantialia verba decreti hæc: cum divino præcepto Pastores animarum teneantur pascere, regere &c. verbo Dei, ac

ac facrorum admiuiftratioue oves fibi commiffas, quæ non poffunt præftari, nifi affiftant, ideo declarat fancta Synodus, quod teuentur ad refidentiam perfonalem.

Secunda controverfia fuit, quia in decreto de Sacramento Ordinis ponebantur hæc verba: quod ad Papam pertinebat regere univerfam Ecclefiam. Et poftulabant, quod diceretur Papam effe fuper omnes fideles, aut fuper univerfas Eccle- bas; quod Legati noluerunt admittere, quia Concilium Florentinum expreffe dicit, Papam regere univerfalem Ecclefiam. Et hoc etiam habetur in Concilio Lugdunenfi de Electione lib.6., ubi Papa univerfalis Ecclefiæ Paftor dicitur. Hinc cum veritas tam perfpicua, ac manifefta, ut nulla ratione poffit obfcurari, in controverfiam fine caufa fuiffet adducta, jure ac merito Legati cedere renuerunt, nec verbum iftud omittere voluerunt: *Univerfalis Ecclefiæ*; quod etiam habetur in Cap. In nomine Domini 23. dift. Et in actione 4. Coucilii Chalcedonenfis Summus Pontifex vocatur univerfalis Ecclefiæ Papa.

Igitur die 3. Februarii propofuerunt Synodo Legati videri fibi prorogandam effe feffionem ufque ad diem 22. Aprilis, eo quod interim tractari deberet de abufibus pertinentibus ad Sacramentum Ordinis, ac de Sacramento Matrimonii. Huic prorogationi confenfit major pars Patrum, fcilicet 150. Ego autem primus efficaciter contradixi, & poft me 58., ut omne fere Galli, & Hifpani, & nonnulli Itali: Et expofui quantum fcandali foret univerfo Orbi ex tam prolixa prorogatione poft tot repetitas antea prorogationes, timendumque lamentantibus Catholicis, Hæreticifque irridentibus, & infultantibus, ne cum jam alias hoc Concilium impegerit in Sacramentum Ordinis, nec proceffcrit; fic & modo contingat. Et poftulari duo: Primum quod poftquam Deputati ad conficiendum decretum impofuerint ei ultimam manum, mox immutatum tradant Synodo, ac Spiritui Sancto approbandum, vel refutandum. Secundum, quod cum agitur de aliquo abufu, feu morbo Ecclefiæ curando, non adhibeatur magna fides illis Patribus, qui diu illo morbo laboraverunt, & laboraturi præfumuntur præfumptione juris; Verbigratia cum agitur quod uullus poffit habere duas Cathedrales Ecclefias; Quomodo adhibeuda eft fides Patribus duas habentibus? Sic in decreto de refidentia, cur audieudi uon refidentes? Si in hoc Concilio effet zelus Patrum Nicæni Concilii, illi effent puniendi. Hic tantum abeft ut eos puniamus, ut eos etiam audiamus, cum inftaut quod uon ftabiliatur refideutia, leviterque animadvertatur in uon refideutes.

Igitur per meufem Februarii difputaverunt Theologi circa articulos fibi de Matrimonio propofitos, & inter alias examinatæ fuerunt duæ difficultates. Prima, an Ecclefia poffet irritare matrimonia clandeftina, ideft facta fine idoneis teftibus, aut facta fine confenfu Parentum. Secunda, an expediret hoc facere. Et ad utramque fere omues affirmative refponderunt.

Et ad primam difficultatem allatæ funt multæ ratioues, quarum prima hæc fuit. In matrimonio novæ legis ratio facramenti fundatur fuper rationem contractus, & ipfum præfupponit; fed Ecclefia poteft talem contractum ftabilire, vel infirmare, ut fibi videbitur expedire ad bonum Reipublicæ Chriftianæ. Igitur &c. minor probatur. Rex poteft invalidare quofcumque contractus alios civiles, ut illi non valeant nifi fiant certis conditionibus, ficut invalidantur teftamenta nifi fiant feptem teftibus & invalidatur donatio facta a minori 25. annorum: Et invalidatur donatio 500. aureorum & fupra, fi non fit publico Inftrumento &c. Ergo Ecclefia poteft invalidare contractum hunc corporum, nifi fiat certis conditionibus, cum hoc magis requiratur ad pacem publicam; alias dicendum quod Ecclefia

non

non possit hisce tot occurrere malis, quæ ex clandestinis nuptiis consequuntur, ac per consequens, quod non est sufficienter provisa.

Si respondeas quod non oportet in Ecclesia esse potestatem obviandi omnibus malis; nam in Ecclesia non est potestas deponendi Papam non hæreticum, esto esset pestilentissimus Ecclesiæ vastator; Sed ad hoc respondetur quod si Papa talis esset, aliis viis possunt ei Patres, & Episcopi citra depositionem, etiam occurrere, & mederi.

Secunda ratio fuit: Ecclesia tot personarum illegitimavit ad matrimonium contrahendum genera, etiam eas, quæ sola cognatione spirituali conjunguntur, vel ob publicæ honestatis justitiam; denique tot illa dirimit, & irritat matrimonia, tot impedimenta multiplicans dirimentia. Ergo potest, & debet a fortiori computare inter impedimenta dirimentia id, quod est radix, & principium, unde tot matrimonia quotidie de facto contrahuntur per dicta impedimenta, quod est, clandestina contrahere. Si dicas hæc impedimenta matrimonium dirimentia ab Ecclesia stabilita tenere se ex parte materiæ, nempe ex parte personarum, quas Ecclesia potest illegitimare, at vero clandestina invalidare matrimonia tenere se ex parte formæ, idest, consensus quem Ecclesia non potest invalidare, quia jure naturali cuique competit jus, & dominium in corpus suum; unde potest illud, cui voluerit tradere, seu clam & privatim, seu palam & publice. Hæc objectio non sufficit. Primo. Quia Ecclesia matrimonium etiam ab impuberibus ante annum ætatis duodecimum in feminis, & ante annum 14. in masculis contractum irritat; cum tamen aliquando in illa ætate sint capaces rationis. Et tamen illa irritatio tenet se ex parte consensus. Secundo. Quia sicut de jure naturali est, quod quisque dominium habeat corporis, ac rerum suarum, ita de jure naturali est, ut subsit regimini, & moderatoribus reipublicæ, qui sicut possunt subditorum invalidare consensum in donatione rerum, ita & in donatione corporum eo modo quo ad Reipublicæ commodum illi viderint expedire.

Tertia ratio. Conjugium clandestinum, sicut & usus ejus, regulariter loquendo est peccatum mortale, ut bene probat Cajetanus. Ergo illud Ecclesia prohibere potest, quod efficaciter illa præstare nequit, nisi ea irrita decernat, ut experientia constat: Ergo potest, & debet ea prohibere.

Quarta ratio. Paulus 2. Cor.6.14. in favorem fidei contractum antea matrimonium, & consummatum inter Infideles irritum facit, decernens quod si coniux ad fidem conversus, ab infideli conjuge discedere voluerit, & aliam ducere, discedat &c. Et Ecclesia ipsa etiam in favore Religionis matrimonium irritat ratum jam, & non consummatum, si unus eorum probatum quem profiteatur Religionis ordinem: Ergo potest irritare clandestina quævis, etiam in bonum animarum & salutis earum matrimonia, cum eorum occasione clandestinorum infinitæ pereant animæ.

Quinta ratio. Ecclesia variis etiam de causis vota Religionis emissa decernit irrita v. g. solemne votum in Religionibus Mendicantium, si non præcesserit integer ei probationis annus, irritum facit & nullum &c. Ergo & hæc supradicta debet irritare matrimonia a quibus longe majora sequuntur animarum damna & pericula, quam ex illo.

Mense sequenti Majo 1563. Cum in eodem Concilio de abusibus qui circa Sacramentum Ordinis irrepserant in Ecclesia, tractaretur; inter cæteros abusus quos exterminari Patres optabant, & postulabant, is certe fuit unus, ut meri deinceps ab Ecclesia rejicerentur, & amoverentur Episcopi Titulares, ut vocant, & sine plebe;

plebe; nempe ut illi qui consecrantur in Episcopos absque certa Ecclesia, & reali, certæ deputentur alicui realiter, & cum effectu deinceps erudiendæ regendæque Ecclesiæ, quamvis ceremonialiter eis assignetur una Ecclesia ab Infidelibus occupata, de qua nihil minus cogitatur, quam ut ad eam vadant.

Attamen, cum essent variæ circa Titulares Episcopos sententiæ, quibusdam eorum abolitionem, & exterminium postulantibus, aliis ut remanerent, & ad Ecclesiæ necessitatem servarentur in amplissimis scilicet occupandis, designatisque diœcesibus, cum assignata cuilibet quadrigentorum auri Ducatorum annua pensione volentibus; tandem ut nulla de iis in decreto Concilii mentio fieret, conclusum est.

Eodem porro Maii mense, in eodemque Concilio, cum ageretur de modo præficiendi Episcopos, deque illorum examine, complures Galliarum Episcopi pro restituendis instabant electionibus; & ut a Capitulis suis (uti etiamnum Germaniæ faciunt Ecclesiæ) deinceps eligerentur Episcopi; quod & olim in usu habuit Ecclesia Gallicana ante Leonem X., qui primus anno 1516. Francisco primo Regi Francorum hanc Episcopos in toto Galliarum Regni nominandi facultatem dedit, à qua tamen facultate, & privilegio, uti dicebant ipsimet Episcopi Galli, cum provocaverit Academia Parisiensis, & Catholicus Regno Procurator, populusque reclamaverit in ultimis tunc Regni Comitiis generalibus adversus hocce privilegium Regi collatum; restituenda proinde Galliarum Ecclesiis, suisque Capitulis Episcopum sibi deligendi jura volebant hujus auctoritate Concilii, rescindendumque, & revocandum à Leone Francisco Regi concessum Episcopos in Gallia nominandi privilegium, à quo non infrequenter indigni promoti sunt, & nominati Episcopi. At aliis Episcopis non videbantur electiones restituendæ. Nam ut Episcopus Aurelianensis ajebat, si forent etiamnum, ut olim erant, Regularia Capitula, & Religiosa, congruum forte videretur ut & Pastorem sibi deligerent, sicut & convenientissimum est ut omnes Religiosorum Ordines, atque Conventus Abbates, & Patres sibi eligant ipsi, nec Religiosis iis non Religiosus, ut nunc fit, præficiatur. Verum ubi pleraque deformari cœperunt Ecclesiarum Capitula, in pravas etiam degenerarunt electiones, & circa illas infinitæ prope lites insurrexerunt. Jusque proinde illis ablatum est eligendi, Regibusque concessum Hispaniarum; hodièque Capitula illa longe sunt deformatiora, & carnaliora, quam cum eis jus istud eligendi sublatum fuit. Qua igitur eis ratione restituatur.

Mense Junii in Festo Apostolorum Petri & Pauli magna subiit in Patribus Concilii turbatio ex suborta inter duos Galliæ, & Castellæ Oratores controversia, dum ad audiendum sacrum in Concilium una coivissent. Cum enim antea Philippi Regis Hispaniarum Oratori separatus extra communem Oratorum bancum juxta Concilii Secretarium locus (sedandis ergo loci, præeminentiæque litigiis, & quæstionibus) à Legatis Concilii Præsidibus Apostolicis, in publicis congregationibus, sessionibusque Concilii concessus fuisset, & assignatus: Protestantibusque nihilominus Gallis, quod illa novitas nihil sibi, præcellentiæque suæ præjudicii posset inferre: Philippi vero Regis Hispaniarum Oratore similiter etiam protestante, quod ipse tolerabat hunc sibi dari locum ab aliis separatum ne turbaret Concilium; cum jure sibi locus deberetur super Oratorem Galliarum, res ita compositæ sunt, & sedata loci tunc inter utrumque contentio. Quibus sic concordatis, cœpit clam agitari dubium, quid demum facto opus circa ordinem dandi thuribulum, & pacem, si cappellam adiret Orator Hispanus Gallo præsente. Ergo de iis egit apud Pontificem Hispanus Orator,& instavit. Conclusumque a Ponti-

fice, qui misit ad Legatos ut eodem uno tempore simul utrique Oratorum duplici thuribulo, duplicique pace hujusce eerimoniæ ritus impleretur. Verum id minime fieri posse Præsidente Morono Cardinali, viro prudentissimo, Legatorumque Apostolorum, & Concilio Præsidum primo, sine magna turbatione, & tumultu, imo & sine manifesto dissolutionis ipsiusmet Concilii periculo, semel, iterumque rescripsit ad summum Pontificem, terque momenta exposuit, & pericula, qubus proinde nihil omnino motus Papa, & in sua sententia firmus, ultimo ad Legatos suos scripsit hanc suam omnino mandarent executioni sententiam, neminique hominum hanc sententiam suam sub excommunicationis pœna revelarent ante diem ipsum Cappellæ quo foret executioni mandanda. Cum autem Romæ resciviffet Orator Hispanus, & intellexiffet hanc in mandatis habere Legatos Papæ determinationem, in prædicto sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum festo, Cappellam ille est ex insperato & inopinato ingressus Orator in principio Missæ, dataque confestim illi separata, ut in sessione, sede, moxque suborto murmure, quid ageretur circa dictas thuribuli, pacisque ceremonias, Legati Gallis mandatum quod habebant a Pontifice nunciaverunt, qui statim eis responderunt, quod si ita fieret, ipsi facta protestatione, recederent omnes a Concilio, & Galliam reverterentur; sicque eos a Rege in mandatis habere. Orator autem Hispanus instabat omnino mandatum illud Pontificis executioni mandari. Hoc autem omne per secretos agebatur Internuncios a Legatis ad Oratores missos, a quibus quid agendum erat Præfectus ipse ceremoniarum accipiebat. Cumque tunc hæreret in his aliquod tempus Concilium, a Cappella Legati recesserunt. Interim autem Oratio Latina habebatur, & ingressi illi in sacristiam, vocatis aliis qui aderant Cardinalibus, & Patribus aliquot Gallis, & Hispanis, in eo tandem convenere cum illis, ut in ea Missa nulla prorsus earumdem fieret ceremoniarum, neminique extra altare ministrantes deferentur honores thuribuli, vel osculi pacis. Post hanc vero diem, pluribus agentibus, satagentibusque probis Episcopis, tandem in eo concordarunt Oratores prædicti, Domino benedicente, quod mandatum illud Papæ nullatenus executioni mandaretur, scriberentque interim ad suum quisque Regem Orator uterque, nemini in posterum hanc exhibendam fore Oratori Laico thuris, & osculi ceremoniam, si Cappellam eos adire contingeret. Et sic cessavit periculum dissolutionis Concilii.

Postea cum legati pluribus in congregationibus particularibus Patres adducere conati fuissent ad antiquam concordiam circa decretum de institutione Episcoporum, & residentia tandem gratia Domini, die 9. Julii facta est in congregatione generali concordia, piis compluribus æquo animo sustinentibus Episcopis, quod prædicta duo non ita distincte, sincereque declararentur, & explicarentur, ac illi antea censuerant, & postularant, idque pro bono pacis, & concordiæ, utque sessio illa tamdiu prorogata celerius, faciliusque celebraretur. Castellani tamen Episcopi in sua sententia perstiterunt usque ad ipsam sessionis diem.

Igitur Domino favente die 15. Julii 1563. celebrata est hæc pacifice sessio, quæ fuit ordine septima, in qua præter doctrinam, & canones de Sacramento Ordinis, præclara & utilia de reformatione statuta fuerunt, in quibus hæc duo præcipua, decretum scilicet de residentia, & decretum de erigendis Seminariis.

Post sessionem usque ad finem hujus mensis examinati, discussique fuere canones de Matrimonio, fuitque magna contentio, an conveniret irritare clandestina,

stina: tandem a majori parte, videlicet a 136. Patribus judicatum ea posse, & debere irritari saltem non coram tribus testibus facta, aliis vero numero 57 oppositum sentientibus.

Sessio octava ad diem 16. Septembris assignata fuerat, verum quod nondum satis digestæ, quæ tractabantur amplissimæ de reformatione materiæ, neque adhuc omnino compositæ, jam antea agitatæ de clandestinis nuptiis, & matrimoniis controversiæ, fuit ad diem 11. Novembris sancto Martino sacram prorogata sessio.

Interim ego post sessionem prorogatam, Romam ivi, mansique ibi diebus 17. multis honoribus, favoribus, & beneficiis affectus a Beatissimo Pio Papa IV., discessique Tridento die 18. Septembris simul cum Cardinali Lotharingo, & reversus Tridentum ingressus sum die ultima Octobris, antequam secundo Patres responderent ad capita reformationis, ad quæ ego jam, antequam Romam proficiscerer, responderam;

Igitur die sancti Martini celebrata est clarissima sessio ordine octava, in qua magna, & utilissima sancita sunt, præsertim de collatione beneficiorum, de eorumdem pluralitate probanda, & examinanda, de prima instantia coram ordinariis intentanda; conclusa est etiam irritatio clandestinorum Matrimoniorum, quamvis nonnullis Patribus adhuc in sessione displiceret. Nam cum in sessione congregata fuissent 200. vota Patrum, displicuit hocce decretum, & irritatio quinquaginta Patribus; placuit vero Patribus centum & quinquaginta. Duravit autem hæc sessio octava per horas diei prædictæ sancto Martino sacræ 11. Novembris an. 1563. decem integras, & per non modicam noctis partem.

Sessio nona fuerat ad diem nonam Decembris proximam assignata cum potestate eam non abbreviandi: at cum prima die ejusdem mensis Decembris nuncium ab Urbe Roma venisset periculosa Papam ægritudine laborare, non modica inde orta est animorum turbatio, & mœstitia: ideoque propter hanc maxime rationem, & plures etiam alias Legati diligenter operam dederunt, ut hæc anticiparetur sessio, ac in ea Concilium clauderetur.

Igitur celebrata est sessio nona die tertia Decembris anni 1563. feria sexta ante Dominicam secundam Adventus: Et quia multa legenda supererant (relecta quippe fuerunt omnia quæ ad dogmata spectabant, antea determinata a primo Concilio sub Paulo III.) continuata fuit hæc eadem sessio IX. usque ad integram sequentis sabbati diem qua tam Decembris.

Fuerunt in hac sessione Patres ducenti & duo, præter Legatos & alios impeditos, qui in civitate manentes ad sessionem non venerant. Igitur clausum est Concilium 4. die Decembris B. Barbaræ sacra, & inchoatum fuerat in eadem civitate, eodemmet mense, annis jam antea decem & octo completis, exceptis diebus novem. Nam Concilium fuit apertum anno Domini 1545. die 13. Decembris, sanctæ Luciæ festo. Et sic duravit annis 18. completis, exceptis novem diebus. Et profecto venit tempus miserendi, & aperuit Dominus thesauros misericordiæ suæ in fine Concilii. Nam in tribus ultimis sessionibus, quæ celebratæ fuerunt a die 15. Julii, ad 4. Decembris, plura & majora decreta de reformatione facta sunt, quam facta fuerant toto tempore quo duravit Concilium. Igitur incredibili concordia, & lætitia consummatum est Concilium die 4 Decembris sanctæ Barbaræ sacra, sabbato ante Dominicam secundam Adventus, ac primo fuerunt interrogati Patres an vellent Concilium finiri, & responderunt, quod sic. Et factæ sunt ardentissimæ acclamationes, fausta precando

Sum-

Summmo Pontifici Pio IV., ac Paulo III., & Julio III., sub quibus Concilium fuerat continuatum; deinde Cæsaribus, scilicet Carolo V., & Ferdinando Fratri; deinde Regibus, Legatis, Oratoribus, Episcopis: & factæ sunt hæ acclamationes dulcissimæ conformiter ad antiqua Concilia, præsertim ad secundam Nicænam Synodum. Et Cardinalis a Lotharingia erat Præcursor acclamationum, & Synodus respondebat, ut habes in gestis Concilii.

Habuit ergo hoc Concilium, præter ceremoniales sessiones, decem sessiones secundas, videlicet, tres sub Paulo III., sessio scilicet de peccato originali, sessio de Justificatione, & sessio de Sacramentis in genere, & de Baptismo, & Confirmatione: Duas sub Julio III. videlicet, sessio de Sacramento Eucharistiæ, & sessio de Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis. Et quinque sub Pio IV. videlicet, a quinta usqué ad nonam, quæ fuit ultima. In his, quæ spectant ad reformationem tres ultimæ sessionés sub Pio IV., cæteras omnes hujusce Concilii, decretorum numero, & dignitate superaverunt.

Deo gratias.

FINIS.

ITINERARIUM

VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI

DE MARTYRIBUS

ARCHIEPISCOPO BRACARENSI.

Qui profectus est ad Concilium Tridentinum:
Et egressus est Bracara die vigesima
quarta mensis Martii

IN VIGILIA ANNUNCIATIONIS.

Ferià secundâ post Dominicam in Passione Domini Anno 1561.

ITINERARIUM
VENERABILIS SERVI DEI
BARTHOLOMÆI
DE MARTYRIBUS
ARCHIEPISCOPI BRACARENSIS

Qui profectus est ad Concilium Tridentinum: Et egressus est Bracara die vigesima quarta mensis Martii

IN VIGILIA ANNUNCIATIONIS.

Feriâ secundâ post Dominicam in Passione Domini Anno 1561.

DIE 1. Itineris *Bracara* discessimus die 24. Martii 1561. & *Bastum* (vernacule Basto) leucis, sive milliaribus sex Bracara distantem pervenimus, & apud *D. Antonium Pereyra* divertimus.

Die 2. Itineris Martii 25. è *Basto* ad *Villam paucam*, inde leucis quinque dissitam venimus.

Die 3. Itineris Martii 26. a *Villa pauca* ad Rivum, seu *Fluvium ablatum* (vernacule *Rio tosto*) ducto itinere per *Carrezedum* (vernacule *Carrezedo* (in tractu, & vicinia *Clavium* (vernacule *de Chaves*) ad Leucas quinque.

Die 4. Itineris Martii 27. a *Rivo tosto* profecti leucis octo pagum *Sortes* dictum appulimus, *Brigantio* ad duo milliaria prævium.

Die 5. Itineris Martii 28. a Villa *Sortes Brigantio* (vernacule *Berganca*, quæ Lusitaniæ civitas amplissima est, Legionensis Regni finitima, olim Asturum Regni) transeuntes *Alcanitium* (vernacule *Alcanicas*) ad Durjum flumen in Lusitaniæ urbem contendimus leucis sive milliaribus Hispanicis octo distantem a *Sortibus*, hospitati apud Minoritas in Monasterio, quod a linea confinium abest tertio dumtaxat lapide ea die quæ feria sexta fuit ante Dominicam in ramis Palmarum.

Die 6. Itineris Martii 29. ab *Alcanitio*, *Carvajati* pransi, leucisque no-

vem confectis, *Zamoram* olim *Senticam* ad Durjum flumen, Tarraconensis Hispaniæ, Regnique Legionensis, & Lusitaniæ conterminam pervenimus, & in Conventu nostro sancti Dominici eadem die sabbati ante Ramos pernoctavimus.

Die 7. Itineris Martii 30. è *Zamora* post prandium leucis sive milliaribus quinque Hispanicis *Taurum* (vernacule *Toro*) ad Durjum flumen, Regni Legionensis urbem petiimus, & in Conventu nostro ea nocte quievimus.

Die 8. Itin. Martii 31. *Tauro* mane relicto, *Septimancas* Castellæ veteris oppidum (vulgo *Simancas* dictum) leucis novem itinerantes pervenimus.

Die 9. Itineris Aprilis prima, a *Septimanca*, duabus a *Vallisoleto* leucis distante *Vallisoletum* venimus, Castellæ veteris civitatem, indeque duabus aliis leucis ulterius peractis *Cabeconem* (vulgo *Cabecon*) in Cœnobio percelebri Cisterciensium divi Bernardi Ordinis, quod vulgo Asceterium, seu Abbatiæ *nostræ Dominæ* de *Palacuelos* declinavimus, leucis 4. ea die confectis.

Die 10. Itineris Aprilis 2. *Cabecone* discedentes, feria quarta post Dominicam in Ramis Palmarum ad sex leucas itineris *Palentiam* circa mediam diem pervenimus, in Conventu nostro S. Pauli commorati ab illa die 2. Aprilis feriæ quartæ hebdomadæ sanctæ ad diem usque Aprilis septimam, seu feriam secundam post diem sanctum Pascha, qua post comestionem discessimus.

Die 11. Itineris Aprilis 7. feria secunda post diem sanctum Pascha, post prandium profecti *Palentia*, *Turris-Crematæ* urbem vulgo *Torgeremada* dictam) ad leucas tres dissitam periimus.

Die 12. Itineris Aprilis 8. feria tertia post Pascha è *Turrecremata Celledam* leucis octo.

Die 13. Itineris April. 9. feria 4. a *Celleda Burgum* (vulgo *Burgos*) Castellæ veteris caput, & sedem Archiepiscopi, ad leucas quatuor ivimus, & in Conventu nostri Ordinis sancti Pauli feria quarta & quinta post Pascha morati sumus.

Die 14. Itineris Aprilis 11. feria sexta post Pascha a *Burgo* per *virovescam* (vernacule *Birriesca*) ad Cantabrorum fines oppidum transeuntes leucis decem *Asunbedam* (vulgo *Asuneda*) contendimus.

Die 15. Itineris, Aprilis 12. sabbato infra octavam Paschæ ab Asuñbeda *Mirandam Ibéricam*, *vulgo Miranda de Ebro* Castellæ veteris ad Biscayæ Provinciæ fines pransum ivimus; indeque *Victoriam* in Cantabris Alavæ regionis caput, & oppidum leucis undecim pervenimus, ac in Conventu nostro s. Dominici de Victoria quievimus ad diem sequentem.

Die 16. Itineris Aprilis 13. Dominica in octava Paschæ *Victoriæ* pransi discessimus, & ad leucas quinque *Gallarretam* (vulgo *Gallarreta*) pervenimus.

Die 17. Itineris Aprilis 14. feria secunda *Gallareta* per *Portum sancti Adriani* (vulgo *porto* de *Sancto Adriano*) transeuntes, *Seguræ* in oppido comedimus, indeque *Alegriam* leucis septem venimus.

Die 18. Itineris Aprilis 15. feria tertia. Ex *Alegria* per Tolosam urbem Guipuscoæ Provinciæ Cantabrorum ad Orium fluvium juxta Cantabricum oceanum, ad radices Pyrenæorum transeuntes ejusdem Guipuscoæ Provinciæ principem urbem, & caput *Sancti Sebastiani* (vulgo *San Sebastiano*) appulimus, & in Conventu nostri Ordinis ibidem dormivimus.

Die 19. Itineris Aprilis 16. feria quarta a *Sebastianopoli*, sive *San Sebastien*, *Hirum* (vulgo *Iron*) tertio ad Fonterapidum (vulgo *Fuentarabia*) ditionis Hispaniarum ultimum propugnaculum, lapide distans oppidum pransuri ivimus, atque hinc tribus iterum a prandio peractis leucis, in quodam pago in Regni Fran-

ciæ

ciæ finibus una præter *ſancti Joannis Lugienſis* urbem (vulgo *Saint Jean de Luz*) duobuſque prope Bayonam milliaribus diſſito, *Gateya* nuncupato, leucis ſex itineris ea die confectis hæſimus.

Die 20. Itineris Aprilis 17. feria quinta e *Gateriæ* pago *Bayonam* Biſcayæ Provinciæ caput, Vaſconum, & Aquitaniæ primam civitatem, duabus leucis itineris advenimus; nec ulterius progreſſi ſumus, quod aere proceIloſo cœlum imbribus ea die difflueret, ſicque manſi ea die in Conventu noſtro Clauſtralium provinciæ ordinis, quæ Toloſana dicitur.

Die 21. Itineris Aprilis 18. feria ſexta *Bayona* egreſſi a *Sancti Vincentii* prandio excepti *ad Tarbellicas aquas* leucis a Bayona ſeptem, ſive *civitatem Aquenſem* (vulgo *Acque*, & *Daex*) Epiſcopi ſedem divertimus.

Die 22. Itineris Aprilis 19. ſabbato ab *Aquis Tarbellicis* profecti apud *Migrum* prandii cauſa hæſimus, indeque *ſancti Severi* (vulgo *Saint Sever*) leucis ſex itineris pervenimus, ubi noſtri Conventus habetur ordinis, & provinciæ Toloſanæ, degebatque in eo Frater *Antonius de Roſa*.

Die 23. Itineris Aprilis 20. die Dominica a *ſancti Severini* urbe digreſſi *Caſenis*, *vulgo Caſenas* in itinere comedimus, & *Noguera*, leucis ſex quievimus.

Die 24. Itineris Aprilis 21. feria ſecunda è *Noguera* quodam in pago *Coibe* dicto comeſturi, inde *Auguſtam Auſciorum* (vulgo *Auche*) dormituri venimus, leucis octo confectis itineris.

Die 25. Itineris Aprilis 22. feria tertia *ab Auguſta Auſciorum* in págo qui dicitur *Ximon* ad prandium, inde & ſecundo a Toloſæ civitate lapide pago altero *Legabira* dicto leucis octo ea die confectis, pernoctaturi declinavimus.

Die 26. itineris Aprilis 23. feria quarta ex pago de *Legabira* civitatem *Toloſæ* leucis duabus inde diſtantem pervenimus, ubi corpus Sancti Thomæ Aquinatis requieſcit. Hæc Occitaniæ prima, ubi eſt ſedes Archiepiſcopalis, & Eccleſia ſancti Saturnini primi illius civitatis Epiſcopi in qua plurima requieſcunt corpora Sanctorum, videlicet Philippi, & Jacobi, Judæ, & Barnabæ Apoſtolorum, areis argenteis recondita, ac etiam ſancti Georgii Martyris, Ægidii Abbatis, & ſpineæ coronæ Domini pars.

Die 27. itineris Aprilis 24. feria quinta poſtquam celebravi miſſam ad altare ſancti Thomæ *Toloſa* diſceſſimus, & *Villam Francham* (vulgo *Ville Franche*) leucis hinc quinque diſtantem venimus.

Die 28. itineris Aprilis 25. feria ſexta a *Villa-Francha* ad *Villam pictam* (vernacule *Ville pinte*) pranſum, inde & *Carcaſſum*, ſive *Carcaſſonam* in Conventu noſtri Ordinis ſancti Dominici hoſpitati, novem leucis itinerantes ivimus.

Die 29. itineris, Aprilis 26. ſabbato *Carcaſſona* leucis novem progreſſi *Hunſii* (pagus eſt vernaculo *Huns* dictus) comedimus; ac inde *Capeſtramum* ſecundo a Narbona lapide declinavimus. Narbonam tamen non ivimus, quod a recta nimium deflecteretur itineris linea.

Die 30. itineris Aprilis 27. Dominica die ſecunda ab octavis Paſchatis, de *Capeſtramo Biterra* (vulgo *Beſiers* inſigni civitate dirigentes iter, & tranſeuntes, apud *Sanctum Tiberium* (vulgo *San Tiberj*) concedimus, atque *Lupianum* deinde leucis octo progreſſi (vulgo *Lupian*) quievimus. Ibi primo nobis occurrit Mare Mediterraneum, ad cujus oram itineravimus per leucas circiter duas, aut tres.

Die 31. itineris, & 28. Aprilis feria ſecunda a *Lupiano Montem-Peſſulanum* ivimus, ubi comedimus. Inſignis hæc eſt civitas. Vidi Conventum noſtrum,

 „ qui

qui fuit magnus, & dormitorium erat quasi centum cellarum, sed nunc fere redactus in solitudinem, & dirutus. Itaque non habet nisi octo Fratres,& est claustralium pertinens ad provinciam Provinciæ. Inde *Lunelium* (vulgo *Lunel* superioris Occitaniæ civitatem declinavimus.

Die 32. itineris Aprilis 29. feria tertia *Lunelio Nemausi* comedimus, & in pago *Forner* dicto, tertio ab Avenione lapide leucis octo itinerantes decubuimus.

Die 33. itineris Aprilis 30. feria quarta è *Fornerii* pago *Avenionem* leucis tribus tantum eo remotam appulimus, fuimusque in Conventu nostro hospitati.

Die 34. itineris mensis Maii prima, feria quinta a prandio *Avenione* relicta Metropoli, leucis quatuor itinerantes *Carpentoractum* (vulgo *Carpentras*) Pontificæ ditionis, & Comitatus Veneissini civitatem venimus. Hic est Conventus Claustralium de provincia Provinciæ.

Die 35. itineris Maii 2. feria sexta a *Carpentoracto* ad *Moloes* comestum, & ad *sanctæ Eufemiæ* vicum subinde leucis 8. ea die confectis decubitum ivimus. Est autem hic *Moloes* Delphinatus Regni Franciæ provinciæ initium, ad ultimos ejusdem Regni fines usque terminatæ.

Die 36. itineris Maii tertia sabbato a Vico *Sanctæ Eufemiæ Vipiteiram*, ubi cibavimus, & inde *Aquilanam* leucis novem distantem vicum cubitum ivimus.

Die 37. itineris Maii 4. die Dominica tertia post octavas Paschatis ab *Aquilana* villam de *Xargas* iter habentes, leucis octo confectis *Sanctæ Sabinæ* dormivimus.

Die 38. itineris Maii 5. feria secunda è *Sancta Sabina* ad *Sanctum Crispinum* comedimus, & *Brigantionem* Delphinatus ad *Druentiæ* flumen in finibus Segusianorum & Taurinorum accubuimus, leucis novem hac die itinerantes.

Die 39. itineris Maii 6. feria tertia *Brigantione* pransi, ivimus *ad Sanctæ Susannæ* vicum, cenatumque ad *Chamon* Franciæ ditionum ultimum, & confinem: hac vero die tanta nivium abundabat alpium jugis copia, ut persequi leucam, hoc est a pago quodam, qui *Montis Gebennensis* appellatur nomine, vernancule *Mon Geneura* ad alium *Sanctæ Susannæ* indigetatum a summo deorsum mitti, ac volubili cisio, sive sedili per duos homines similibus hisce assuetos, atque peritos delati per niveos & asperos montes necesse fuerit, octo leucis ea die peractis.

Die 40. itineris Maii 7. feria quarta ab isto vico Franciæ ditionis postremo *Xamon* dicto, Pedemontium ingressi *Susam* pervenimus Pedemontanæ ditionis initium, & urbem *Xamone* una tantum leuca distantem, ad vicum *Sancti Ambrosii* nuncupatum refecti, *Taurinorum Augustam* Principatus Pedemontani caput insubalpinis leucis undecim emensis pervenimus. Hæc Sabaudiæ Duci Serenissimo paret regio Pedemontana, seu vulgo *Piemonte*, forte inde sic nuncupata, quod ad montium pedem, seu radicem alpium sita; superatis enim in Gallia Delphinatus alpium jugis per leucas, sive milliaria prope quadraginta, solum ibi primum occurrit amænum & udum, grataque planities haud ingratis, aut asperis utrimque cincta collibus, ac frugifera, quinque leucarum seu milliarium excurrit spatio, viatoribus accomoda.

Die Jovis itineris 41. Maii 8. *Taurino Cebam* ditionis Pedemontanæ non ignobile municipium, & urbem (vulgo *Chivas*) ubi obsonio recreati, leucis octo

octo progressi *Brinzierium* pervenimus hospitio recepti; Quater hac die cymba nobis traiiciendi fluvii, quia & terra hæc fertilis, & irrigua, planitiesque, quam Alvaladæ simillima, sed longe amplior, atque in modum orbis extensa decurrenda fuit. Leucis septem supra decem hac trita Galliæ Pedemontio Mediolanum via confectis, Montisferrati primum subiimus agrum Italorum gentis exordium, a plurimis etsi Pedemontium etiam Italis accenseatur, quod Marchionis Montisferrati, Mantuanique Ducis (quæ gentis Italæ regiones, & provinciæ sunt) imperio subsit & pareat.

Die Veneris 9. Maii, itineris 42. *Vercellis* (quæ Insubrorum, ac Lombardiæ municissima urbs & clara, Ducatus olim Mediolanensis, nunc Pedemontii Principi, & Sabaudiæ Ducis imperio parens) cibo recreati *Novarra*, quæ Ditionis est Mediolanensis, transeuntes *Trecam* (vulgo *Treca*) leucis octo distantem a Galliæ finibus, *Mediolanum* usque pervenimus. Quatuor in ea siti sunt regione Conventus Ordinis, qui & ad eam, quæ sancti Petri Martyris nuncupatur, congregationem in Lombardia superiori spectant; Conventus scilicet Taurinensis, Rivolensis, ac Vercellensis, cujus olim erat insignis ille Magister Ordinis, Frater Joannes de Vercellis, sive de Novarra nuncupatus.

Die sabbati 10. Maii, itineris 43. *Treca* Mediolanum leucis septem pervenimus, quarum quinque posterioribus ipsam usque in Mediolani civitatem cymba navigavimus: quas autem a Galliæ finibus Mediolanum usque, quatuor hisce diebus, peragravimus regiones, agri sunt amœnissimi, atque feracissimi, & a Delphinatus ingrato, præruptoque & arido solo longe differunt.

Ex his autem quæ supra, colligitur Mediolano distare Bracharam leucis, sive milliaribus prope ter centum, quinque minus scilicet.

Mediolani vero duo sunt Ordinis nostri Cœnobia, sancti Eustorgii unum, quod congregationis est sancti Petri Martyris; alterum autem sanctæ Mariæ Gratiarum, provinciæ utriusque Lombardiæ, cujus Conventuum numerus adeo excrevit, ut sexaginta superet, quorum caput, & præcipuus Bononiæ est, ubi & Ordinis observantia viget. Amplissimus est hic Conventus & praclarus; Peristylia, sive claustra quinque, reddituſque annuos habens amplissimos. Monialium autem Ordinis in eadem sunt provincia duodecim Monasteria.

In eodem sancti Eustorgii Conventu Mediolanensi quiescit corpus venerabile sancti Petri Martyris, cujus sepulchrum affabre, miroque opere laboratum; ubi & caput illius & calvariam ipse inspexi. Mediolani quievimus Dominica 4. post octavas Paschæ; hinc ad Romam sunt decem dietæ.

Die Lunæ 12. Maii itineris 44. feria secunda in Rogationibus e prandio, *Mediolano* relicto, *Casanum* (vulgo *Casan*) quinque leucis perreximus.

Die Martis in Rogationibus 13. Maii itineris 45. *Casano Pontojam* comestum, indeque *Hospitalitiolum* (vernaculè *l'Hospedalete*) leucis octo cubitum ivimus.

Die Mercurii in Rogationibus vigilia Ascensionis Domini, Maii 14. itineris 46. ab *Hospitalitiolo Brixiam* altero hinc lapide, sive leucis duabus dissitam Venetorum ditionis urbem appulimus, nec ulterius progressi, quod esset Ascensionis Domini pervigilium, cujus festa cum nostris Fratribus, & in Conventu Ordinis egimus. Duos autem in ea civitate Conventus habet Ordo noster.

Die Veneris infra octavam Ascensionis Domini 16. Maii, itineris 47. *Brixia* discedentes, *Disensam* ad prandium, ac inde *Pontonem* (vulgo *Ponton*) ad reclinandum accessimus leucis decem itineris.

Die

Die sabbati infra octavam Ascensionis, Maii 17. itineris 48. *Pontone* digressi, *Burgetæ* comedimus, & *Caliami* recubuimus, leucis decem progressi.

Die Dominica infra octavam Ascensionis Domini, Maii 18. itineris 49. *Caliamo*, (vulgo *Caliam*) duabus dumtaxat milliaribus, sive leucis procedentes, post prandium tandem ad urbem Tridentum pervenimus: Adeoque Brachara Tridentum usque leucæ, sive milliaria communia numerantur triginta duo supra tercenta.

Venimus ergo Tridentum, ubi inveni jam expectantes duos Cardinales Legatos, scilicet Cardinalem Mantuanum, & Cardinalem Seripandum cum decem Episcopis Italis, præstolantes, dum venirent aliqui ex Gallia, vel Hispania ad inchoandum Concilium, quod Pontifex nondum prorogaverat, & mansi ibi, usque ad Festum sanctissimæ Trinitatis, scilicet per quindecim dies; & deinde, suadente Cardinali Mantuano, perrexi Venetias.

Sunt autem a Tridento Venetias usque, milliaria sive leucæ viginti & una, quarum viginti terrâ, quæ superest una mari conficiuntur.

„ Et mansi ibi in Festo Corporis Christi & completis octo diebus reversus sum
„ per Paduam, & mansi ibi in festo sancti Antonii: regressus ergo sum Triden-
„ tum decima quarta die a die, exitus decima quinta Junii.

„ Dum essem Tridenti in festo sancti Dominici Patris nostri, Episcopus Cam-
„ pianensis, vir in historiis, & sacris perdoctus, dixit mihi coram aliis, se pro cer-
„ to habere Regnum Portugalliæ felicius esse inter omnia regna mundi, a diebus
„ Noe, in quatuor præeminentiis, quæ nulli alteri regno Christiano contigerunt.
„ I. Nunquam apostatavit a Fide post eam receptam. II. Numquam recessit ab
„ obedientia Sedis Apostolicæ. III. Nullum regnum detulit nomen Christi ad
„ tam longinquas partes. IV Numquam habuit bellum invasivum, nisi contra
„ Infideles.

„ Igitur a die, qua ingressus sum Tridentum usque ad diem, qua apertum
„ est Concilium, fluxerunt octo menses integri; nam ingressus sum 18. Maji
„ Dominica infra octavam Ascensionis, & Concilium inceptum est 18. Januarii
„ anni 1562. Dominica prima post octavam Epiphaniæ.

Diarium itineris ejusdem F. Bartholomæi Tridento Romam, ac Roma Tridentum anno 1563. die 18. Septembris.

Die igitur sabbati Septembris decima septima anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertii, cum Cardinali Lotharingiæ, & sex Episcopis Galliæ Romam iter suscepimus, ac eadem

Die sabbati quæ prima itineris *Athesi* profluente Tridento leucis quindecim cymba *Veronam* descendimus, & in sancti Anastasii Conventu apud Ordinis nostri Fratres declinavimus ejusdem Civitatis, cujus præclara & insignis est Ecclesia.

Die sequenti Dominica 19. Septembris 1563. itineris secunda, *Verona* eodem *Athesis* flumine descendentes scapha, *Badiam* oppidum usque vecti, mutatis cymba, & flumine *Rhodigium* Lombardiæ inferioris oppidum, Ferrariensis olim, dein

dein Venetæ ditionis, hora jam noctis tertia pervenimus. In eadem cum Cardinali cymbâ veni, & tribus Episcopis Gallis, ac per totum ferme itineris decursum, leucis, sive milliaribus duodecim, psalmos, hymnos, & prosas concinentes.

Die Lunæ 20. Septembris, & tertia itineris *Rhodigio*, qui vernacule *Rovigo* dicitur, leucis quinque *Ferrariam* contendimus; mansique ego in Conventu sancti Dominici. Dux autem Ferrariensis lintre nobis obvius accessit, & in eamdem ille nostram ingressus cymbam, Ferrariam usque simul pervenimus.

Die Martis 21. Septembris, 4. itineris, sancto Matthæo sacra, *Ferrariâ* Bononiam curru pervenimus, ad sancti Dominici vesperis adfuimus, & sancti Petronii Basilicam, quæ mole sua prodigiosa videtur, & amplitudine, visitavimus, ibique sancti Patris nostri Dominici caput venerati sumus, & ab Esdra conscripta volumina.

Die Mercurii 22. Septembris, & 5. itineris *Bononia Lojanum* leucis quatuor (*Lojano* vernacule) ivimus inter Apenninos montes milliaribus sesquitribus ultimo confectis.

Die Jovis 23. Septembris,& 6. itineris, *Loyano Pontanum* a vico *Scarpariæ* in Etruscis media leuca dissitum contendimus, ubi & quievimus: Cardinalis enim Lotharingiæ ibidem erat pernoctaturus, quod alia occupata diversoria, leucis octo per Apenninos montes molestissimi itineris peragratis.

Die Veneris 24. Septembris & 7.itineris *Pontano*,seu *Ponte* leucis sex confectis *Florentiam* ivimus, ipsaque die *Florentia* discessi ad duo ulterius progressi milliaria apud *S. Cassianum* reclinavimus.

Die sabbati 25. Septembris, & 8. itineris è *Sancto Cassiano* leucis sex inde distantem *Senarum* civitatem attigimus & in Conventu Sancti Spiritus Ordinis nostri diversatus sum. Basilica est Senis permagnifica, Pario, candidoque constructa undique, distintaque marmore, ac concinno ordine, cælato etiam pavimento, ac h storiis eleganter incisis. Xenodochium ibidem insigne visimus, sed non Academiam; antiquum enim, neque visu dignum esse dictum est nobis ejus ædificium, quin & a belli tumultibus ibidem excidisse plurimum eam accepimus, & studia.

Die Dominica 26. Septembris 1563. & 9. itineris *Senis Bono Conventu*, vulgo *Bonconvento*, ad tria milliaria pransi, sexque ulterius progressi ad *Recursi*, *Ricorso* vernacule dicti pagum quievimus leucis ea die novem itineris confectis.

Die Lunæ 27. Septembris & 10. itineris, *Recursu Aquampendentem* oppidum refecti, Volseni lacum insignem leucis duabus traicientes *ad Montisflasconis* urbem dormivimus.

Die Martis 28. Septembris & 11. itineris *Viterbio* transeuntes, trajectoque lacu *Vico* dicto *Ronciglioni* comedimus, & ad *Braccianum* quievimus leucis novem ea die confectis.

Die Mercurii 29. Septembris sancto Michaeli Archangelo sacra, & hujus itineris ultima, leucis 4. confectis, Romam pervenimus. Quas Romæ vidi, sacrarum Reliquiarum hæ sunt præcipuæ: sanctus Domini vultus, Ferrum lanceæ, spinei aculei, Titulus sanctæ Crucis, Arca Fœderis cum virgis Mosis, & Aaronis. Romæ dies decem & septem commoratus sum: nam die sabbati decima sexta Octobris, post celebratum apud Augustinienses S. Mariæ de Populo, ad sepulchrum Georgii de Costa Cardinalis, & Decessoris mei Bracarensis Antistitis, Romæ anno 1508. defuncti, Missæ sacrificium *Roma* discessi, viam gressus Lauretanam

ac

ac ea die sabbati Octobris 16. anni 1563., itinerisque prima *Roma Burgetum* leucis novem distans ivimus.

Die vero sequenti Dominica Octobris 17., & itineris secunda *Burgeto* discedentes, *Narnis* transivimus, & *Interamni* (vulgo *Terni*) comedimus, ac *Spoleti* tandem, leucis novem peractis, decubuimus. Sunt hæ tres Episcopales civitates.

Die Lunæ Octobris 18. sancto Lucæ sacra, itinerisque tertia e *Spoleto ad Montem Falcum* ivimus ad prandium, ubi & corpus sanctæ Claræ ejusdem loci venerati sumus; non hujus quidem, quæ beati Francisci Assisinatis filia in Domino fuit, & Discipula, sed alterius. Inde *Assisium* pervenimus, hora post meridiem tertia, septem confectis ea die leucis; visitataque prius, quæ leucæ unius itinere distat è civitate, Portiunculæ ædicula. Assisii autem apud sancti Francisci Fratres decubui, & sacras quæ in Portiunculæ, sanctique Francisci & sancti Damiani extra civitatem Conventibus habentur, inspexi, veneratusque sum reliquias. Ibi habetur sacrum illud Christi Crucifixi signum, a quo vox illa dudum S.Francisci insonuit auribus: *vade repara domum meam*. Quod ad sanctæ Claræ vidimus, & quæ ad sanctæ Claræ venerantur, alias reliquias, duplicem scilicet B. Francisci vestem, alteram quidem, filo continuato acuatim intextam, asperam, ac reticulatam; laneam vero aliam, sed vilem, & grossiorem; de corde, & palliis sancti Hyeronimi, sancti Francisci, sanctæque Claræ cilicia, ac utriusque Breviaria; cruenrum quod ad larus habebat sanctus Franciscus pannum; cornuque quod illi concessum a milite, quo convocabat ipse ad orandum, & est ex Martyrio. Paxillos etiam ad calorem illi utiles, calceos etiam, quibus acceptis usus est stigmatibus. Est autem ubertate grata, & spectabilis omnino Spoletana vallis, atque amœnitate, cujus, & sancti Francisci Monasterii prospectus ea parte vicinus, jucundissimus, quod & ea ædificiorum magnificentia præstat, ut arcem melius referat Mediolanensem, quam Pauperum habitationem, & Monasterium;

Die Martis, Octobris 19., quæ & quarta itineris, postquam ego Missam ad altare, quo sancti Francisci corpus quiescit, & colitur, celebravi, *Assisio* discessimus, *Folinioque*, quæ civitas Episcopalis est eadem in valle Spoletana, transeuntes, leucis octo progressi in loco quodam *La Mucha* dicto reclinavimus.

Die 20. Octobris, & Mercurii, quæ quinta itineris *Mucha Maceratam* urbem Episcopalem, ubi pransi, petimus: Ibi Cardinalis aderat Tridentinus Cardinali Lotharingiæ solemnes ingressus, arcusque triumphales disponens, & statuens, indeque *Recanatæ*, quæ sede gaudet Episcopali civitas, unaque *Lauretanæ* Virginis ædibus vicinior est leuca, reclinavimus. Leucas decem ea die confecimus *Tolentino* transeuntes.

Die Jovis 21. Octobris, & 6. itineris mane *Recanate* Lauretum ivimus; postquam autem ibi comedimus, quatuor ulterius leucis pessimi itineris, propter Lama, & Chiemam progressi, pauperrimo declinare coacti fuimus tuguriolo, *Anconæ* leucam unam prævio: sicque ea die non nisi milliaribus seu leucis 4. confectis itineris, miraculosam hanc ego vidi Virginis ædem Lauretanam, ab Angelis eo allatam in qua beata Virgo Filium Dei concepit, & peperit unigenitum; in qua & celebravi, fuitque dies hæc undecim millibus sacra Virginibus.

Die Veneris 22. Octobris, & 7. itineris *Anconæ* comedimus & *Senogalliam* inde declinatum ivimus ad leucas septem.

Die

Die sabbati 23. Octobris, & octava itineris *Senogallia Fanum* ad comestionem perreximus, ac post prandium *Pisauro* (vulgo *Pesaro*) inter facientes ad leucas octo progressi. quodam in loco, qui *Catholica* dicitur, hospitati sumus.

Die Domenica 24. Octobris, & tertia itineris e *Catholica* pransum venimus *Ariminum* (vulgo *Rimini*), ubi habitum illud olim conciliabulum Ariminense nuncupatum; indeque dormitum in loco, qui *Porto di Celnago* vernacule dicitur, septem leucis itinerati.

Die Lunæ 25. Octobris, & decima itineris eo *Ravennam* contendimus insignem urbem, ubi pasti, atque exinde *Fulinium* (vulgo *Fulignano*) leucis septem emensis itineris. Fuit ea dies omnino laboriosa, atque periculosa, quæ SS. Crispino, & Crispiniano dicata Martyribus: quæ enim Ravennam ambit, ducitque via lubrica est, lutosa, & stagnans, totusque palustris, & fructuans est hic ager. Ravenna jam superata, lutosæ aderant lacunæ, & voragines immensæ, sive scrobes, aut hiatus lutei, quibus cum mulo demersus fuerat, & absortus *Georgius Taverez*.

Die Martis 26. Octobris undecima itineris *Argenti*, qui pagus est, comedimus, & altero, qui *Consendal* dicebatur, ad leucas quinque quievimus.

Die Mercurii 27. Octobris, 12. itineris, *Ferrariæ* pransi, *Lantalami* cœnavimus, & dormivimus, ad leucas sive milliaria septem; Ancona namque Ravennam usque per irrigua prata juxta maris Adriatici littus iter habuimus; Ravenna vero Ferrariam a mari recessimus.

Die Jovis 28. Octobris & 13. itineris *Bargantini* pasti *Saqueta* reclinavimus, leucis septem inde fere continuo per influentes in Eridanum amnes, ut plurimum itinerantes.

Die Veneris 29. Octobris & 14. itineris *Mantuæ* comedimus, ubi Missæ sacrificium pro Cardinali Mantuano, a quo plurimis in Concilio fueram affectus beneficiis, obtuli: dein & *Villæ francæ* pernoctavimus ad leucas sex.

Die Sabbati 30. Octobris & 15. itineris *Burgeti* (vulgo *Borghetto*) pransi *Retoreæ* leucis 10. dissitæ cœnavimus.

Die Dominica 31. & ultima Octobris, & itineris 16. a profectione, discessuque ex Roma tribus inde horis sive leucis *Tridentum* appulimus.

Peracto feliciter, & ad ultimum tandem finem deducto sacro Concilio Tridentino, die qnarta Decembris sanctæ Barbaræ sacra exeuntis anni 1563. Nos inde sequenti 8. ejusdem mensis Conceptionis Beatæ Virginis festo dicata die, una cum regio Legato, & Oratore Lusitaniæ Regis ad idem Concilium D. Ferdinando Martinez de Mascarenas Mediolanum usque recessimus, ac.

Sousa lib. 2. c. 11. fol. 101.

Die quidem illa 8. Decembris 1563. feria 4. & 1. itineris, leucis septem ad quemdam vicum, *Boo* dictum, usque itineravimus.

Die sequenti Jovis 9. Decembris, & 2. itineris, *Boo Veronam*, a qua venimus leucis septem, fluvio scilicet hac, & præcedenti die recti.

Die veneris 10. Decembris, & tertia itineris *Verona Peschieram* pransuri, indeque *Disensam* ad leucas sex pernoctaturi venimus.

Die sabbati 11. Decembris, & 4. itineris *Disensa Brixiam* ad leucas sive milliaria quatuor ivimus.

Die Dominica, quæ tertia Adventus, 12. Decembris, & quinta itineris *Brixia Martinete*, sive *Martinengo* declinavimus, leucis quinque progressi.

Die Lunæ 13. Decembris & 6. itineris *Casani* comedimus, ac deinde *Casealbæ* (vulgo *Casabianca*) dormivimus post leucas sex itineris.

Die Martis 14. Decembris, & 7. itineris duabus ultra progressi leucis *Mediolanum* pervenimus.

Die Mercurii 15. Decembris *Mediolani* hæsimus fere tribus diebus.

Die Jovis 16. Decembris & 8. itineris *Mediolano* duas circiter cum media leucas progressi *Binascum* accessimus.

Die Veneris 17. Decembris 9. itineris *Papiæ*, sive *Ticini* (quæ *Pavia* vulgo dicitur,) comedimus, ubi visitur sancti Augustini corpus, & exinde *Bastiæ* quievimus, leucis quinque confectis.

Die sabbati 18. Decembris *Bognera* pasti *Dertonæ* (vulgo *Tortona*) ad Triam fluvium in Liguribus pernoctati apud Fratres Ord.Min. Conventualium: hic illuxit nobis quartæ Dominicæ dies Adventus, & ab ejusdem Episcopo civitatis (*Cæsare Gambara*) Mediolanensi munusculis nauticis, navigantibusque necessariis donati sumus.

Die Dominica 4. Adventus Decembris 19. & itineris 11. *Serravalli* comedimus, & *Risolæ* pervenimus leucis quinque.

Die Lunæ 20. Decembris, & 12. itineris, demensis totidem leucis quinque *Januam* civitatem amænissimam attigimus (vulgo *Genova la Bella*) sicque peragrata Lombardia Genuam sive Januam vidimus, per. 7. aut 8. circiter milliarium, sive leucarum vicinum spatium inter abrupta montium, rupes, & saxa tanta castanearum ubertate feracem, ut commune sit omnium ibi rusticorum, & armentorum pabulum, nec alio vesci consuescant, aut utentes occurrant inquilini, vel operarii ad ripam fluminis, nihil aliud in cibum pro se babentes, quam confertam hisce castaneis, rapisque concoctis, simul & contusis corbem, nec panem illi adhibebant, aut vinum, sed hocce vescebantur obsonio, & aquam extinguendæ siti vicino potabant a flumine.

„ Hac in civitate catinum vidimus, in quo Dominus Agnum in cœna co-
„ medit, qui custoditur in Ecclesia majori sub 12. clavibus, a duodecim Prima-
„ tibus civitatis servatis; Est autem catinus ille valoris inæstimabilis, & quod ma-
„ teriam, quoniam totus est ex smaragdo purissimo, & est fama quod vas illud
„ fuerat inter divitias Salomonis, & possidebatur, quando Dominus cœnam ce-
„ lebravit a divite illo, cujus erat cœnaculum grande stratum; & non est incre-
„ dibile quod Dominus tam pretiosa parophside assum ex lege illa nocte comederit
„ Agnum.

Veni ergo *Genuam* in vigilia beati Thomæ Apostoli, & hospitatus sum commodissime in Conventu nostro sanctæ Mariæ de Castello, cum omnibus familiaribus meis, & mansi ibi usque ad diem Natalis Domini, & prima octavæ scilicet.

Die beati Stephani 26. Decembris 1563. *Janua Nicæam* versus navi soluimus una cum Oratore Lusitano *D. Ferdinando de Mascarenas*, & *D F. Gasparo Casulio* Episcopo Leiriensi, Ordinis sancti Augustini; totisque diebus quatuor 26. 27. 28. & 29. Decembris id egimus itineris, quod leucarum est duarum supra triginta Janua Nicæam usque, ac mari quidem tribus prioribus hisce diebus non sine vitæ periculo, & tædio, quibus, & ultima, sive quarta die coacti fuimus, relicta navi, terra viam prosequi. Igitur.

Die Dominica 26. Decembris 1563. itineris nostri 13 *Genua* mari *Savonam* usque venimus.

Die Lunæ 27. Decembris itineris 14. *Savona* ad locum qui *Porto* dicitur, ivimus.

Die

Die Martis 28. Decembris, & 16. itineris, è *Porto* ad *Monœci* portum, & arcem fefqui duabus propè *Nicæam* leucis, vulgo *Monaco* dictam civitatem, & promontorium.

Die Mercurii 29. Decembris & 16. itineris, terra Nicæam, olim Gallo-Provinciæ, Saliorumque urbem ad Vari fluminis oftia nobilem, ditionifque nunc Sabaudiæ venimus, ubi & Ducem Sabaudiæ (qui tunc aderat) falutavimus, eique refponfum detulimus circa tumulum, & maufoleum ejus Genitricis, ac Infantis Lufitanicæ.

Die Jovis 30. Decembris, & 17. itineris, *Nicæa* Galliam ingreffi ea parte, quæ *Provincia* dicitur, *Antipolim* venimus ad leucas quatuor.

Die Veneris 31., & ultima menfis Decembris, & hujus anni 1563. more Romano computati, noftrique itineris 18. in oppido maritimo *Cannes* dicto comedimus, & ad *Forumjulii* leucis 8.

1564. *Januarii.*

1. Die fequenti fabbati ineuntis anni novi 1564. prima, poft prandium ftadiis aliquot egreffi *Forojulio* (vernacule *Frejus* dicitur) urbs Epifcopalis, & maritima Gallo-Provinciæ Salvuiorum, fed occurrit nobis trajiciendus amnis, quo proprohibiti fuimus ulterius ire, & Forumjulii repetere coacti.

2. Die ergo fequenti, Dominica Januarii 2., noftrique itineris 19. nacta trajiciendi fluminis opportunitate egreffi Forojulio ad pagum fex leucis inde diffitum, dictumque *Helues* cœnatum ivimus.

Soufa l.2.c.12. fol.104.

3. Die Lunæ 3. Januarii, itineris 20. in oppidó de *Brignolles* vernacule dicto comedimus, & inde apud *Sanctum Maximinum*, leucis 7. ea die itinerati, reclinavimus. Ibi vidimus pretiofiffimas capitis fanctæ Mariæ Magdalenæ reliquias, carne adhuc, & pelle in eo adhærente ea parte, qua Chriftus Dominus eam a Refurrectione fua tetigit dicens, *noli me tangere*. Illud in Conventu noftro fervatur, qui fub immediata Pontificis, Regifque Franciæ fubeft authoritate, & jurifdictione, quorum & arbitrio præficitur Prior. Ab hoc autem oppido Conventui noftro, tribus dumtaxat leucis aliud, & noftrum etiam exiftit in ea rupe, & monte pofitum Monafterium *fanctæ Balmæ* vulgo dictum, ubi totis triginta annis vitam duxit hæc fancta pœnitentem, ac folitariam: fed quod tunc temporis ningeret, nec ab Oratoris Lufitanici confortio, qui rectè properabat Avenionem, & focietate divelli poffem, illuc ire nequivi. Vidimus ibidem & caput *Cœci nati*, & a Chrifto illuminati; *fanctæ* item *Marcellæ* ancillæ quondam Divæ Marthæ, & fancti *Maximini*, qui cum Magdalena, & Martha Jerofolimis eo appulerat, & Epifcopus fuit Aquenfis (modo vernacule *Aix* dicitur) unus autem e feptuaginta duobus Chrifti difcipulis fuit S. Maximinus.

4. Die Martis 4. Januarii 21. itineris *Aquas Sextias* Provinciæ caput & metropolim, leucis 6. a fancto Maximino remotam ivimus.

5. Die Mercurii 5. Januarii, itineris 22: pranfum ivimus in oppido dicto *Lambefque*, indeque in alio, *Orgon* vernacule nuncupato, leucis ea die feptem itinerantes pernoctavimus.

6. Die Jovis fexta Januarii, Regum adorationi, five Epiphaniæ dicata, itinerifque vigefima tertia, jam pranfi *Orgonii*, leucis quinque diftante hinc Avenione decubuimus, ubi nos invifit, & invitavit ad cœnam *D. Fabricius* Summi Pontificis affinis, præfidiorum ibi Dux, & Imperator militum, & Vicelegatus ejufdem civitatis, Dominus Laurentius Lenti Firmanus Antiftes.

8. Die fabbati 8. Januarii, itinerifque 24. *Avenione* pagum de *Cirenac* ad prandium, & *Nemaufum* inde civitatem Epifcopalem leucis feptem itineris ad

cœnam petiimus, Occitaniam ingressi vulgo *Languedoc*, ubi Proregem invenimus Catholicum virum, regionem hanc blandè, suaviterque moderantem: fuerat autem hæc paucos ante dies Nemausi civitas, sicut & Montispessulani Antesignanorum hæreticorum arx, & præsidium; gratulatusque nobis in ea venisse tempora me, & Leirienſem Episcopum, queis primum hac regione securum esset, & liberum iter Episcopis.

9. Die Dominica 9. Januarii, 25. itineris, *Nemauso* (vulgo *Nisme*) *Lunellæ* urbem (vernacule *Lunel*) comesturi venimus, ac inde Montis-Pessuli (vulgo *Montpellier*) leucis octo decubuimus. Erat quidem ea in civitate Conventus nostri Ordinis insignis, & amplissimus, sed solo nunc æquatus, quod hæc præ ceteris totius Galliæ magis infecta fuerit ab Hæreticis, ac in hanc usque diem Hæreticorum Primipilis, incensoribus, & Præconibus adhuc conferta esset.

10. Die Lunæ 10. Januarii, 26. itineris è *Montepessulo* ad leucas quinque *Lupianum* venimus, & ibi dormivimus.

11. Die Martis 11. Januarii, vigesima septima itineris, *Lupiano* ad *sancti Tuteri* pagum pransi, *Biterris* (vernacule *Bisiers*) Episcopali civitate decubuimus, leucis sex emensis.

12. Die Mercurii 11. Januarii 28. itineris, *Biterris Narbonam* hujus Provinciæ caput, & metropolim, leucis dissitam quatuor venimus: Biceps, & bifida, primum ab ea Biterrarum civitate patet & occurrit in Hispanias via: *Barcinonam* alia ducit; ad *Bayonam*, & *sancti Sebastiani* urbem tendit altera: Nos eam, quæ *Barcinonam* pergit, citius ut a solo, ditioneque Galliæ liberi essemus, elegimus: octo autem supra triginta leucis distat Narbona Barchinone. Narbona autem Orator noster D. *de Mascarenas* discessit a nobis, velocibus equis meritoriis, cursum, indè per Hispaniam iter properaturus; Nos vero,

13 Die Jovis 13. Januarii, itineris 29. Narbona pagum de *Villafalza* dictum com:sturi; indeque *Leucatam* usque, oppidulum, arcemque Galliæ confinium extremam dormituri leucis quinque progressi fuimus.

14. Die Veneris 14. Januarii, itineris 30. *Leucata* tribus tantum leucis itinerati ad *Ribas altas* vulgo dictum pagum declinavimus, propter imbres, & alias hyemis, aerisque inclementias. Hac die, relicta Gallia, Hispaniam per Catalauniæ Principatum ingressi sumus, & ad muros arcis munitissimæ, quæ *Salsulæ* (vulgo *Salsas*) nuncupatur, quæ prima est Hispaniarum in confinibus, iter duximus: sed eam non lustravimus, quod peste tunc infecta erat.

15. Die sabbati 15. Januarii, itineris 31. a *Ripa alta ad Bolanum* leucis quinque ivimus; & hac etiam die ad insigne propugnaculum Hispaniæ transivimus, *Perpinianum* nuncupatum a *Salsulis* milliaribus tribus dissitum, in quam & noluimus ingredi civitatem (quæ *Ruscinionis* caput est) eadem qua & Salsulas pestis in ea furentis, & jam a quadriennio sævientis de causa,

16. Die Dominica 16. Januarii itineris 32. ex pago de *Bolaon* pransuri *Junqueiram*, dein & hospitaturi, *Sanctæ Locaiæ* leucis quinque vicum adiimus; ibi adhuc occurrit nobis illustrissimus D. Orator, qui velocioribus equis nos antea, prævenerat, miserando casu moratus; ex iis enim, qui comitabantur, unus illi a secretis *Christophorus Machado* vocatus, fluvium Volanum inter *Junqueiram occurrentem* cum eo trajiciens aquis submersus interiit; quem fluvium & nos maximo cum labore, & periculo trajecimus, ita intumuerat ab imbribus, tum quod & metus nobis erat a grassantibus ea in regione Prædonibus, ut & a furente lue, plurima ibidem loca dudum infestante, in quibus & urbs illa *Figueira* dicta, qui-

qnibus adacti fuimus etiam de nocte ultra *sanctæ Locajæ* oppidum per dimidiam leucam prætendere. Sicque pet totam Galliam, & Catalauniam fere continuus nobis aderat ab Hæreticis, prædonibusve, vel a peste metus. Hac ergo die Pirenæorum montium juga superavimus, aditus illorum nobis fuit per insignem illum, & a prædonibus, sicariisque solemnem, qui Portus vulgo dicitur transitum.

17. Die Lunæ 17. Januarii, itinerisque 33. a *sancta Locaya Madinbamum* ad prandium *Gerundam Ausetanorum* Hispaniæ citerioris, seu Tarraconensis, vulgo *Girona*, ad reclinandum leucis quinque progressi sumus. In hujus civitatis Ecclesia Cathedrali, majorique sacello prospectus altaris, & facies insignis, & dives anro, argentoque structa solido, in orbem ducta; sic aureis, argenteisque ductilibus laminis incisis, cælatisque imaginibus circumquaque ornatut altare. Servatur etiam ibi scyphus, seu cuppa auro solido gravis admodum, & ponderosa, qua bibere solitus olim fuerat Carolus Magnus, quam ibi casu reliquit, & alia pretiosa multa.

18. Die Martis 18. Jannarii, itineris 34. *Gerunda Malborquinbæ* comedimus, indeque *Vetborio* leucas ad quinque pernoctavimus. Sciendum autem leucas Cathalaniæ, sive Gothalaniæ esse maximas atque longissimas.

19. Die Mercurii 19. Januarii, itinerisque 35. è *Vetborio Rupem* (vulgo *Roqua*) pransuri, *Barcinonemque* celeberrimam, amplissimamque civitatem leucis octo confectis advenimus in vesperis sancti Sebastiani. In angusta viarnm hac die per itinerandum bis, metusque prædonum incidimus: primus eorum locus, vulgo dicitur *los trenta passos*, sive triginta passuum; alter vero una tantum a Barcinone leuca distat, in quo ipsa qua nos transivimus die viatores plurimi spoliati sunt. Mansimus autem.

20. Barcinone die Jovis sequenti, 20. Januarii, sancto Sebastiano sacra.

21. Et die Veneris sequenti 21. Januarii, sanctæ Agneti Virgini, & Martyri sacra, & die sequenti 22. post prandium discessimus.

22. Die sabbati Januarii 22. itineris 36. post prandium è *Barcinona Martorellam* urbem ad leucas qnatnor ivimus.

23. Die Dominica 23. Januarii, 37. itineris *Martorella* tribus exactis milliaribus ad devotissimum, & miraculis celeberrimum Montem serratum Beatæ Mariæ Virgini sacrum pervenimns, ubi duos integros, mediumque alterum hæsi diem, heremiticas lustravi cellulas, & reclinatoria, & in die Conversionis sancti Pauli, Montis culmen hujus insignis, & verticem, qui paulo ultra sancti Hieronymi heremitorium est, conscendi. Sunt autem ibi heremitoria tredecim; cuilibet adjacet Oratorium singulare suum, sive Ecclesia concinne structa, & ornata & Heremitæ ædicula.

Sousa lib. 1. c. 33. fol. 105.

26. Die Mercurii 26. Januarii, Itineris 38. *Monserrato Igualada* pransi ad *sanctæ Mariæ de Carminos* dictum pagnm leucis sex progressi dormivimus.

27. Die Jovis 27. Januarii, itineris 39. e *sancta Maria Viarum*, sive de *Carminos Cervariæ* (vulgo *Cerveira*) comedimus, indeque *Pulchri putei* (vernacule *Belpuche*) oppidum ad leucas sex dormituri petiimus. Hoc in oppido accidit nt & Regem Hispaniarum *Philippum* invenitemus, qui hac ipsa die ibidem erat pernoctaturus, quem ego salutavi, & de rebus Concilii, decretisque illius servandis, & ad executionem revocandis, aliisque gravissimis sum alloqutus, quibus ille prudentissime, zelantissimeque respondere mihi visus est.

28. Die Veneris 28. Januarii, itinerisque nostri 40. a *Pulchro-Puteo*, sive *Belpucho* oppido ad *Ilerdam* (vernacule *Lerida*) civitatem leucis 4. dissitam pervenimus,

Die

29. Die sabbati 29. Januarii, 41 itineris Ilerda, prandii causa, ad leucas tres *Fragam*, qui primus adest Regni Aragonum terminus & limes, indeque *Caridasnos* ad leucas 6. quievimus.

30. Die Dominica in Septuagesima 30. Januarii itineris 42. è *Candasnos* ad pagum *Burielados* dictum, lencis tribus itinerati quievimus. Hac in via occurrit amphractus sicariis, & prædonibus periculosus.

31. Die Lunæ 31 Januarii, itineris 43. e *Burielados* pago ad *Oseræ* comesturi, indeque dormitnri lencis sex emensis ad *Puebla* dictum pagum ivimus.

Februarius.

Sousa lib. 2. c. 34. fol. 108.

1. Die Martis 1. Februarii, itineris 44. è *Pueblæ* pago post duas leucas *Cæsaraugustam* insignem regni totius Aragonum, & principem civitatem, quæ vulgo *Saragoza* dicitur, contendimus: hæc enim civitas præcipua est Regni Aragoniæ, sicut Barcinona Cathalaniæ, Valentinique Regni Valentia, sunt capita. Ad vesperas Purificationis B. Mariæ venimus, & die festo sequenti ibidem quievi in Conventu nostri Ordinis hospitatus, cujus dormitorium insigne, & affabre ad Iberi prope fluentem sic instructum, ut cellis prævium curriculum regalis aulæ videatur, cellæque ea parte sint positæ, ut prospectu fluminis recreentur, sicque sint ordinatæ, & collocatæ, ut porta qualibet aulæ, sive curriculi cellarum aditus quatuor totidem una pateat, quarum superiores dnæ, duæ submissiores ad fluvii prospectum impedientis editæ.

3. Discessi *Cæsaraugusta* die Jovis, sancto Blasio sacra, 3. Febrnarii, 43. itineris, comedique *Mueta*, & *Colmuniæ* leueis novem decubui. Sunt autem Cæsaraugustæ insignes, & antiquæ Basilicæ, Ecclesia scilicet sanctæ Mariæ de Columna, vulgo sancta Maria *del Pilar* dicta, ubi columna servatur, ad quam Virgo Deipara beato Jacobo Apostolo apparuit, & altare ipsum ad quod ille celebravit. Est & alia sanctæ Engraciæ Lusitanicæ sacra Comitis Portugalliæ filiæ, quæ tempore Diocletiani Imperatoris octo supra decem comitata sociis eo venit, ac martyrio simul meruit coronari, mortem propter Christum a Daciano Hispaniarum Præside illatam invicte perpessa. Huic autem Ecclesiæ subjacet altera demissior, & subterranea frequentibus, ac devotissimis plurimornm Martyrum ornata tumulis, & lipsanis, unde plurimus accedentibus ingruit sacerque tremor, ac veneratio, qui & tot, tantorumque sanctorum corporum antiquitate, & harum catacumbarum specie mirata concipiunt sanctitatis odorem. Hæc modo Ecclesia Patrum est Ordinis sancti Hieronymi, Monasterii nobilissimi dudum a Ferdinando Rege Catholico constructi.

3. Die Jovis 3. Februarii, itinerisque 45. Cæsaraugusta *Muelam* pastum, *Almuniamque* decubitum ad leucas novem ivimus.

4. Die Veneris 4. Februarii, itineris 46. *Almunia Calatayudam* leucis tribus, ubi hospitio exceptus in Conventu Ordinis.

5. Die sabbati 5. Februarii, itineris 47., *Calatayda Teguam* leucis duabus.

6. Die Dominica 6. Februarii, itinerisque 48. *Tegua Decam* leucis quatuor perreximns. Erat autem Dominica in sexagesima estque *Tegua* ultimus illic Aragoniæ Regni terminus & limes; Regni vero Castellæ principium *Deca*, Saguntinæque diœceseos, & una ante Decam leuca Regnorum linea contermina ducta est, & signata; sicqne totum Aragoniæ Regnum 37. Leucarum spatio decurrimus, & itinere.

7. Die Lnnæ 7. Februarii, itineris 49. a *Deca* oppido *Saronæ* pransi urbem *Almagani* 600. familiarum, parochiarum duarum ad leucas 7. properavimus; ibi

ibi primum occurrit nobis Durius fluvius præterfluens, indeque leucis undecim ortum ducens.

8. Die Martis 8. Februarii, itineris 50. *Almacano Taguesca* comedimus, inde *Uxamam* (vulgo *Osma*) Burgum, quæ Pontificia sedes est Uxamensis Episcopi decubitum leucis 8. venimus. Sciendum est autem Uxamam, sive Osmam, civitatem olim fuisse destructam, & desolatam, nec habere modo plus quam triginta familias, sicque eo adducta est ut Burgum nunc tantum habeat, cui adjunctus est & ultra fluvium contiguus pagus. Magnum in ea diœcesi nuncium accepi de Uxamensi Episcopo *D. Petro de Costa* Lusitano, primum Portuensi Lusitanorum, postea Legionensi, tandem & Uxamensi Episcopo, qui paucis ab hinc, mense martio scilicet anni proximi abjerat e vivis. Ille etenim, quod ignorantia plurimas oves sibi commissas laborare deprehendisset, insigne in ea Collegium instituit & erexit Clericorum, in quo lectiones fierent sacræ Theologiæ, canonum, & artium continuæ, assignato redditus annui duodecim mille Cruciferorum censu; testamento autem eidem plura pretiosa legavit, Crucem sibi pectoralem viginti mille Cruciferorum æstimabilem, quo redditus illius annui augeantur, utque Collegialibus provisum foret, Arandæ ad Durium Monasterium Ordinis nostri erexit, ac reddit pinguiori ditavit: utque liberum faceret sibi subditum gregem, a tributi cujusdam onere gravissimi, quod regi impendebat, quindecim mille Cruciferorum elargitus est: quas autem dotavit, ac matrimonio pauperes collocavit, quantas & illis distribuit elemosinas vix numerari queat.

Hinc *Calarogam* usque, sive *Calaborram* civitatem, in qua natus illuxit mundo *sanctus Pater noster Dominicus*, leucæ sex numerantur, sed nullus in ea fratrum Ordinis Conventus, sed Sororum insigne ibi extat Ordinis Monasterium, strictioris observantiæ tenacissimum, in quo Sorores 42. Virgines, beatissimum, quo cupienti daretur videre locum, socium mihi adjunxi, eoque duabus tribusve a recto declinans itinere me contuli: sunt enim *Uxama* ad *Arandam* recta via leucæ novem; inde vero *Calarogam* leucæ duodecim.

9. Die Mercurii 9. Februarii, itinerisque 51. *Uxama* petimus *Alcovillas*, & pransi sumus, ac inde *Calaborram* (, quam Castellani vocant *Calarvegam*), ubi decubuimus, leucis octo per invia, & deserta. Erat autem olim Calahorra urbs celeberrima, viris primoribus, & nobilibus confertissima, inqnibus tunc erant sancti Patris nostri Dominici Progenitores. Nunc vero vix pagus esse videtur ex incolarum paucitate, & penuria. Vix enim centum continet rusticorum, operariorumque familias, omnes erga sancti Patris Dominici cultum adjectissimas. Hujus vero Monasterii Priorissa loci gaudet omnimoda jurisdictione, & auctoritate seu in temporalibus, seu & in spiritualibus. Parochiæ Rector, & Pastor e nostris fratribus semper unus præficitur. Tres sunt in hoc pago Ecclesiæ Parochialis antiquissima D. Sebastiani invocationi sacra. Secunda est Sororum Ordinis Ecclesia. Tertia est juxta Sororum Ecclesiam ad duas ulnas, aut perticas è regione, estque eo loco constructa quo Parentum olim sancti Dominici steterant ædes, & cujus medio sacellum est, eo loco positum quo sanctus natus est *P. Dominicus*: Calarogæ vero veni die sanctæ Apolloniæ sacra.

10. Die Jovis 10. Februarii, itinerisque 52 *Calaroga Arandam* ad Durium leucis quatuor veni, quæ Uxamensis est urbs diœceseos, extatque ibi Fratrum nostri Ordinis Conventus novus ante annos viginti a R. P. Fr. Petro de Soto de mandato Præsulis illius eximii, cujus supra dicta quinquagesima memini inchoatus: in ejus ille sepultus est sacello majori, Uxamæ licet obierit ubi sedebat ille Pontifex, in

hoc

hoc tamen voluit sepeliri monasterio, suos cineres illuc deferri post obitum leucis novem Uxama distito.

11. Die Veneris 11. Februarii, itinerisque 53. *Aranda* comedimus ad pagum *d'Hojales*, & *Rupefideli* (vernacule *Pennafiel*) oppido quievimus, quæ sedis Palenciæ urbs est. In Conventu nostro mansi, in quo ad latus sinistrum capellæ majoris in loco eminenti est conditum corpus Dominæ Joannæ Matris sancti Dominici. Leucas septem.

12. Die sabbati 12. Februarii, & 54. itineris a *Pennafiel* ad *Conefes*, & *Monte* pastum, & ad *Conesco disca* cubitum leucis septem contendimus.

Die Dominica prima, Februarii 13., itinerisque 55., a *Conesco disca* ad *Methymnam* (vulgo *Medina del Campo*) 6. leucis ivimus; erat autem Dominica Quinquagesimæ mansique in Conventu Ordinis ad feriam 4. Cinerum, quod de vestibus nobis providendum esset familiæ nostræ, & in die Cinerum 16. Februarii, post prandium iter *Salmanticam* versus arripuimus.

16. Die Mercurii Cinerum 16. Februari, & 56. itineris a *Methymna Campestri*, sive *Medina del Campo* Regni Legionensis ad fines Castellæ veteris *Carpium* leucis tribus usque itineravimus.

17. Die Jovis 17. Februarii, itineris 57. *Carpio* comedimus ad *Mosborido*, & ad *Petieguæ* pagum leucis 7. quievimus.

18. Die Veneris 18. Februarii, itineris 58. *Petiegua Salmanticam* (vernacule *Salamanca*) leucis quatuor ambulavimus, & ibi moratus triduo ad primam usque Quadragesimæ Dominicam.

21. Die Lunæ, post primam Dominicam Quadragesimæ, 21. Februarii, itinerisque 59. *Salmantica Rosbanum* leucis quatuor petiimus.

22. Die Martis 22. Februarii, itinerisque vero sexagesima *Rosbano* ad *Albite Godino* leucis septem contendimus.

23. Die Mercurii 23. Februarii, itinerisque 61. ab *Albite-Godino* ad *Freixo despada cinta*, primum Bracharensis diœcesis, & Archiepiscopatus nostri locum leucis septem pervenimus.

24. Die Jovis 24. Februarii, itineris 62.

25. Die Veneris 25. Februarii, itineris 63.

26. Die sabbati 26. Februarii, itineris 64, & ultima, inclinata jam die, sub noctem clam fugiens splendidæ receptionis honores *Bracharam* reversus.

27. Die Dominica secunda Quadragesimæ, 27. Februarii 1564. mane primum repente visus a populo in Ecclesia Cathedrali, ubi concionem habui ad plebem, deinde salutatus in Palatio a Clero & Populo.

Videndus de hoc Bartholomæi itinerario Ludovicus Muños Lib. 2. cap. 34. pag. 358. Ubi, ait: Bartholomæus Tridento Bracaram repetens, *& per* Castillam itinerans Toletanam urbem & diœcesim introivit elata Cruce primatiali: *Uti Rodericus a Cuña scribit sub finem Vitæ Fr. Bartholomæi ex relatione D Duartes Nuñez Legionensis ad D. Johannem de Sylva Comitem Portar Regiæ Domus Præfectum perpetuum, & Regni Administrum;*

FINIS.

INDEX NOMINUM, ET RERUM NOTABILIUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

B

C

F

G

H

I

Deo

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

Z

F I N I S.